This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

78-1-33

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319420381

D 22237

Digitized by Google

22237
271
L 21 1

POSTREMA SAECULA SEX
RELIGIONIS AUGUSTINIANÆ

IN QUIBUS

BREVITER RECENSENTUR

ILLUSTRIORES VIRI
AUGUSTINENSES
QUI SANCTITATE ET DOCTRINA FLORUERUNT

POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM

ANNO MCCLVI

AB ALEXANDRO IV.

USQUE AD HÆC TEMPORA

PER FR. JOSEPHUM LANTERI LIGUR-LODANENSEM
AUGUSTINIANUM

ROMAE
TYPIS BERNARDI MORINI
MDCCCLX

Digitized by Google

PROTESTATIO

Inhaerens Urbani VIII. aliisque posterioribus decretis protestatur auctor, res omnes, et singulas ecclesiasticas in hoc opere contentas, quae S. Sedis auctoritate nondum probatae fuerunt, habendas esse tamquam opiniones privati hominis, totum librum Ecclesiae judicio humillime subjicientis.

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Ab anno circiter MDCL. usque ad MDCCL.

Fr. Adeodatus Solera.

Adeodatus Solera, Salernitanus, alumnus Provinciae Terrae Laboris, vixit saeculo Ecclesiae decimo septimo. Ortum habuit ex nobili prosapia, fuitque religiosus, ut ait noster Ossinger, omni litteratura instructus, ac in divinarum litterarum studium propensissimus, variarumque artium liberalium notitia clarus. Quamobrem tum apud Ordinem, tum extra condignos honores obtinuit; fuit enim sacrae Theologiae Magister, atque Neapolitanae *Otiosorum* Academiae sodalis. Nec caruit conspicuis Ordinis muneribus, siquidem tum prioratum, tum etiam provincialatum gessit. Nominatur a praefato nostrate Ossinger, necnon ab externis Nicolao Toppio, et Leonardo Nicodemo. Praelo tradidit sequentia opera italice exarata: 1. *De officio principis, sub titulo:* I memoriali di Stato. 2. *Facem divinam, quae illuminat, et*

Digitized by Google

Digitized by Google

78-1-33

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319420381

D 22237

Digitized by Google

22237
271
L 21 1

POSTREMA SAECULA SEX
RELIGIONIS AUGUSTINIANÆ

IN QUIBUS

BREVITER RECENSENTUR

ILLUSTRIORES VIRI
AUGUSTINENSES
QUI SANCTITATE ET DOCTRINA FLORUERUNT

POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM

ANNO MCCLVI

AB ALEXANDRO IV.

USQUE AD HÆC TEMPORA

PER FR. JOSEPHUM LANTERI LIGUR-LODANENSEM
AUGUSTINIANUM

ROMAE
TYPIS BERNARDI MORINI
MDCCCLX

Digitized by Google

PROTESTATIO

Inhaerens Urbani VIII. aliisque posterioribus decretis protestatur auctor, res omnes, et singulas ecclesiasticas in hoc opere contentas, quae S. Sedis auctoritate nondum probatae fuerunt, habendas esse tamquam opiniones privati hominis, totum librum Ecclesiae judicio humillime subjicientis.

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Ab anno circiter MDCL. usque ad MDCCL.

Fr. Adeodatus Solera.

Adeodatus Solera, Salernitanus, alumnus Provinciae Terrae Laboris, vixit saeculo Ecclesiae decimo septimo. Ortum habuit ex nobili prosapia, fuitque religiosus, ut ait noster Ossinger, omni litteratura instructus, ac in divinarum litterarum studium propensissimus, variarumque artium liberalium notitia clarus. Quamobrem tum apud Ordinem, tum extra condignos honores obtinuit; fuit enim sacrae Theologiae Magister, atque Neapolitanae *Otiosorum* Academiae sodalis. Nec caruit conspicuis Ordinis muneribus, siquidem tum prioratum, tum etiam provincialatum gessit. Nominatur a praefato nostrate Ossinger, necnon ab externis Nicolao Toppio, et Leonardo Nicodemo. Praelo tradidit sequentia opera italice exarata: 1. *De officio principis, sub titulo:* I memoriali di Stato. 2. *Facem divinam, quae illuminat, et*

Digitized by Google

Digitized by Google

78-1-33

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319420381

D 22237

Digitized by Google

22237
271
L 21 1

POSTREMA SAECULA SEX
RELIGIONIS AUGUSTINIANÆ
IN QUIBUS
BREVITER RECENSENTUR
ILLUSTRIORES VIRI
AUGUSTINENSES
QUI SANCTITATE ET DOCTRINA FLORUERUNT
POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM
ANNO MCCLVI
AB ALEXANDRO IV.
USQUE AD HÆC TEMPORA

PER FR. JOSEPHUM LANTERI LIGUR-LODANENSEM
AUGUSTINIANUM

ROMAE
TYPIS BERNARDI MORINI
MDCCCLX

Digitized by Google

PROTESTATIO

Inhaerens Urbani VIII. aliisque posterioribus decretis protestatur auctor, res omnes, et singulas ecclesiasticas in hoc opere contentas, quae S. Sedis auctoritate nondum probatae fuerunt, habendas esse tamquam opiniones privati hominis, totum librum Ecclesiae judicio humillime subjicientis.

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Ab anno circiter MDCL. usque ad MDCCL.

Fr. Adeodatus Solera.

Adeodatus Solera, Salernitanus, alumnus Provinciae Terrae Laboris, vixit saeculo Ecclesiae decimo septimo. Ortum habuit ex nobili prosapia, fuitque religiosus, ut ait noster Ossinger, omni litteratura instructus, ac in divinarum litterarum studium propensissimus, variarumque artium liberalium notitia clarus. Quamobrem tum apud Ordinem, tum extra condignos honores obtinuit; fuit enim sacrae Theologiae Magister, atque Neapolitanae *Otiosorum* Academiae sodalis. Nec caruit conspicuis Ordinis muneribus, siquidem tum prioratum, tum etiam provincialatum gessit. Nominatur a praefato nostrate Ossinger, necnon ab externis Nicolao Toppio, et Leonardo Nicodemo. Praelo tradidit sequentia opera italice exarata: 1. *De officio principis, sub titulo:* I memoriali di Stato. 2. *Facem divinam, quae illuminat, et*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

78-1-33

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319420381

D 22237

Digitized by Google

22237
271
L 21 1

POSTREMA SAECULA SEX
RELIGIONIS AUGUSTINIANÆ
IN QUIBUS
BREVITER RECENSENTUR
ILLUSTRIORES VIRI
AUGUSTINENSES
QUI SANCTITATE ET DOCTRINA FLORUERUNT
POST MAGNAM ORDINIS UNIONEM PERACTAM
ANNO MCCLVI
AB ALEXANDRO IV.
USQUE AD HÆC TEMPORA

PER FR. JOSEPHUM LANTERI LIGUR-LODANENSEM
AUGUSTINIANUM

ROMAE
TYPIS BERNARDI MORINI
MDCCCLX

Digitized by Google

PROTESTATIO

Inhaerens Urbani VIII. aliisque posterioribus decretis protestatur auctor, res omnes, et singulas ecclesiasticas in hoc opere contentas, quae S. Sedis auctoritate nondum probatae fuerunt, habendas esse tamquam opiniones privati hominis, totum librum Ecclesiae judicio humillime subjicientis.

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Ab anno circiter MDCL. usque ad MDCCL.

Fr. Adeodatus Solera.

Adeodatus Solera, Salernitanus, alumnus Provinciae Terrae Laboris, vixit saeculo Ecclesiae decimo septimo. Ortum habuit ex nobili prosapia, fuitque religiosus, ut ait noster Ossinger, omni litteratura instructus, ac in divinarum litterarum studium propensissimus, variarumque artium liberalium notitia clarus. Quamobrem tum apud Ordinem, tum extra condignos honores obtinuit; fuit enim sacrae Theologiae Magister, atque Neapolitanae *Otiosorum* Academiae sodalis. Nec caruit conspicuis Ordinis muneribus, siquidem tum prioratum, tum etiam provincialatum gessit. Nominatur a praefato nostrate Ossinger, necnon ab externis Nicolao Toppio, et Leonardo Nicodemo. Praelo tradidit sequentia opera italice exarata: 1. *De officio principis, sub titulo:* I memoriali di Stato. 2. *Facem divinam, quae illuminat, et*

Digitized by Google

convertit peccatorum, et infidelium animas ad Catholicam Fidem. Opus hoc continet ad usum concionatorum digressiones, et conceptus morales accommodatos Evangeliis, quae in ecclesia diebus dominicis per annum, et in Quadragesima leguntur. In eodem opere se vocat de Candia, cum tamen certum sit quod fuerit Salernitanus; ita autem se nuncupavit, quia in hac insula concionatorem egit. 3. *Conversationem nobilem.* 4. *Sacros laqueos divini amoris pro iis qui cupiunt adhaerere Deo.* 5. *Librum, cui titulus* Contezze politiche, e morali. 6. *Alterum qui inscribitur*: Utili ricordanze all'ingannato principe. 7. *Sex horas sacras sex dierum hebdomadae.* 8. *Epistolam dogmaticam latino sermone exaratam de primatu Petri ad Cyrillum Lucari pseudo-patriarcham constantinopolitanum.*

Fr. Agnellus Candler.

Agnellus Candler, Monachiensis, illustris fuit suae Bavaricae provinciae alumnus, quippe qui tum virtutum splendore, tum doctrinae magnitudine enituit. Postquam in patrio coenobio Philosophiam, ac Theologiam professus fuerat, bibliothecarii officium ibidem in se suscepit, suamque praeclaram eruditionem in optimis pretiosisque libris comparandis patefecit. Anno 1743. ob pietatis, doctrinae, et regularis observantiae eminentiam, ut ait Ossinger, Provincialis inauguratus fuit, cujus tamen muneris integrum triennium complere non valuit; nam anno 1745. vitam cum morte commutavit. Opera, quae typis evulgavit, sunt sequentia: *I. Tractatus cui titulus:* Arnolphus male malus cognominatus, idest ejusdem Arnolphi Bavariae Ducis defensio. 2. *Opusculum asceticum latine ac germanice sub titulo:* Quadragena considerationum de quatuor hominum novissimis. 3.

Digitized by Google

Vita S. Rosinae sermone germanico conscripta. 4. *Continuavit lingua vernacula Parnassum Boicum impressum Monachii anno* 1736. 5. *Relationes curiosas Bavaricas Guilelmi Ertl correxit, et auxit, quae sine nomine impressae fuerunt Lipsiae, et Francofurti* 1733. 6. *Continuavit etiam opus Wigulei Hundii, tabulis illustravit, et auxit, sed tantum ad lit. G. pervenit. Ad hoc opus perficiendum tres tomos in fol. conscripsit de illustribus, et nobilibus familiis Bavariae.* Ita praefatus noster Ossinger.

Fr. Aloysius Torelli.

Aloysius Torelli, Bononiensis, sacrae Theologiae Magister, ex antiqua, atque nobili progenie ortum duxit, quae olim Ferrariae dominium habuit. Factus Augustinianus apud perinsignem de Insubria Congregationem, mirificum in Philosophia, atque Theologia profectum fecit, evasitque unus e praecipuis suae aetatis concionatoribus, qui amplissimos plausus Arimini, Caesenae, Pisauri, Perusiae, Senis, Florentiae, Genuae, Venetiis, Neapoli, ac tandem Romae, et alibi e suggestu collegit. Potissimum autem claruit Sacrarum Scripturarum scientia, atque historica eruditione, ut ejus opera testantur. Extremum diem morte confecit Bononiae anno 1683. aetatis suae 74. cum jam antea oculos amisisset. Commendatur ab externis Christiano Jocher, Henrico Witte, et aliis. Typis edidit italice: *I. Saecula Augustiniana ab Augustino usque ad suum tempus.* 2. *Centurias Ordinis nostri, in quibus breviter enarrat vitas Sanctorum, ac Beatorum ejusdem nostri Ordinis.* 3. *Ex hispanico in italicum sermonem vertit vitam nostratis B. Alphonsi de Orosco editam a nostro Joanne Marquez.* 4. *Item praelo man-*

Digitized by Google

davit historiam nostratum SS. Martyrum Liberati, Bonifacii, et sociorum. 5. *Vitam S. Liborii Episcopi.*

Fr. Ambrosius Landucci.

Ambrosius Landucci, Senensis, vir fuit non minus generis nobilitate, quam doctrina, atque illustrium munerum perfunctione conspicuus. Extitit enim, ait Ossinger, theologus sacri Collegii, et consultor S. Officii, ac decanus Universitatis Senensis, prior Iliceti, et Romae ad S. Augustinum, necnon visitator generalis suae Ilicetanae Congregationis. Anno vero 1655. ab Alexandro VII. Sacrista, et Episcopus Porphyriensis inauguratus fuit. Caeterae autem illius qualitates, quemadmodum et illius vitae terminus patent ex sequenti inscriptione ejus marmoreo monumento, quod extat Romae in coenobio S. P. Augustini ad januam sacrarii, apposita: *Ambrosius Landuccius Patritius Senensis Ilicetanae Familiae nomen dedit. Praecipuis suae Religionis muneribus, Vicarii generalis officio pluries egregie perfunctus, majora promeritus, ad Episcopatum Porphyriensem promotus, Pontificio Solio inter Episcopos Assistens, sub Alexandro VII. Clemente IX. Summis Pontificibus Sacrarii Apostolici Praefectus, pietatis obsequiis addictus, coenobia restauravit, sacella extruxit, ecclesias ornavit. Ultimo elogio toto asse operibus piis impenso obiit anno salutis* 1669. *aetatis suae* 73. *Familia Landuccia gentili optimo posuit.* Suae doctrinae monumenta reliquit: *I. Sylvam Ilicetanam, scilicet originem, progressum etc. celeberrimae Augustinianae Congregationis de Iliceto, latine, et italice.* 2. *Originem Augustiniani templi S. Mariae de Populo apud portam Flaminiam in Urbe.* 3. *Historiam nostri B. Nicolai Mariscotti Senensis, vulgo prophetae nuncupati.* Haec postrema habentur tantum italice.

Digitized by Google

V. Andreas Lopez.

V. Andreas Lopez, Hispanus, fuit Religionis nostrae conversus. Dum adhuc in saeculo vitam degeret, divitiarum amore captus, in occidentales Indias proficisci voluit, ibique mercaturae exercendae se addixit. Verum cum post varias fortunae vicissitudines, variasque locorum mutationes cunctae res suae pessum ivissent, temporalium bonorum instabilitatem expertus, inania saeculi blandimenta contemnere atque monasticum aliquod institutum amplecti deliberavit. Itaque voti compos factus, Limae apud Augustinianos tunicam induit, fratrum famulantium coetui adscriptus. In ipsis religiosae vitae primordiis provectam quamdam, minimeque dubiam pietatem ostendit; quamobrem ad solemnem votorum nuncupationem perquam libentissime a Patribus admissus fuit, atque coenobii januae custodiendae praepositus. Exinde vero tam magnum in religiosae perfectionis semita progressum fecit, ut usque ad intimam cum Deo unionem pervenire potuerit; a quo propterea tum frequentibus ecstasibus, tum prophetiae spiritu, tum denique miraculorum dono decoratus fuit. Verum praestat ut, brevitatis causa reliquis omissis, unum saltem hujus rei exemplum in medium proferamus. Itaque cum aliquando egena quaedam mulier crudam carnis offam pro jusculo viro aegrotanti ex ea eliciendo postulasset, ipse autem econtra, prout in promptu habebat, coctam tradidisset, dicens: *Antequam domum pervenias, in crudam evadet*, continuo factum dicto respondit. Quadam die cum ante SS. Sacramenti altare in genua provolutus oraret, ac simul inter orandum quasdam nescio quas querimonias ingeminaret, hanc a Christo vocem audivit: *Andreas ad quid venisti? Non enim ad conquerendum, sed duntaxat ad me laudandum ego te in hunc locum adduxi.* Multis praeterea arcanis apparitionibus dignatus fuit,

Digitized by Google

atque has inter aliquando instar Jacob mysticam scalam ad coelum pertingentem aspexit, per quam multi omnium Ordinum coenobitae ascendebant, et descendebant, quorum tamen aliqui antequam ad summitatem pervenirent, deorsum praecipites ruebant. Quorsum autem haec arcana visio spectaret suus Angelus Custos postea illi patefecit. Multis item aliis signis, ac miraculis claruit, quae apud nostratem Sebastianum de Portillo legi possunt. Tandem Andreas noster meritis, ac virtutibus cumulatus, sanctissimae vitae cursum complevit anno 1656. aetatis suae 82. et professionis religiosae 36.

Fr. Anselmus Hormanseder.

Anselmus Hormanseder, Viennensis, alumnus provinciae Austriae, florebat saeculo decimo octavo. Anno 1721. creatus fuit sacrae Theologiae Doctor Universitatis Viennensis, et 1722. Magister Ordinis. Quindecim annos partim Graecii, partimque Viennae Philosophiam, ac Theologiam docuit. Postea fuit prior in praefata civitate, et provincialis, obiitque prior Pruggensis anno 1740. Consule nostratem Ossinger. Scripta ejus typis edita sequentia sunt: I. *Oratio panegyrica in laudem S. Stephani martyris.* 2. *Philosophia universa centum quaestionibus tum veterum, tum recentiorum philosophorum placita complectens.* 3. *Annus sanctus Augustinianus, idest morales annotationes circa vitam, mortem, virtutes, et miracula Sanctorum, Beatorum, et Venerabilium utriusque sexus ex antiquo Eremitarum Ordine S. P. Augustini per omnes anni dies. Opus bipartitum, magna pietate, et stylo germanico non minus erudito, quam ornato scriptum, cum figuris.* 5. *Hecatombe theologica, seu centum quaestiones ex universa Theologia Aegidiana olim a P. M. Friderico Ga-*

Digitized by Google

vardi sex tomis divulgata, nunc duobus opusculis comprehensa. 5. *Ordinandus examinatus, et approbatus, seu responsa ad quaestiones, quae ordinandis proponi solent. Praemittitur poema centum versibus constans de S. Catharina. Opusculum praedictum multa continet utilia, quae in aliis similibus libris desunt.* 6. *Parva Ethica, seu doctrina moralis quomodo homo suos affectus ad propriam et aliorum utilitatem regere, vitia oppugnare, et virtutes propugnare debeat, germanice.* 7. *Reliquit etiam multa manuscripta.*

Fr. Antonius Dominicus Gandolphus.

Antonius Dominicus Gandolphus, Ligur de Vintimilio, alumnus Congregationis Januensis, et sacrae Theologiae Magister, a nostrate Ossinger dicitur vir omnibus artibus liberalibus instructus, et in sacris litteris peritissimus, qui apud omnes propter acre, et profundum ingenium, atque eruditionem historicam summo loco est habitus. Inter praecipuos Italiae Academicos ob doctrinae amplitudinem, atque nominis celebritatem adnumeratus fuit: nimirum inter Arcades et Infecundos Romae, Physiocriticos Senarum, atque Apatistas Florentiae. Fuit apud Ordinem concionator generalis. Decessit anno 1707. Commendatur a Ludovico Morero, Augustino Oldoino, Christiano Jocher, aliisque externis. Multa scripsit tam latine quam italice, ex quibus praecipua sunt sequentia, quae typis impressa habentur: I. *Epistolae historicae evulgatae anno* 1697. *in quarum secunda exponit quae Vintimilienses anno* 1625. *propter sitim perpessi sunt. In sexta refert vitam Marchionis Serra, atque in septima agit de clade, quam anno* 1684. *classis gallica Genuae intulit.* 2. *Flores poetici Eremi Augustinianae.* 3. *Dissertatio historica de ducentis Augustinianis scriptoribus, qui obierunt*

Digitized by Google

post magnam Ordinis unionem usque ad finem Tridentini Concilii, latino sermone exarata. 4. *De Cardinalibus Augustinianis sub titulo:* Porpore Agostiniane 5. *Vitam nostri V. Joannis de Castro ex idiomate hispanico in italicum vertit.*

Fr. Antonius Gagliardi de Rota.

Antonius Gagliardi de Rota, Eremita Augustinianus, Mediolanensis coenobii D. Marci alumnus, post egregie navatam philosophicis, theologicisque studiis operam, Cathedram ascendere jussus, easdem disciplinas sui Ordinis tyronibus ad plures annos non sine ipsorum emolumento tradidit, subindeque Magisterii lauream assequutus est. A docendi munere ad regiminis onus subeundum concordi eligentium calculo adlectus, quae pietatem, quaeve oeconomiam tangunt, sedulo curavit. Augustinensi igitur in Insubria Provinciae primum, deinde S. Marci asceterio ad biennium successive praefuit. Mirum porro dictu est, quam exacte, suaviterque ad legum normam servandam, illarum maxime quae Dei cultum respiciunt, (ipso in primis caeteris praeeunte) subditos alliceret; quorum quidem animos exemplo, prudentia, humanitateque sibi arctissime devinxerat. Praefulgidis hisce dotibus vim dicendi, ac majestatem quamdam modestiae copulaverat, ut merito potens in opere simul ac sermone haberetur: hinc omnibus acceptissimus, praecipue tamen sapientissimis Reipublicae Venetae Patribus, quorum supremo decreto (Gagliardo ipso agente) Palatiaghi coenobium, in eorum dominio, ac Bergomensi tractu situm, perpetuo regimini Augustinensium D. Marci commendatum fuit. Admiratione profecto ac memoria dignum hoc est, quo gravissimorum hujusmodi virorum nedum eximia in Antonium

Digitized by Google

nostrum benevolentia, sed et plena in probitate, ac ingenuitate Mediolanensium Augustinianorum fiducia comprobatur. Bibliothecam interim dicti coenobii Mediolanensis (cujus Antonio demandata fuerat custodia) pluribus voluminibus auxit. Caeterum quidquid illi supererat temporis vel a regendi cura, vel a piis exercitationibus, totum lectioni aut scriptioni impendebat: unde plura cum latina tum vernacula lingua elucubravit. Quae autem italice ac erudite pro aetate sua scripsit, caritatem quidem erga Deum, et proximum, peculiareve auctoris obsequium in B. Virginem praeseferunt; at sui temporis in scribendo corruptelam adeo evincunt, ut vel ex sola praetitulationum inspectione satis dignosci queat. Obiit vir doctus aeque ac pius circa initium anni 1688. Ita iisdem verbis Philippus Argelati, qui in sua bibliotheca Mediolanensium scriptorum haec recenset Gagliardi nostri opera impressa: I. *Sagra Zona di Maria Santissima di Consolazione, in cui sono ristretti tutti i beni spirituali etc.* 2. *Il vero amico sino alla morte, da cui all' amico infermo si porgono ajuti salutari per il buon viaggio all'altra vita etc.* 3. *La vera scuola per gli agonizzanti aperta ad ognuno che deve morire, nella quale per mezzo di alcuni pii discorsi s' insegna il modo di passare con facilità all' eterna felicità.* 4. *Conserve spirituali per gl' impensati bisogni dei dicitori evangelici, e sono varj sermoni per il Carnevale, Domeniche, Venerdì, e Sabbati della Quaresima.* 5. *Il pittore di se stesso, ed è il cristiano che dagli originali di alcune delle sublimi azioni di Cristo ricava in quindici lezioni le copie per adornare se stesso.* 6. *Il divoto di ogni dì, cioè divozioni per ogni giorno etc.* 7. *Vergine nel cuore ferita, cioè sette pii discorsi sopra li sette più penosi dolori provati da Maria etc.* 8. *La Santa anatomia che consiste in cinque pie lezioni, ed alcune divozioni sopra le cinque membra del Redentore da crudi ferri aperte.* 9. *La Susanna divotamente considerata, ossiano ragionamenti spirituali sopra la storia della casta Susanna.* 10. *La cele-*

Digitized by Google

ste Pandora, ed è Maria sempre Vergine, cui fanno a gara di arricchire le persone divine, e fanno altresì a gara di onorare le persone umane. 11. *La virtù mascherata, e senza la maschera, curioso, e fruttuoso trattenimento per chi brama lettura di sollievo, e di profitto.* 12. *Uomo di Dio.* 13. *Li sette pianeti nel cielo di Maria.* 14. *Le sette maraviglie del cielo, e sono le sette festività di Maria.* 15. *Le nove gemme di Ezecchiele, e sono le nove virtù precedenti al suo santissimo parto etc.*

Fr. Antonius Magerl.

Antonius Magerl, Viennensis, alumnus Provinciae Austriae, fuit celebris suae aetatis per Germaniam concionator, quo in munere ita egregie se gessit, ut praedicatoris generalis titulum, atque honores apud Ordinem promeruerit. Fuit Prior Graecensis atque Pruggensis, obiitque Viennae anno 1751. Laudatur praecipue a nostrate Ossinger. Typis evulgavit: I. *Compendiosam historiam vitae gloriosi D. P. Aurelii Augustini rhytmice conscriptam.* 2. *Christianas considerationes de triplici passione, Christi Jesu, peccatoris, et diaboli. Secunda editio facta fuit sermone germanico.* 3. *Festivale continens* 99. *conciones germanicas.* 4. *Reliquit etiam plures conciones manuscriptas.* Consule nostratem Ossinger.

Fr. Antonius de-Purificatione.

Antonius de Purificatione, Lusitanus, anno 1617. religiosam professionem apud nostrates emisit. Studiorum curriculum emensus, apud Ordinem multos annos Philosophiam,

Digitized by Google

ac Theologiam docuit, et quia multa tam sacra, quam profana eruditione praeditus erat, idcirco annalium suae Provinciae scriptoris officium illi demandatum fuit, in quo egregie procul dubio, atque laudabiliter se gessit, ut ejus opera testantur. Postea vero Parochus Portuensis ad S. Joannem constitutus, cum se ad conciones quadragesimales pararet, ita Ossinger, vires sibi deficere sensit; quare humillime Superiores rogavit, ut alium sibi substituerent, affirmans se feria sexta, quae fuit dies 16. Aprilis anni 1658. moriturum. Et revera Ecclesiae Sacramentis devotissime receptis, praedicta die ex hac vita migravit, suae pietatis atque doctrinae memoriam in sequentibus voluminibus relinquens. Vide nostratem Ossinger, Nicolaum Antonium Hispalensem, Didacum Barbosa Machado, atque Christianum Jocher. Praelo mandavit. I. *Theatrum triumphale, sive indicem rerum notabilium suae Provinciae Lusitanae sexdecim choris distinctum.* 2. *Libros tres de viris illustribus antiquissimae Provinciae Lusitanae Ordinis Eremitarum S. P. Augustini.* 3. *Chronologiam monasticam Lusitanam, in qua omnes Sancti, ac Beati, et venerabiles personae regulares, quae in Lusitaniae Regno, ejusque ditionibus natae, aut sepultae sunt, fidelissime, ac brevissime referuntur.* 4. *Historiam antiquissimae Augustinianae Provinciae Lusitanae.* 5. *Apologiam Ordinis nostri.* 6. *Memoriale diversarum Missarum, et orationum pro vivis, et pro defunctis, quas composuit. S. P. Augustinus etc.* Haec tria postrema exarata sunt sermone Lusitano, caetera autem latino.

Fr. Augustinus Aetinus.

Augustinus Aetinus, Perusinus, vir fuit in chronologia, atque in S. Scripturae lectione admodum versatus.

Digitized by Google

Dicitur a nostrate Ossinger vir in omni litteratura, praesertim divinarum Scripturarum studio instructus. Florebat saeculo decimo octavo. Posteris reliquit: I. *Biblia aurea, seu locos communes ordine alphabetico congestos, imp. Perusiae anno* 1728. 2. *Breve sacrum chronicon, in quo a Mundi exordio usque ad Christi nativitatem, et passionem per cyclum luni-solarem annorum* 1932. *juxta tabulas Romano-Ecclesiasticas, sibique constantem septuaginta interpretum supputationem nedum ortus Patriarcharum, Principum Israelis, Assyriorum Regum, Romanorumque Imperatorum certum tempus statuitur, sed et novilunium paschale non amplius loco movendum perpetuo figitur.* 3. *Calendarium chronologicum, ubi aerae, et epochae a creatione Mundi usque ad persecutionem Diocletiani, et Hegiram Arabum, die mense, et anno signatis, describuntur.* Haec duo postrema opera typis impressa fuerunt cura, et studio praestantissimi nostri poetae, et historici Joannis Baptistae Cotta a Tenda.

V. Augustinus Antonius Pasqual.

V. Augustinus Antonius Pasqual, Hispanus, in oppido vulgo dicto Guadasuar, in Regno Valentiae anno 1607 ex piis parentibus ortus, prius coelo quam terrae nasci visus fuit; nam cum difficili partu ederetur, prius ab obstetrice baptisma accepit, quam hanc diei lucem aspiceret. Videtur etiam ab utero matris egressa esse cum illo pietas, et religio; ita enim jam inde a puero in res sacras ferebatur, ut consuetos puerorum ludos omnino abhorrens, duntaxat aut altaria domi componendo, aut processiones simulando, aut Missarum caeremonias imitando, aut demum suis coaequalibus salutaria monita, quae a concionatoribus audierat, e quodam suggesto praedicando, sibi solatium captaret. Qua-

Digitized by Google

dam die cum in quodam fluvio enatans in submersionis periculum venisset, votum Deo vovit, si inde incolumis evaderet, se Eremitarum Ordini nomen daturum. Sospes itaque Dei ope redditus, votique jugiter memor, ubi decimum quartum attigit annum in Valentino coenobio Augustinianam tunicam induit. Quod ubi mater ejus rescivit, Valentiam festinanter profecta, illum omnimodis domum reducere sategit; at frustra, nam adolescentulus carnem ac sanguinem non respiciens nulla ratione ad jam susceptum religiosae vitae institutum deserendum adduci potuit. Tyrocinio itaque laudabiliter peracto solemnia vota summo cum gaudio Deo nuncupavit, atque ipso ejus professionis die noster V. Possidonius Major, qui prophetiae spiritu praeditus fuisse creditur, futuram illius sanctitatem praedixit. Sacerdotio initiatus, atque Philosophiae, et Theologiae professor, divinique verbi Dei praeco a Superioribus constitutus, pristinum spiritus fervorem aliquantulum tepefecit, quippe qui suam potius quam Dei gloriam in horum munerum perfunctione quaerere caepit. Verum quoniam electis Dei omnia cooperantur in bonum, idcirco haec ipsa levis juvenilis mentis aberratio Augustino nostro majoris sanctitatis causa fuisse videtur. Nam cum patre vita functo matri omnibus precibus illum domum revocanti sine ulla cunctatione morem gessisset, contigit quadam die, ut unus e discipulis ejus, siquidem humanarum litterarum scholam aperuerat, ab illo jussus in cuniculum quemdam sclopetum explodere, ipsammet ejus matrem inopinato obviantem plumbea glande fortuito percusserit, humique mortuam prostraverit. Quae sane infausta matris mors ejus novae spiritualis vitae felicissimum exordium fuit; statim enim ad claustrum reversus, arctissimam perfectionis viam, asperrimumque vitae genus aggressus fuit, illudque ad mortem usque per 46. annos (excribam pene ad litteram nostratem Jacobum Ferrer ejus vitae scriptorem) invicta ac inflexi-

Digitized by Google

bili animi firmitate retinuit. Vestibus lineis numquam amplius in posterum usus fuit, otio, corporisque etiam licitis oblectamentis juge bellum indixit, numquam fere fessa membra lecto imponebat, sed econtra vel super tabulas, aut super scamnum brevissimum somnum carpebat, atque in ipsa summa hyeme integras noctes nudato capite, humique prostratus in medio claustri orando traducebat. Ciliciis, verberationibus, jejuniis, aliisque id genus poenitentiae modis corpus adeo extenuabat, ut spiritu duntaxat vivere videretur. Quapropter cum aliquando a praefato Antonio Ferrer rogatus fuisset, ut nimiam vitae austeritatem aliquantulum temperaret, hoc illi dedit responsum: *Unum sibi hunc esse dolorem, quod se morti proximum videbat, et nullam egerat poenitentiam, quam sibi maxime expediebat arripere, quia Dei judicium vehementer timebat.* Inter caetera autem singularis ipsius poenitentiae argumenta hoc quod sequitur peculiari mentione dignum videtur, quod nempe cum Provincialis esset aliquando iter agens aestivo tempore prope meridiem officium recitaturus sub quercu sedit, ubi multa erant tabanorum agmina, a quibus se flabellis socii defendebant, sed ipse eos a se expellere noluit, neque ut per alios expellerentur permisit, quamvis faciem ejus, manus, et collum assiduis innumerisque punctionibus divexarent. Ad haec tam ardentissimam sitim libens jugiter patiebatur, ut aestuantibus prae nimia siccitate, atque arescentibus faucibus ipsa quoque ei deficeret saliva ad offellas humectandas, quibus epistolas obsignaret, atque insuper cum acutissimis podagrae doloribus cruciaretur, libenter sustinens, nihil aliud quam haec verba proferebat: *Domine propter tui amorem sit, Domine magis, magis Domine, magis.* Praeterea tantae fuit humilitatis ut Provincialis Aragoniae munus nonnisi aegre atque coacte admiserit, Episcopatum vero Oriolensem omnimode recusarit, tantaeque insuper mansuetudinis, ut persecutiones, opprobria, convicia, aliasque etiam a subditis

Digitized by Google

sibi illatas injurias aequo atque imperturbato animo sustinuerit, quamvis caeteroquin indolis ferventis esset, atque ad iracundiam proclivis. Animarum zelo cum maxime ferveret, tum orationis exercitium, tum Sacramentorum frequentiam in toto Valentiae Regno summopere promovit, innumerosque fideles publicis privatisque exhortationibus ad christianae perfectionis sequelam adduxit, variasque perditissimas mulieres ad meliorem frugem revocavit, atque inter haec turpissimum quoque Michaelis Molinos Quietismum, etiam antequam Romae damnaretur, acerrime impugnavit, multasque moniales ab hac foedissima labe sua industria expurgavit. Anno 1671. quadam die cum in Collegiata Setabensi Servus Dei concionaretur, atque ob multa, eaque gravia crimina divinam illi civitati ultionem minitaretur, et quasi Sodomam, et Gomorrham exterminandam toto orationis impetu, vehementissimaque vocis elatione clamaret, derepente ita horrificus turbo tonitrua miscens, coruscationes, et fulgura cum ingenti aquarum imbre exortus fuit, ut tota urbs pessum itura videretur. Qua efficacissima elementorum voce cum apostolici viri declamationibus conjuncta factum fuit ut plurimi pervicacissimi peccatores ad poenitentiam commoti sint, atque Senatus consulto foedissimum, quod permittebatur, lupanar a fundamentis deletum. Erga proximos, praesertim aegrotantes, mirabili caritate flagravit, atque SS. Eucharistiae Sacramentum, Deiparam sine labe conceptam, Divumque P. Augustinum incredibili devotione prosecutus fuit. Cum itaque tot tantisque eximiis virtutibus Augustinus noster praeluceret, mirum profecto videri non debet si apud omnes in tota Aragoniae provincia pro viro sancto haberetur. Tandem incomparabilis coenobita, miraculis ante ac post mortem clarus, necnon prophetiae dono illustris, apud Setabense coenobium, in quod regularem observantiam invexerat, obdormivit in Domino anno 1691. aetatis suae 84. Reliquit qua-

Digitized by Google

dragesimales conciones, quas latinitate donavit praefatus noster Jacobus Ferrer, typisque edidit item noster Jo. Facundus Clemente.

Fr. Augustinus Arpe.

Augustinus Arpe, Genuensis, alumnus Congregationis S. Mariae de Consolatione, floruit Ecclesiae saeculo decimo octavo. Fuit insignis theologus, historicus, et poeta, ut ea quae praelo tradidit, opera testantur. Fuit etiam Genuae consultor S. Officii. Huic eximio viro Augustinianus Ordo plurimum debet; nam Eremitanos heroes carminibus celebravit, Sanctosque, ac Beatos ejusdem Ordinis piorum imitationi proposuit. Idipsum autem clarius patebit ex sequentibus, quas typorum ope publici juris fecit, ipsius lucubrationibus, quae nimirum sunt: 1. *Summa totius Theologiae nostri Aegidii Columnae quinque tomulis distincta.* 2. *Pantheon Augustinianum, seu elogia (versibus latinis) virorum illustrium Ordinis nostri.* 3. *Diarium (italice) Sanctorum, ac Beatorum ejusdem nostri Ordinis typis editum Genuae anno* 1712. 4. *Memorias ejusdem nostri Ordinis italico sermone exaratas.* Consule nostratem Ossinger.

Fr. Augustinus Gibbon.

Augustinus Gibbon, Hibernus, sacrae Theologiae Magister, studiorum curriculum Vallisoleti, et Salamanticae in Hispania emensus fuit, ac postea in patriam revocatus, ibidem Theologiam profiteri coepit; verum quia lingua et calamo catholicam Fidem egregie defendebat, ab haereticis

Digitized by Google

exulare coactus, in Germaniam se contulit, ibique a Germanis nostratibus benigne receptus, Herbipolensi conventui aggregatus fuit. In ejusdem civitatis Athenaeo publice Theologiam docuit, et Doctoratus insignia accepit. Anno 1659. erat Vicarius generalis Thuringiae, et Saxoniae, atque 1668. Provinciam Rheno-Svevicam administrabat. Ad meliorem vitam transivit anno 1676. Memoratur etiam a Christiano Jocher in universali lexico eruditorum, et Joanne Moller in Cimbria litterata. Typis edidit latine sequentia opera, quae nimirum sunt: I. *Theologia scholastica ad mentem D. Thomae septem tomis in 4 comprehensa.* 2. *Lutherus Calvinismo schismaticus quidem, sed reconciliabilis.*

Fr. Augustinus Gioja.

Augustino Gioja a Juvenatio in Peuceria plurimum debet Augustinianus Ordo propter multa per ipsum obtenta privilegia, variaque vel instaurata, vel a fundamentis excitata templa atque coenobia, inter quae primum locum obtinet hoc magnificentissimum S. Augustini de Urbe. Quanta eruditi hominis fama apud contemporaneos valuerit ex permultis patet elogiis tum italicis, tum graecis, tum latinis, quae occasione illius ad perpetuum Ordinis Generalatum assumptionis nobiliora Italiae ingenia in ipsum certatim congesserunt, quaeque typis edita in nostra bibliotheca Angelica asservantur. Fruebatur etiam peculiari gratia atque existimatione apud immortalem Pontificem Benedictum XIV. qui complures familiares epistolas ad illum sua manu scripsit, eumque ante susceptum universi Ordinis regimen (erat Assistens) Visitatorem Apostolicum constituit, atque non semel aegrotantem visitavit. De illo etiam aliquando dixit quod cum multa Sedis Apostolicae satisfactione, atque Or-

Digitized by Google

dinis utilitate tum Visitatoris tum Generalis officium exercuit. Fuit insuper examinator Episcoporum. Peculiarem mentionem merentur postrema illius morientis momenta. Nam in primis fratribus, caeterisque adstantibus, qui illi sanitatis pollicitatione blandiebantur, respondit: *Optandum potius ut mortem, non vitam ulteriorem habeam. Sic enim merentur peccata mea, sic etiam placatur divina justitia, sic tandem ab offenso Domino sperari potest misericordia, ut me excipiat in salutis locum. Justum, justum est ut moriar; in me siquidem moritur maximus hujus mundi peccator.* Deinde haec verba identidem congeminabat: *Domine hic ure, hic seca, hic non parcas ut in aeternum parcas. Domine adauge dolorem, sed adauge patientiam.* Ad Deiparae autem imaginem conversus sic clamabat: *Monstra te esse Matrem.* Inter haec videns sui exitus horam nondum appropinquasse: *Quando superveniet mors*, dicebat, *ut ab omni me eripiat periculo peccandi, et offendendi Deum meum?* Tandem cum a Sacerdote audisset suae profectionis tempus jam jam imminere, sublatis in coelum oculis, consertisque manibus dixit: *Sit nomen Domini benedictum*, ac petita, et accepta benedictione papali in osculo Domini expiravit Romae anno 1751. aetatis suae 57. post decem circiter mensium infirmitatem patientissime toleratam. Ex Ordinis archivio. Typis edidit: I. *Decreta visitationis Apostolicae peractae in Provincia Terrae Laboris.* 2. *Acta visitationis Apostolicae in Provincia Romana Discalceatorum.* Extat ejus marmoreum simulacrum cum apposita inscriptione in templo S. Augustini de Urbe supra januam lateralem.

Fr. Augustinus Lubin.

Augustinus Lubin, Parisiensis, quamvis aliis quoque nominibus summopere commendetur, praecipue tamen apud

Digitized by Google

litteratorum rempublicam celebratur ob vastissimam Geographiae scientiam. Natus est Parisiis anno 1624. atque adolescens quindecim annorum ibidem apud coenobium suburbii S. Germani Augustinianum habitum induit, votaque solemnia subinde nuncupavit anno 1640. Postea vero cum in sublimioribus, ac praesertim theologicis disciplinis mirum profectum fecisset, concionandi munus a superioribus sibi demandatum alacriter suscepit, in eoque tum in ipsa Parisiensi civitate, tum in aliis quoque illius Provinciae urbibus per complures annos laudabiliter se exercuit. Cum autem historiae addiscendae animum adjicere vellet, atque ad hanc nobilissimam eruditionis partem rite comparandam Geographiae notitiam necessariam esse probe intelligeret, huic studio summa animi contentione totum se addixit. Hac inita palaestra, nihil antiquius habebat quam ut omne tempus quod illi a consuetis regularis observantiae officiis vacabat, penitiori rerum geographicarum investigationi sedulo impenderet, in quo nimirum glorioso molimine ita prospere feliciterque cuncta illi evenerunt, ut unus e primis evaserit suae aetatis geographis, fueritque tum Regis Christianissimi, tum Ordinis geographus generalis renuntiatus. Tanta erat apud omnes nostri Lubini fama, ut viri eruditiores, ipsique etiam scriptores, dum aliquod magni momenti opus praelo parare vellent, illud antea ad ipsum suis geographicis annotationibus illustrandum deferrent. Itaque factum fuit ut cum Abbatis Tallemant nova vitarum Plutarchi versio gallica, tum Vitrei Biblia latina, cum demum Usserii annales notis et animadversionibus geographicis P. Augustini Lubini instructi ex officinis Parisiensibus prodierint. Ipse quoque doctissimus du Hamel qui Bibliis cum selectis suis annotationibus anno 1705. Parisiis impressis novum indicem geographicum adjecit, ultro confessus fuit se in eo concinnando nostri Lubini laboribus adjutum fuisse. Optime etiam caelaturam calluit; quapropter tabulas geographicas, seu

Digitized by Google

mappas, uti vocant, a se egregie delineatas, nitide et accurate in aes incidit, cujus rei exemplum sunt 60. chartae corographicae, et 21. topographicae, quibus suum Orbem Augustinianum exornare voluit. Hoc autem sane egregium opus vehementissimum Lubini nostri erga Ordinem affectum satis superque ostendit; nam in eo conficiendo improbum, ac molestissimum laborem impendit, cum ex omni mundi plaga omnium coenobiorum peculiares notitias sibi comparare debuerit; quod quam difficile sit ii tantum qui experti sunt dignoscere possunt, siquidem non omnes de proprii Ordinis honore adeo solliciti sunt, ut accuratis scriptorum sciscitationibus satisfacere satagant. Parcat Deus istorum ignaviae! Verum nostri praestantissimi geographi descriptionem ordine prosequamur. Itaque illum singulari praeditum fuisse pietate, atque virtutibus omnibus, quae honestum coenobitam decent, diarium eruditorum gallicum ab Ossinger citatum aperte innuit. Prae caeteris autem commendatur singularis illius modestia, qua dignitates, atque conspicua Ordinis munia non modo non ambiebat, verum etiam omnimode refugiebat, ac nonnisi obedientiae vi coactus acceptabat. Quamobrem Superiorum voluntati obtemperans cum Prioris, tum Visitatoris, tum Provincialis, tum demum Assistentis officia admisit. Hoc postremo loco constitutus Romae cum degeret, brevi occasionem nactus est suae geographicae peritiae illustria specimina ibidem exhibendi. Nam postquam, verba sunt Ossinger, de numerosis Italiae Sedibus Episcopalibus sufficientem sibi notitiam paraverat, ad elaborandam *Italiam Ecclesiasticam* manum et animum adjecit, quam ubi multa cura satis limatam existimavit, ipsi Supremo Pontifici Innocentio XII. die 26. Augusti anni 1691 ad sacratissimas manus praesentavit. Circa idem tempus item Romae egregium opus elucubravit, praeloque tradidit de totius Italiae Abbatiis, librorum subsidium, atque sumptus illi suppeditante Emo Card. Collalto mecoenate ipsius mu-

Digitized by Google

nificentissimo. Sui muneris sexennio transacto in patriam reversionem fecit, atque indidem post biennium, anno scilicet 1694. ad regionem immortalitatis transivit annos natus 71. Ejus memoria habetur apud omnia lexica, in quibus de viris eruditis sermo instituitur. Opera ejus typis evulgata sequentia sunt: 1. *Augustinus ecclesiastes, sive regula, et ideae concionum ex operibus S. P. Augustini desumptae.* 2. *Officium hebdomadis sacrae juxta Missale, et Breviarium Romanum cum explicatione caeremoniarum, gallice.* 3. *Martyrologium Romanum geographicis tabulis, et notis historicis illustratum. Sunt chartae geographicae* 13 *manu auctoris in aes insculptae, et post quamlibet chartam loca in ea contenta serie alphabetica posita cum eruditis adnotationibus.* 4. *Orbis Augustinianus, sive conventuum Ordinis Eremit. S. P. Augustini chorographica, et topografica descriptio.* 5. *Tabulae sacrae geographicae, sive notitia nominum utriusque testamenti ad Geographiam pertinentium.* 6. *Tabulae geographicae ad vitas virorum illustrium Plutarchi adornatae a R. P. Lubin ad novam versionem ex graeco factam per D. Abbatem Tallemant, gallice.* 7. *Tabulae in annales Usserianos, et observationes geographicae.* 8. *Mercurius geographicus, seu curiosa manuductio per chartas geographicas, gallice.* 9. *Continuatio clavis magni registri Beneficiorum Galliae continens Abbatias cum anno fundationis, et nomine fundatorum, ac situ earum. Accedunt taxae Beneficiorum Consistorialium in Gallia extantium.* 10. *Italia Ecclesiastica in suas viginti distincta Provincias, sive Italiae Episcopales Ecclesiae cum extantes, tum excisae.* 11. *Abbatiarum Italiae brevis notitia, qua earum titulus, Ordo, Dioecesis, fundatio, mutationes, situs, etc. exactius exprimuntur.* 12. *Historia Laponiae, ejus descriptio, origo, mores, et modus vivendi inhabitantium, ipsorum religio, magia, et res extraordinariae illius regionis una cum additionibus rarissimis etc. Opus traductum ex latino in gallicum per P. Augustinum Lubin, et alia.*

Digitized by Google

Fr. Carolus Moreau.

Carolus Moreau, Gallus, vir fuit excellentis ingenii, mirae eloquentiae, atque tam magnae eruditionis, ut sua aetate vix sibi parem habuerit. Audito tanti viri obitu noster Generalis Hieronymus Valvasorius Galliae Provinciali respondit: *Utinam Religio eum e mortis faucibus posset redimere, qui Tertullianum suis e cineribus excitavit, orbique reddidit redivivum.* Obiit autem vir plane doctissimus, ac de ecclesiastica republica optime meritus anno 1671. valde senex. Laudatur a Francisco Combesis in bibliotheca concionatoria, atque a Christiano Jocher in universali Lexico eruditorum. Typis evulgavit latine: 1. *Omniloquium alphabeticum Tertulliani, sive Tertulliani opera omnia in novum ordinem disposita, exposita, et illustrata, tom.* 3. 2. *Vindicias quadripartitas pro D. P. Augustino, et Augustinianis, sive epitomem omnium quae disputari solent circa D. Augustini opera quaedam, monachatum, habitum, regulam, Apostolorum, et Augustini calceaturam, antiquitatem Ordinis Augustiniani, ejusque approbationem etc.* 4. *Homilias, sive tractatus amplissimos in omnes solemnitates annuas, et festa propria Sanctorum, singulas anni Dominicas, etc. in quinque tomos distributos.* 5. *Zodiacum mysticum, sive analogiam Zonae Augustinianae, et coelestis.* 6. *Thesim apologeticam pro D. Augustini doctrina, ejusdem statu, habitu, regula etc.*

Fr. Augustinus De Rossi.

Augustinus de Rossi, Ligur, ex oppido S. Michaelis prope Rhapallum, sacrae Theologiae Doctor, non solum in theologicis disciplinis egregie versatum, verum etiam italicae,

Digitized by Google

atque latinae linguae valde peritum se ostendit in pluribus lucubrationibus, quas tum versu, tum soluta oratione in lucem emisit. Ab Oldoino in Athenis Ligusticis dicitur theologus, poeta, et orator magni nominis. Septennium fuit Principis Andreae Doria praeceptor, ac secretarius ab epistolis latinis, obiitque in ejusdem Principis palatio anno 1668. aetatis suae 40. Scripsit varias orationes, epigrammata, odes, elegias, et alia, quorum quaedam videri possunt apud nostratem Gandolphum in suis floribus poeticis Eremi Augustinianae. Consule etiam nostratem Jo. Felicem Ossinger.

Fr. Aurelius Piette.

Aurelius Piette, Belga, sacrae Theologiae Doctor, atque professor Lovaniensis, dicitur ab Ossinger vir magnae famae, maximique in schola Lovaniensi nominis. Fatis concessit anno 1730. Saepe citatur a nostrate Jo. Laurentio Berti. Typis edidit: 1. *Elucidationes difficiliorum Theologiae quaestionum.* 2. *Theses selectas ex Theologia morali juxta inconcussa S. P. Augustini placita.* 3. *Theologiam Augustinianam per theses.* 4. *Theses de tribus virtutibus theologicis, de Ecclesia, et de Pontifice cum adjunctis quibusdam reflexionibus ad modernas controversias.* 5. *E gallico in latinum vertit primam, secundam, et tertiam institutionem pastoralem Jo. Josephi Languet Episcopi Suessionensis contra appellantes a constitutione* Unigenitus.

Fr. Balthasar Campuzanus.

Balthasar Campuzanus, Americanus, Limae in Peruvia ortus, ex Hispania originem suam duxit. Factus Augustinianus, primum suae Peruanae Provinciae Praefectus, ac

Digitized by Google

postea in Romana Curia Procurator generalis, et Assistens item generalis pro Hispaniarum Regnis apud Ordinem evasit. Romae apoplexi correptus fatis concessit anno 1666. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi in bibliotheca hispanica. Typis edidit hispanice: I. *Planetam catholicum super psalmum* 18. *sive de jure Indiarum.* 2. *Antiquitates Guadalaxarae.* 3. *De Summo Sacerdote.* 4. *De Reginae Sveciae conversione.* 5. *Discursus de peste.* 6. *Paraphrasim, seu interpretationem opusculi aurei summi sacrorum apicis Alexandri VII Pontificis Maximi.*

Fr. Bartholomaeus Faber.

Bartholomaeus Faber, natione Germanus, patria Herbipolensis, alumnus Provinciae Rheno-Svevicae, vixit saeculo decimo octavo. Vir fuit moribus integerrimis, ac valde pietati addictus, qui majorem vitae suae partem, ut ait Ossinger, religionis actibus exercendis, atque libris asceticis conscribendis impendit. Nam praelo mandavit sermone patrio: I. *Eremum mysticam pro exercitiis.* 2. *Scholam perfectionis christianae.* 3. *Vitam et passionem Christi.* 4. *Cibum spiritualem animae, idest exquisitas preces, et pietatis exercitia.* 5. *Epistolas spirituales.* 6. *Vitam christianam interioris hominis, et alia.* Hoc postremum opus latinitate donatum fuit a nostrate Aurelio Westhoven. Consule praefatum Ossinger, atque alium nostratem Antoninum Hohn in chronologia Provinciae Rheno-Svevicae.

Fr. Benignus Sichrowski.

Benignus Sichrowsky, Bohemus, sacrae theologiae Magister, fuit ejusdem facultatis Pragae ad S. Thomam

Digitized by Google

professor, Prior plurium conventuum, necnon pluries Provincialis, ac demum Germaniae Assistens generalis. Dicitur a nostrate Ossinger vir summae prudentiae, virtutis, et doctrinae. Extremum diem obiit Pragae anno 1737. Opera ejus, quae per praelum latine ad publicam lucem prodierunt, sequentia sunt: I. *Theologia scholastica Aegidio-Augustiniana in quatuor tomos distributa. Est compendium nostri Gavardi.* 2. *Soliloquia Augustiniana ad profectum religiosum plurimum conducentia, pro exercitiis spiritualibus ad Augustinianos.* 3. *Dissertationes duae, una canonico-moralis de privilegio Leonis X. Patribus Augustinianis concesso dispensandi super impedimento affinitatis, altera canonico-theologica super duplici virginali matrimonio venerabilis Servi Dei fr. Sebastiani ab Apparitione.* 4. *Diarium Sanctorum, ac Beatorum Ordinis nostri a nostrate P. Mag. Augustino Arpe idiomate italico scriptum latinitate donavit.* 5. *Soliloquia, meditationes, manuale, et regulam S. P. Augustini lingua bohemica typis mandavit.*

Fr. Bernardus Desirant.

Bernardus Desirant, Belga, sacrae Theologiae Doctor Lovaniensis, fuit Episcoporum Belgii sub Pontificatu Innocentii XII. ad S. Sedem contra Jansenistas Deputatus, historiographus regius, et historiarum in Universitate Lovaniensi professor publicus, ac ibidem facultatis theologicae magister, necnon theologus Caesareus, qui vastissimam rerum theologicarum scientiam cum variarum linguarum peritia conjunxit. A Clemente XI. Romam vocatus, in Archigymnasio Sapientiae sacrae Scripturae professor, et universalis in tota christiana republica contra haereticam pravitatem Inquisitionis qualificator, atque in Collegio Urbani VIII

Digitized by Google

de propaganda fide studiorum Pro-Praefectus constitutus fuit. Plurimis contra Jansenistas, (a quibus graves passus est persecutiones) et pravam eorum doctrinam editis libris clarus, obiit Romae anno Jubilaei 1725. aetatis suae 69. religiosae vitae 53. Ex vita ipsius, quae manuscripta reperitur in nostra bibliotheca Angelica ejus operibus praefixa. Opera ejus typis latine evulgata sequentia sunt: I. *De Ecclesia, et Pontifice.* 2. *De Romani Pontificis infallibilitate.* 3. *De auxiliis divinis in via media S. P. Augustini.* 4. *De methodo romano-catholica remittendi peccata.* 5. *De praescriptionibus SS. Eucharistiae ad protestantes sui temporis.* 7. *Commonitorium ad orthodoxos.* 7. *Dialogi pacifici inter theologum, et jurisconsultum contra libellum de quaestione facti Jansenii, variae quaestiones juris, responsa etc.* 8. *Tractatus de nullitatibus, aliisque defectibus schedulae, quam D. Henricus Malcorps cum suis corruperunt, typisque donarunt sub nomine sententiae latae.* 9. *Christiana salvatio testium catholicorum Silvani a S. Francisco, et Leopoldi a S. Theresia adversus schediasma Maximiliani Delbecque.* 10. *Curiositas arithmetica, sive paralellum inter* 35. *missionarios in Hollandia lapsos, et* 35. *Nestorianos Ephesi damnatos.* 11. *Consolatorium pro Romano-Catholicis per unitas provincias dispersis contra sex calumniatoria edita per missionarios lapsos circa excommunicationem pronuntiatam adversus Mathiam Torck.* 12. *Consolatorium secundum contra calumniatoria nova ejusdem Mathiae Torck.* 13. *Antidotum doloris contra crudelia gaudia exultantium quod D. Petrus Codde in sua erga Sedem Apostolicam inobedientia excesserit.* 14. *Honorius Papa vindicatus, sive historia Monothelismi.* 15. *Dissertatio dogmatica de oratione pharisaei, et publicani, sive de catholico sensu Orationis Dominicae contra R. D. Nicolai Heyendal apologiam.* 16. *Actio epistolaris de gratia, et libero arbitrio contra Jansenismum latentem in* 33. *propositionibus excerptis e quibusdam praefati Nicolai Heyendal dictatis.* 17. *Poenitentia chri-*

Digitized by Google

stiana, causa conversionis Petri Nicolai Tourteau. 18. *Nullibista castigatus, seu brevis defensio Poenitentiae christianae.* 19. *Auctoritas Episcopalis vindicata.* 20. *S. Augustinus vindicatus contra centum, et unam Paschasii Quesnelli damnatas propositiones,* 21. *Consilium pietatis de non sequendis errantibus, sed corrigentibus juxta retractationes Philippi IV. Galliarum Regis, seu ministrorum ejus circa gesta contra Papam Bonifacium VIII. tom.* 4. *et alia complura, quae legi possunt apud nostratem Ossinger, quaeque partim in nostra Bibliotheca Angelica asservantur.*

Fr. Bonaventura Attardi

Bonaventura Attardi, Siculus, floruit circa medietatem saeculi decimi octavi. Fuit S. Inquisitionis Siciliae consultor, et qualificator, in Catanensi Gymnasio publicus historiae sacrae professor, necnon suae Siculae Provinciae moderator. Laudatur ab Ossinger ob singularem ingenii praestantiam, atque insignem eruditionem. Nominatur etiam a Mazzuchellio. Typis edidit italice: I. *Responsionem ad librum, cui titulus:* Paulus Apostolus in mari, quod nunc Venetiarum sinus dicitur, naufragus. *In hac responsione demonstrat insulam ad quam D. Paulus naufragium fecit eam esse quae italice* Malta *nuncupatur:* 2. *Item alteram responsionem ad D. Ludovicum Muratori, in qua defendit votum sanguinarium, nempe votum effundendi sanguinem pro sustinenda. B. Mariae Virginis immaculata Conceptione.* 3. *Epistolam in qua probat S. Philippum de Argyra in Siciliam a Principe Apostolorum missum fuisse.* 4. *De monachismo Augustiniano in Sicilia.* 5. *Librum in quo agit de P. D. Georgio Benedictino Congregationis Ragusinae.*

Digitized by Google

Fr. Caesar Pronti pictor insignis, Joannes famosus architectus, et Petrus de Montoja item pictor celebris.

Caesar Pronti, celebris pictor, natus est apud Crustumium, vulgo *la Cattolica*, anno 1626. ex patre arco Antonio Baciocchi, atque matre Catharina Pronti Ariminensi. Appellatur autem cognomine matris, quia ipsemet istud patris cognomini praetulit, quod illi minime arridebat. Jam inde a puero ingenita quadam propensione se in pingendi artem ferri palam ostendit. Nam illum quotidie vidisses aut in Ecclesiis patrii oppidi simulacra defixis oculis studiose contemplantem, aut domi calamo, et atramento figuras, imagines, aliaque hujusmodi signa perpulchre delineantem. Quadam die cum Senogalliam ad nundinas una cum parentibus profectus fuisset, forte vidit apotecham effigiebus refertam; nec mora: clam parentes citius intravit quam vidit, ibique totus absorptus, parentum, nundinarum, cibi etiam, potusque oblitus usque ad vesperam impransus permansit, terra marique interea ab anxiis genitoribus frustra quaesitus. Inventus tandem ad vesperam, per nimias verberationes aeternum accepit suae desertionis monimentum, adeo ut postea dicere soleret *hoc maximum fuisse totius vitae suae infortunium.* Adultior effectus, Bononiam se contulit, ibique celeberrimum Guercinum magistrum habuit. Bononiae aliquot annos commoratus, inde postea discedens, Ariminum se contulit, ibique prope Augustinianum conventum sibi domicilium delegit. Hinc factum est, ut crebro Ecclesiam, atque coenobium adeundo, Eremitanum Institutum adamare coeperit, atque propterea paullo post, hortantibus etiam, atque invitantibus coenobitis, illud amplecti deliberavit. Post tyrocinium de more peractum studiorum causa Bononiam missus fuit, ut ibidem consuetis Religionis studiis operam navans, peroptatam quoque pingendi artem sub duce praefa-

Digitized by Google

to Guercino excoleret. Sub tali magistro tantum profecit, quantum ipsius opera, quae huc atque illuc intra et extra Italiam asportata fuerunt, atque universalis ejus fama testantur. Bononia relicta, Ravennam adiit, ibique sedem suam fixit; quamobrem P. Caesar de Ravenna in posterum nuncupari consuevit. Pluribus in locis peritissimum penicillum affabre exercuit, nimirum Ravennae in nostra, atque in metropolitana Ecclesia, in Archiepiscopali palatio, et alibi, item Arimini, atque Melignani, ac demum in variis passim aliis Ecclesiis, et palatiis praesertim per Romandiolam. Quippe quod, uti virum religiosum decet, valde erat ab omni lucri spe alienus, idcirco admodum exiguam, imo saepe nullam pro laboribus suis mercedem exigebat, victu duntaxat, aut fucorum pretio ut plurimum contentus. Nam cum aliquando Cardinali Albitio rusticanum palatium in pago caesenate situm egregie depinxisset, rogatus ab Emo quale sibi operum suorum stipendium dari vellet, statim respondit se in omnibus a Sua Eminentia ita opipare habitum fuisse, ut nihil ulterius sibi exptere liceret. Instanti tamen Cardinali, atque omnimode quaenam illi justa merces deberetur addiscere cupienti reposuit *se unius tantum pro unoquoque die julii solutione plusquam contentum fore.* Huic responso necdum tamen acquievit Emus Purpuratus; quamobrem necessitate compulsus subjunxit binas sibi. esse neptes nubiles, quare si Suae Eminentiae videretur, ipsi quinquaginta scutata pro illis dotandis suppeditaret. Hisce auditis puellas dotandi curam in se Cardinalis suscepit, eisque statim tercentos aureos assignavit. Vixit noster Caesar usque ad decrepitam 82 annorum aetatem, decubuitque Ravennae anno 1708. Consule historiam pictorum Leonis Pascoli.

Quoniam autem huc venimus ut de artificibus verba faciamus, pauca loquar de percelebri Augustiniano architecto ignoti cognominis, quamvis alio saeculo floruerit. Hu-

Digitized by Google

jus nomen (P. Joannes a scriptoribus appellatur) immortali honore decoratur in descriptione celeberrimae aulae Patavinae vulgo *Salone* nuncupatae, cujus ipse testitudinem, quae est totius Mundi miraculum singulari revera, atque stupendo artificio anno 1306. extruxit. Pro tanti operis molitione non aliud pretium expetivit quam trabes, et tegulas antiqui lacunaris pro nostrae Patavinae Ecclesiae tecto conficiendo. Multa per longinquas regiones peritissimus iste Eremitanus architectus itinera habuerat, ex quibus plurimum in architectonica arte profectum fecerat. Adeas nostratem Portenarium in sua Felicitate Patavina, atque Moronium ubi agit de Patavio.

Item saeculo XVI. floruit in Hispania celebris Augustinianus pictor nomine Petrus de Montoja, qui praeclaro elogio laudatur in dictionario enciclopedico linguae hispanicae impresso Matriti ab anno 1853 ad 1855.

Fr. Christianus Lupus.

Hujus eximii Augustiniani nomen amplissimum illi est praeconium, siquidem hoc praeclarum nomen virum revera innuit inter eruditos optimum, atque inter optimos eruditissimum, uti apud universam litteratorum rempublicam probe compertum habetur. Nam procul dubio perpaucos suum aevum protulit huic singulari viro aut doctrinae aut virtutis merito comparandos. Verum necui forsitan Augustiniani laudatoris auctoritas suspecta videatur, aliorum verbis Lupi nostri elogium concinnabo, ratus quidem tanto solidiorem futuram illius laudationem, quanto laudator a studii partium suspicione remotior erit. Itaque Joannes Franciscus Foppens in sua bibliotheca Belgica tom. I. pag. 170. ubi etiam doctissimi coenobitae impressam imaginem

Digitized by Google

refert, haec de illo litteris consignavit: Christianus Lupus, vir nulli secundus, seu merita doctrinae spectes, seu virtutis, et gratiae, Hypris apud Flandros natus est anno 1612. die 23 Julii, litterisque humanioribus imbutus, in patria (ubi Rhetorices praeceptorem habuit P. Godefridum Henschenium S. J. insignem hagiographum) Augustinianam Eremum annos vix quindecim natus in conventu Hyprensi ingressus est. Vix dum theologica studia Lovanii compleverat, cum ad Philosophiae lectionem Coloniam evocatur, ubi Alexandro VII. Summo Pontifici, tunc Nuntio, ac Legato a latere innotuit. Ad Academiam Lovaniensem revocatus, theologicam anno 1640. adiit professionem, missisque Philosophiae vepretis, vastissimam Sacrae Scripturae, ecclesiasticorum canonum, et SS. Patrum, praecipue S. P. Augustini, sylvam ingressus, coepit instar Lupi sacratae doctrinae praedam undique rapere, et in prodigiosae memoriae ventrem recondere. Solebat tunc temporis, et per subsequentes annos, dum ei per occupationes licuit, quotidie quindecim horarum spatium sacrae huic venationi impendere. Tanta quoque erat ejus memoriae promptitudo, atque tenacitas, ut passim *bibliotheca ambulans* appellaretur. Anno 1642. Licentiae gradum in Academia Lovaniensi adeptus, paullo post ad Duacenam missus a Superioribus, suae quoque doctrinae radios ibidem diffudit. Fervebant tunc inter theologos Belgas discordiae et contentiones e damnato Jansenii libro subortae, quorum aliqui judicio Urbani VIII. Pontificis omnino resistebant, alii damnatam Augustini Hyprensis doctrinam a probatis S. Augustini Hipponensis dogmatibus non discernebant. His adhaerere credebatur noster lupus, eaque ratione positum fuit a quibusdam obstaculum ne ad suscipiendam doctoralem lauream Lovanii admitteretur; sed tandem, agente ipso Generali Philippo Viccomite, et Innocentio X. Pontifice annuente, totaque plaudente Academia, sacrae Theologiae Doctor die 4. Februa-

Digitized by Google

rii anno 1653. renuntiatur. Post biennium fidei suae et observantiae Urbi, et Orbi redditurus rationem, Romam profectus est, ubi mox totius Curiae Romanae favorem et amorem sibi conciliavit, ipsi in primis Alexandro VII. Pontifici, qui eum Coloniae noverat, carus, sed et plurimis Emis Cardinalibus, aliisque primariis viris, signanter Lucae Holstenio bibliothecae Vaticanae Praefecto, et Henrico Norisio familiari conjunctus amicitia. Roma cum elogio dimissus, anno 1660. Lovanium reversus est, secum conferens a se obtentum diploma Pontificium, quo SS. Augustini, et Thomae inconcussa, tutissimaque declarantur dogmata. Paullo post inter octo viros sacrae theologicae facultatis Regentes cooptatus, exinde coepit ardentius historiam ecclesiasticam, sacros canones, et decreta Synodorum generalium scholiis et notis doctissimis illustrare, et plures libros typis evulgare, in quibus suam de Romani Pontificis infallibilitate doctrinam ubique protestatus est. Nomine Rmi P. Mag. Generalis bis Capitulo provinciali praesedit. Tandem ad Provinciae clavum et regimen anno 1676. omnium votis invitus et reluctans admotus est, cupiens prodesse potius quam praeesse. Oblatam sibi a Clemente IX. Sacristiae Pontificiae curam et Episcopatus Tagastensis dignitatem (ut fama est) religiose et humiliter respuit. Lectionem insuper in Collegio Romanae Sapientiae centum scutorum dote ornatam recusavit, uti et ampliores honores, quos Magnus Hetruriae Dux, modo studia sua (Florentiae una cum nostrate Henrico Norisio) illi addiceret, sponte detulerat. Post haec Romam secundo, anno 1676. profectus est una cum eximiis viris Martino Steyartio, Francisco van Vianen, ac Petro Le-Drou (Augustiniano) Sacrae Theologiae Doctoribus Lovaniensibus, tum ut ejusdem facultatis articulos Sanctissimo DD. Innocentio XI. offerrent judicandos, tum ut damnationem plurimarum propositionum in praxi perniciosarum impetrarent. Voti compotes effecti, damnatisque per Innocen-

Digitized by Google

tium XI. sexaginta quinque ejusmodi propositionibus, die 2. Martii anno 1679. in Belgium reversus est, duplici numismate aureo a Pontifice honoratus, quod utrumque hierothecae SS. Sacramenti miraculosi Lovanii in templo Augustinianorum asservati devote appendit. Interea in locum demortui Gerardi van Werm Sacrae Theologiae Doctoris, ac regii publicique professoris, a Principe Parmensi Belgii Gubernatore, commendantibus eum viris primariis, sufficitur, favore prorsus singulari, cum visum antea non fuisset cathedram hanc Doctori regulari fuisse concessam. Sed eam haud diu tenuit; nam senio laboribusque sacris confectus, per quatuor et amplius menses lecto doloris affixus, colica, calculis, febribusque, atque alvi profluvio cruciatus ad extrema devenit. Tum Visitationis Deiparae festo visitavit eum Illmus D. Sebastianus Antonius Tanara S. Sedis apud Belgas Pronuncius una cum V. P. Marco ab Aviano Ord. FF. Capucinorum, qui vulgo miraculorum patrator habebatur. Huic vero aegritudinis levamen Dei nomine spondenti respondit P. Lupus: *Indignum se esse cujus causa fierent miracula: hoc unicum miraculum se optare, ut ejus benedictione accepta spiritus suus transmitteretur in manus Domini Jesu.* In hoc desiderio placide ac pie diem clausit extremum Lovanii in monasterio Augustinianorum die 10 Julii 1681. aetatis anno 70. religiosae vitae 54. Sacerdotii 46. Doctoratus 29. Sepultus fuit ibidem in choro, positaque ad perennem ejus memoriam sepulcrali inscriptione: *Hic quiescit Ordinis S. Augustini Academiae Lovaniensis S. Theologiae Doctor, regius, ac primarius professor admodum Rev. P. Christianus Lupus Provincialis, scientiarum bibliotheca. Obiit* 10. *Julii anno* 1681. *Requiescat in pace.*

Aliud quoque referunt auctores ejus epitaphium, quod ipsemet sua manu scripserat, quodque singularem ejus humilitatem ostendit; nam est ejusmodi:

Digitized by Google

Hic jaceo dignus nomine, reque Lupus,
Indignus non re, sed solo nomine Doctor.
Verbis, non factis me docuisse fleo.
Perdocuisse alios, et non docuisse se ipsum
Quid juvat? O Mundi fumus, inane nihil!
Agne Deus, Patris doctrina, redemptio Mundi
Hunc tibi prostratum commiserare reum.
Et latro, et meretrix gratiae tuae regna subintrant,
Gratia peccatis fiat et ista meis.

Inferius scripta erant haec verba manu ipsius P. Lupi: *Supplico sepeliri inter fratres laicos, quorum meritis divina clementia dignetur me indignum adjungere.* Opera eruditissimi viri, quae per praelum ad publicam lucem pervenerunt, sunt sequentia, nimirum: *I. Apologia pro anima ovi sensitiva.* 2. *Apologia adversus Magdeburgenses.* 3. *Quaestio quodlibetica de origine Eremitarum, Clericorum, et Sanctimonialium S. Augustini, in qua elucidantur varii antiqui ritus Ecclesiae Africanae, ac discutitur censura Lovaniensis operum S. P. Augustini.* 4. *Synodorum generalium, et provincialium statuta et canones cum notis et historicis dissertationibus.* 5. *Dissertatio dogmatica de germano sensu Sanctorum Patrum, universae Ecclesiae, et praesertim Tridentinae Synodi circa christianam contritionem et attritionem.* 6. *Liber Tertulliani de praescriptionibus contra haereticos adnotationibus illustratus.* 7. *Divinum ac immobile S. Petri Apostolorum Principis circa omnium sub coelo fidelium ad Romanam ejus Cathedram appellationes assertum privilegium.* 8. *Epistolae complures ad ecclesiasticas antiquitates spectantes ex variis codicibus manuscriptis desumptae, atque scholiis, et notis illustratae.* 9. *Tractatus, sive dissertationes de antiquitate, et legitimo usu sententiae probabilis.* 10. *De simonia monasteriorum.* 11. *De antiqua disciplina christianae militiae.* 12. *Antiqua contra Pelagianos decreta.* 13. *Epistola familiaris ad P. Henricum Noris.* 14. *Exhibitio de SS. Sacramenti expositione pu-*

Digitized by Google

blica, et in processionibus delatione. Accedit oratio panegyrica SS. Hostiae miraculosae Lovanii asservatae, habita anno 1674. 15. *Epistolae ad Ephesinum Concilium variorum Patrum ex M. S. codice Bibliothecae Cassinensis desumptae, et alia plura.* Omnia opera hujus praestantissimi Augustiniani scriptoris Venetiis impressa fuerunt in 12. tomis in folio ab anno 1724. ad 1729. Consule omnes hominum eruditorum laudatores.

Fr. Coelestinus Brunus.

Coelestinus Brunus, Neapolitanus, sacrae Theologiae Doctor, sua profunda scientia theologica, ut scribit Ossinger, et singulari peritia artis rhetoricae, ac philosophandi acumine Ordini nostro magnum attulit splendorem. Fuit Regens studiorum Panormi, et Bononiae, Praefectus Provinciae Romandiolae, necnon Assistens Italiae. Senis in Tuscia praeceptorem egit DD. Fabii Ghigi, quem Philosophiam docuit. Hic autem a Coloniensi Nuntiatura reversus, apud Innocentium X. egit ut Coelestinus noster professor in Romana Sapientia constitueretur, ac deinde, nimirum postquam in Sacrum Cardinalium Collegium adscitus fuit, effecit etiam ut ad Episcopalem Boviani Cathedram in Aprutio promoveretur. Mitram itaque accepit anno 1653. at mors illam ei eripuit anno 1664. Dicitur a Nicolao Toppio praedicator celeberrimus. Typis edidit: 1. *Parvam Logicam, sive praeludium necessarium ad arduam Logicae disciplinam.* 2. *Disputationes quodlibeticas theologicas.* 3. *Librum de vita protoparentis Adam.* 4. *Tractatum de cambiis.* 5. *Vota et consilia diversa moralia.* 6. *Opuscula contra quinque Jansenii propositiones, erat enim unus ex illis theologis, qui easdem quinque damnatas propositiones examinare debebant.* 6. *Disputationes logicales.*

Digitized by Google

V. Didacus de Besalanque.

Venerabilis Didacus de Besalanque, Hispanus, ortum habuit Salamanticae anno 1577. ex parentibus Alphonso Serrano, et Isabella Cardona, qui melioris fortunae spe una cum filio in Mexicum trajecerunt. Quo ut pervenit lectissimus puer, Societatis Jesu Patribus instituendus traditus fuit, a quibus postquam Rhetoricam didicisset, quindecim annos natus, Augustinianum monachum induit. Hinc statim coepit ingentem tam in doctrina, quam in pietate profectum facere; quamobrem evasit consodalium suorum tum exemplar morum, tum magister litterarum. Nam ante navatam Philosophiae atque Theologiae operam Grammaticam atque Rhetoricam docendi munus illi demandatum fuit. Postea vero sublimioribus disciplinis ita sedulo incubuit, ut multam Philosophiae atque Theologiae, necnon utriusque juris scientiam sibi comparaverit, laureamque Magisterii obtinuerit. Factus deinde Mechoacanensis Provincialis multa in illam Augustinianam Provinciam bona contulit; nam plura coenobia vel a fundamentis excitavit, vel ab aliis inchoata ad complementum perduxit, Ecclesias sacra supellectile locupletavit, pios doctosque viros Eremitanae Familiae adjunxit, et quod omnium caput est, regularem observantiam non tam praeceptis quam exemplis promovit. Potissima autem ipsius laus in apostolatus officio maxime enituit. Ipse enim ut omnes Christo lucrifaceret omnibus omnia factus, totum se animarum saluti procurandae mancipavit, nullumque fuit hominum genus, quod ferventissimum illius zelum effugere valuerit. Juvenes, et senes, divites, et pauperes, viri, et mulieres, hispani, et indi, uno verbo, omnis aetas, omnis sexus, omnisque conditio immensae ipsius caritatis tum spiritualia, tum corporalia beneficia experti sunt. Indocti ab illo doctrinam, fluctuantes consilium, moerentes solatium, justi

Digitized by Google

firmamentum, ac demum peccatores ad meliorem frugem reductionem perceperunt. Caetera autem praeclara ipsius merita recensentur a nostrate P. M. Petro Salguero, qui ejus vitam anno 1664. Mexici typis evulgavit. Haec vita hispanice conscripta habetur etiam impressa Romae anno 1761. Decessit V. P. ut iisdem verbis scribit Gandolphus, cum non exigua opinione sanctitatis anno 1651. aetatis suae 74. postquam angelicam vitam inter assidua jejunia, vigilias, caeterasque hujusmodi austeritates traduxisset. Post annum inventum est ipsius corpus integrum, et pulchrum ac si tunc spiritum reddidisset. Deposuerunt igitur illud in presbyterio nostrae Ecclesiae de Charo cum sequenti epitaphio latino, cui aliud simile respondet castellano idiomate exaratum:

Ille Besalanque hic jacet,
Qui variis linguis locutus,
Scriptis loquitur mutus,
Et docens est quamvis tacet.

Nunc autem adhuc integrum et incorruptum servatur, et colitur apud nostrates Moreliae, uti asserunt nostrates illius Provinciae alumni Petrus Aguillar, et Remigius Patlam hic Romae studiorum causa degentes. Dicitur in praefato epitaphio Didacus noster variis linguis locutus, quia praeter latinam et hispanicam, calluit etiam linguam graecam, hebraicam, italicam, variosque indorum dialectos. Refert noster Augustinus Arpe in suo Diario Sanctorum ipsum illibatum usque ad obitum virginitatis lilium custodisse. Scripsit: I. *Historiam Augustinianae Provinciae Mechoacanensis, imp. hispanice anno* 1674. 2. *Sermones sacros.* 3. *Commentaria in varios Scripturae libros.* 4. *Introductionem ad jus civile, et canonicum.* 5. *Regulas generales juris canonici per ordinem alphabeticum ordinatas.* 6. *Varios tractatus Theologiae moralis.* 7. *Declarationem litteralem Missae.* 8. *Varia opuscula ascetica, et alia*

Digitized by Google

Fr. Donatus Calvi.

Donatus Calvi, Bergomensis, fuit philosophus, theologus, et poeta, ut ejus scripta testantur. Per viginti annos, ut scribit Ossinger, cathedras philosophicas, et theologicas ornavit. Priorem exercuit coenobii Bergomensis, Consultorem S. Officii, necnon Visitatorem et Commissarium generalem. Florebat anno 1664. Laudatur ab Antonio Teisserio in catalogo auctorum, et bibliothecarum, a Christiano Gryphio in dissertatione isagogica de scriptoribus saeculi decimi septimi, atque a nostris. Typis edidit italice : 1. *Scenam litterariam scriptorum Bergomensium.* 2. *Memorias historicas Augustinianae Congregationis de Insubria.* 3. *Glorias Bergomi per S. Firmum martyrem.* 4. *Dulcedines amaras sub nomine* Vito Canaldo *per anagramma* Donato Calvi. 5. *Pinothecam mortis centum epitaphia jocosa continentem.* 6. *Poemata varia.* 7. *Vitam S. Nicolai de Tolentino.* 8. *Mysticas picturas palatii Moroni.* 9. *Varias orationes panegyricas.* 10. *Librum cui titulus:* Campidoglio de'guerrieri, ed altri illustri personaggi di Bergamo. 11. *Rituale Augustinianum Congregationis Insubricae, (latine) et alia quae videri possunt apud nostratem Ossinger.*

V. Donatus Hibernus.

V. Donatus Hibernus, ita appellatus, quia in Hiberniae insula ortum habuit, fuit Religionis nostrae ex milite conversus, qui circa medietatem saeculi decimi septimi Anglicanam persecutionem fugiens, una cum aliis nostratibus Romam se contulit, ut liberius Deo procul a patria famulari posset. Mansionem suam fixit in coenobio S. Matthaei in

Digitized by Google

Merulana, ibique per quadraginta annos praeclara sanctissimae vitae exempla praebuit. Tribus in hebdomada diebus, atque singulis in Quadragesima jejunabat, pane et aqua contentus, totumque quod illi a consuetis officiis vacabat tempus, atque varias insuper horas noctis ante Deiparae imaginem in genua provolutus orando insumebat. Celebratur potissimum singulare illius obedientiae studium, atque impensus paupertatis amor. Nihil pecuniae penes se detinebat, sed quidquid ad ipsius usum Religio illi permittebat, totum illud in commune aerarium conferebat, atque una tantum tunica, paucisque scrutis contentus, Priorem deprecabatur, ut pecuniam ipsi utendam in flores, aut candelas pro altaribus exornandis impendere sibi liceret. Hoc autem extat peculiaris ipsius obedientiae testimonium; nam licet plurimum esset jejuniis, atque abstinentiae addictus, tamen siquando Prior videns illum nimium debilitari, ei praecipiebat, ut sicut caeteri fratres vesceretur, quippe qui ex illis non erat, qui cum pietate cervicis duritiem simul consistere posse autumant, nulla objecta excusatione, nullaque mora interposita, mensam osculabatur, atque Superioris jussa explebat. Jam aetate decrepitus, cum prae nimia debilitate aliquod panis frustulum pro jentaculo sumere cogeretur, visus fuit aliquando a quibusdam clam aspicientibus panem lixivio emollire, atque illum ori admovere dicens: *Hoc utique est cocholatum gutture meo dignum.* Rogatus a quodam curnam tantopere poenitentiam sectaretur, respondit: *Magnus peccator ego sum: mihi adhuc aures pulsare videntur ovis balatus, et gallinae glocitatio, quas dum miles pabulatum prodibam, furatus sum.* Rogatus etiam utrumnam aliquem in certaminibus interfecisset, dixit: *Neminem unquam laesisse puto; nam in aerem semper sclopetum explodebam ne proximo nocerem.* Quamvis autem fuerit Donatus noster homo multae simplicitatis, spiritu tamen intelligentiae imbutus fuisse creditur; siquidem abstrusioribus de rebus theo-

Digitized by Google

logicis difficultatibus nullo negotio satisfaciebat, adeo ut praeclarissimus noster theologus, atque concionator P. Mag. Hiacynthus Tonti de illo quadam die pronuntiarit: *Fra Donato aver deve la scienza infusa. Gli escono dalla bocca risposte, che mi empiono di meraviglia.* Spiritu etiam prophetiae praeditum fuisse constat. Nam cum apud praedictum S. Matthaei coenobium nova quaedam aedes extructa fuisset, quae tamen tecto adhuc carebat, ipse Priorem admonuit, ut cito citius eam tegi juberet, quia alioquin mox casura pluvia illam totam pessumdaret. Dictum mox factum evasit; nam statim post tectam domum immodicus imber ruere coepit, nec unquam per integrum mensem intermisit. Verum et aliis quoque signis servuli sui sanctitatem piissimus Dominus testatam voluit. Nam cum quadam die repentino aquarum imbre in medio itinere deprehensus fuisset, nec locus, ad quem se reciperet, in illo viae intervallo esset, lento gradu prae senectute procedens, totam pluviae vim sustinere debuit; quare illum credidisses totum a vertice usque ad talos aquis exundantem. Sed mirum! Nec latum quidem unguem illum pluvia madefecit. *Io stava alla finestra ad aspettarlo*, ita narravit P. Prior Orsini eximio nostro poetae, et historico Jo. Baptistae Cotta, *e nel vederlo venir lentamente, men venne pietà. Giunse alla perfine, e credendomi di trovarlo inzuppato d' acqua, non che molle, non scopersi palpandogli le vesti un pel di bagnato.* Quidam aegrotus, qui lecto decumbere cogebatur, se Donato nostro commendavit: *Habe fiduciam in Deum*, dixit illi Donatus, et repente infirmus e lecto prosiliit. Tantae eximii viri virtutes illius sanctitatem undique divulgarunt; quamobrem Romani Principes, Praelati, Proceres, et Cardinales saepe saepius ad illum invisendum adibant, ejusque orationibus se commendabant. Tandem Hibernus noster, meritis, virtutibus, annisque cumulatus, ad laborum suorum mercedem recipiendam evolavit anno 1700. Ex praefato nostrate. Jo. Baptista

Digitized by Google

Cotta contemporaneo in vita B. Antonii Turriani de Aquila nuncupati.

Fr. Emmanuel de Conceptione.

Emmanuel a Conceptione, Lusitanus, Villae-Viciosae natus, in Ulyssiponensi Dominae nostrae de Gratia coenobio anno 1651. solemnem votorum nuncupationem emisit. Postea vero ad percurrendam virtutis, atque doctrinae semitam alacriter aggressus fuit, in qua nimirum tantum profecit, ut in utraque palaestra caeteris coetaneis suis superior extiterit. Potissimum autem studium in eo collocavit, ut majorem in dies religiosae vitae perfectionem assequeretur, in quo tamen nobilissimo molimento ingentia repagula perfringere debuit. Anno 1675. a Generali Nicolao Oliva Senensi Vicarius generalis constitutus fuit. Extitit etiam Reginae Aloysiae Franciscae confessarius et consiliarius, necnon institutor Congregationis Excalceatorum in Regno Lusitaniae. Virtutibus, meritisque cumulatus, mortalitatem explevit Ulyssipone anno 1682, fuitque apud Excalceatos sepultus. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Typis mandavit lingua patria: 1. *Sermonem panegyricum in laudem D. Francisci Borgia.* 2. *Sermonem in festo omnium Sanctorum, et alium de spinea Domini corona.* 3. *Sermones quadragesimales (latine)* 4. *Reliquit etiam plura manuscripta.*

Fr. Emmanuel de Figueiredo.

Emmanuel de Figueiredo, Lusitanus, claruit tum theologica, tum historica eruditione, necnon insigni eloquentia.

Digitized by Google

Fuit Prior Angrensis, et Ulyssiponensis, examinator trium Ordinum militarium, consultor Bullae Cruciatae, atque historiographus Ordinis. Commendatur a Didaco Barbosa Machado. Scripsit Lusitano sermone, praeloque mandavit: I. *Varias orationes, praesertim funebres.* 2. *Compendium vitae, et miraculorum B. Ritae de Cascia.* 3. *Quartum tomum supplevit Floris Sanctorum Augustiniensium nostratis Josephi a S. Antonio.* 4. *Vitam nostri B. Gundisalvi de Lagos.* Florebat anno 1737. Consule etiam nostratem Ossinger.

Fr. Emmanuel de Gouvea.

Emmanuel de Gouvea, Lusitanus, alumnus fuit Provinciae Castellae in Hispania. Verum post completum studiorum curriculum in patriam reversus, opera Petri II. Regis Lusitaniae coenobio Ulyssiponensi adscriptus fuit. Quippe quod omnibus, quae egregium concionatorem decent, tum animi, tum corporis dotibus praefulgebat, idcirco magnum cunctorum audientium plausum sibi e suggestu conciliavit, dignusque pluries habitus fuit, qui coram Rege in concionem ascenderet. Ad suae temporalis vitae terminum pervenit anno 1730. aetatis suae 71. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Patrio idiomate sequentia per praelum publici juris fecit; nimirum: I. *Orationes varias, nempe pro gratiarum actione ad Mariam Virginem, ad SS. Sacramentum, atque in laudem illustrium personarum.* 2. *Sermones varios, et discursus praedicabiles, panegyricos, politicos, et morales in sex partes divisos.* 3. *Phenicem gloriosam etc. Opus in binas partes distinctum, ubi habentur sermones panegyrici, et morales de SS. Virgine, de SS. Augustino, Antonio de Padua, Vincentio Ferrerio, S. Patriarcha Josepho, D. Anna etc.*

Digitized by Google

Fr. Felix Mayr.

Felix Mayr, Bavarus, sacrae Theologiae Magister, Philosophiam, atque Theologiam nostrates alumnos Monachii per duodecim annos docuit, tanta nimirum laude, ut magni theologi nomen obtinuerit. Alio item titulo haec nomenclatio illi congruebat, staturae nimirum proceritate. Erat in operibus D. P. Augustini admodum versatus. Bis patrii Monachiensis coenobii primatum tenuit, totiusque Bavaricae Provinciae gubernaculum anno 1740. suscepit. Subitanea morte extinctus fuit anno 1746. cum Rectoris nomine eamdem Provinciam administraret. Commendatur a nostrate Ossinger. Opera ejus typis edita haec sunt: I. *Divus Augustinus vitae spiritualis magister, seu instructio hominis christiani per pia quaedam, ac salutaria documenta ex S. P. Augustini operibus collecta, et pro quotidiana spiritus alimonia in singulos dies, ferias, ac festa totius anni distributa. Hoc opus praeter varias ipsius editiones anno* 1734. *Venetiis prodiit ex typographia Balleoniana latine, et italice, ita ut in qualibet pagina una columna textum latinum, et altera italicum repraesentet. Constat tomis sex in* 8. 2. *Praelo etiam tradidit gemitus, et devotos affectus animae amantis, et poenitentis, ac peccata sua confitentis ex S. P. Augustino amoris et poenitentiae magistro desumptos. Huic operi nomen suum non apposuit.* 3. *Reliquit etiam manuscriptas lecturas polemico-theologicas ad mentem S. P. Augustini.* Consule bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

Fr. Ferdinandus de Camargo.

Ferdinandus de Camargo, Hispanus, vario scientiarum genere claruit; fuit enim insignis historicus, poeta, et con-

Digitized by Google

cionator. Multa sui ingenii opera hispanice conscripta de sua penu reipublicae litterariae donavit, variaque aliorum volumina in patriam linguam transtulit. Florebat circa medietatem saeculi decimi septimi. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi in sua bibliotheca hispanica, nec non a Christiano Jocher in universali Lexico eruditorum. Typis edidit hispanice. I. *Opus in quo versibus agit de morte Domini inita propter vitam hominis.* 2. *De Ecclesia militante, idest chronologiam sacram, et compendium historicum omnium rerum, quae in illa contigerunt.* 3. *De admirabili conversione S. P. Augustini, deque lacrymis S. Matris Monicae.* 4. *Continuationem Summarii historici Joannis de Mariana.* 5. *Oratorium sacrum.* 6. *Tribunal conscientiae una cum praeparatione ad Communionem.* 7. *De revelationibus et spiritu prophetiae sub titulo:* Lux clara noctis obscurae. 8. *De B. Mariae Virginis humilitate.* 9. *Revelationes S. Birgittae ex latina in patriam linguam vertit.* 10. *Sermones de Christo, ejusque Matre Virgine idiomate Lusitano a P. Joanne de Ceita Ordinis S. Francisci exaratos in hispanicum transtulit.* 11. *Traduxit etiam Quadragesimale ejusdem et completoria vitae Christi edita a P. Gregorio Baptista Lusitano.* 12. *Ineditum praeterea, sed perfectum reliquit Florem Sanctorum cum precibus ad singulos Sanctos.*

Fr. Franciscus ab Annuntiatione

Franciscus ab Annuntiatione, Lusitanus, sacrae Theologiae Conimbricensis Doctor, atque in eadem Academia publicus ejusdem facultatis professor, linguam latinam mirum in modum callebat; quapropter e cathedra insignis oratoris academici nomen sibi comparavit. Propter fidei dilatandae zelum in Indias proficisci cupiebat, sed morte

Digitized by Google

praeventus, per aliam viam ad Creatorem suum reversus fuit anno 1720 aetatis suae 52. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Scripsit sermone patrio: I. *Consultationem mystico-moralem circa habitum quarumdam monialium Ordinis S. Clarae, imp.* 2. *Opus in tres partes divisum, in quo agitur de utilitate, quae exurgit ad tuendam virtutem, et vitia impedienda ex publicis castigationibus, quas infligit tribunal S. Officii, imp.* 3. *Disputationes theologicas de statu religioso, et obligationibus eidem adnexis.* 4. *Philosophiam ad mentem Doctoris fundatissimi B. Aegidii Columnae.* 5. *Quaestionem curiosam, quantum nimirum temporis quilibet Sacerdos insumere debeat in celebranda Missa ut careat peccato, et alia.*

Fr. Franciscus Farvaques

Franciscus Farvaques, Belga, sacrae Theologiae Magister, et in perantiqua S. Gertrudis Abbatia Lovanii professor, circa annum 1670 florebat insignis theologi nomine. Varias lucubrationes latinas typis tradidit, ex quibus ipsius profundam eruditionem theologicam quisque facile dignoscere potest. Hae autem sunt: I. *Xenium theologicum, in quo dilectionis Dei in Sacramento Poenitentiae necessitas asseritur, et confirmatur, et iis respondetur quae opposuit P. Maximilianus le Dent Jesuita.* 2. *Disquisitio theologica an peccata mortalia dubia sint in sacramentali confessione explicanda.* 3. *Centiloquium ex nostrate Gregorio Ariminensi, et variae theses pro disputationibus.* 4. *Opuscula theologica ad veritatis, et charitatis stateram expensa.* 5. *Mens Tridentini Concilii de Attritione.* 6. *Paradoxum controversum de Attritione scholastice disputatum.* 7. *Oratio funebris in laudem nostri eximii Doctoris Christiani Lupi, et alia.*

Digitized by Google

Fr. Franciscus Maria Battalea

Franciscus Maria Battalea, Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, vir fuit eximiae pietatis, et doctrinae, ut ejus opera testantur. Apud suam Insubricam Congregationem Provincialis gradum obtinuit. Florebat circa annum 1700. Memoratur a Philippo Argelati, atque a Picinellio. Opera ejus italice impressa ita referuntur a praefato Argelati in sua bibliotheca scriptorum Mediolanensium: 1. *Galleria spirituale.* 2. *Guida sicura della confessione e communione.* 3. *Gli fervori dello spirito.* 4. *Il tesoro della divozione del Sacrificio della Messa, Sacramento della penitenza, e SS. communione.* 5. *Pratica sicurissima, e breve per purgar l'anima dagli scrupoli.* 6. *Compendioso indrizzo all'amor di Dio.* 7. *Manuale dei divoti della B. Vergine, S. Giuseppe, e dell'Angelo custode.* 8. *Lo specchio che non inganna tradotto dalla lingua francese.* 9. *La divozione facile di Pietro le Moine trasportata dal francese, et alia quae videri possunt apud nostratem Ossinger.*

V. Franciscus Maria Querni

Mag. Fr. Franciscus Maria Querni, totius Ord. Erem. S. P. Augustini ex Vicarius Generalis, Balneone in Dioecesi Sarzanensi (in Liguria) anno 1647 die 6 Octobris in lucem editus, a teneris annis eidem Instituto in Hetruria, inspirante Deo, nomen dedit, aggregatus monasterio Pratensi S. P. Augustini. Philosophiae, ac Theologiae studio laudabiliter emenso, a Priore totius Ordinis Generali Licaeo primum S. Martini Senarum, secundo S. Mariae Consolationis Genuae tunc extra muros, tertio S. Nicolai Pisa-

Digitized by Google

rum praeficitur. Eo munere functus, quamquam ubertate doctrinae, et morum innocentia non uni praestaret, nihilominus lauream indeptus magistralem in Provinciam suam Pisanam remittitur, a qua deinceps in communem Praesulem electus, anno 1702 a Rmo P. Ord. Generali Mag. Nicolao Serrano proborum omnium amatore prorsus inopinato in Provinciae Senensis Rectorem Provincialem assumitur. Tamquam hujusmet Provinciae Definitor interfuit generalibus Ord. comitiis anno 1705 coactis Romae ubi propter insignem pietatem, probatamque in laudatis guberniis prudèntiam, nil tale cogitans, Italiae Assistens renunciatur. Sex annis elapsis, in Romano generali Capitulo anno 1711 celebrato demandatam sibi Procuratoris generalis dignitatem, ut erat humillimus, reluctans suscepit. Dum praeclare, ac sancte id muneris obiret, a Clemente felicis recordationis XI qui sanam illius doctrinam et probitatem optime noverat, et modo bonum, modo senem sanctum illum appellabat, anno 1717 Vicarius Apostolicus creatur, et in locum sufficitur M. Gen. Adeodati Summantici, anno circiter sexto regiminis sui interlabente ad S. Severi in Apulia Episcopatum evecti. Jam examinatus a Deo in camino humiliationis, dum in Urbe pro Pisano, cui praeerat, Collegio theologicis thesibus propugnandis assisteret, necessum fuit ut iterum ad exemplum patientiae tentatio illum probaret; nam etsi sobrie, pie, ac juste Religionem suam gubernasset, exorta tamen extemporanea quadam procella, quantumvis innocue, jactari compulsus est. Honorum culmina proinde perosus completo triennio et mense regiminis sui, quieti inhians honori pariter, et oneri voluntarie cessit, mirante Roma in hoc virtutis exemplo quod in Antistite suo. Gregorio Nazianzeno nova Roma olim suspexerat. Continuo in Tusciam regressus, vigilias, contemplationes, corporis incommoda, actusque profundae humilitatis, obedientiae, charitatis, abstinentiae, reliquarumque virtutum in Pratensi ingeminans mo-

Digitized by Google

nasterio, vitam duxit perfectissimi ascetae. Anno jubilaei 1725 ab Eo, qui loquitur ad cor, in sylvam nostram Ilicetanam in agro Senensi vocatus, licet jam plenus dierum, austeritates non minuit, sed auxit. Arctiorem cellam, quam verrebat manibus suis, impetravit, ornamentis omnibus expoliatam, praeterquam una Jesu Christi e Cruce pendentis imagine. In ea reclusus carnem suam servituti subjiciebat, cubans insuper in lecto viliori, ac duriori. In praeparatione ad Missam, et gratiarum actione non minus temporis insumebat quam duas horas. Praeter jejunia Ord. solemnia tribus per hebdomadam diebus communibus obsoniis abstinebat, modico pane, unoque aut altero diluti aqua vini contentus cyatho. Studebat adeo temperantiae ut nec solitam portionem suam quaereret si forte architriclinus oblitus fuisset eam illi ad mensam deferre. Quinimmo interdum fere omni cibo temperabat, ut illorum, qui nemus illud incoluerant, priscorum Patrum Augustinensium horridam virtutem aemularetur. Praeterea sociorum antelucanas horas antevertens, nedum ad diurnam, sed etiam ad nocturnam psalmodiam recitandam primus chorum ingrediebatur, et postremus exibat. Zelo Dei aestuans, si quispiam Fratrum in persolvendis horariis precibus minus diligenter se gessisset, nata occasione eumdem benigne rogabat, ut ab hujusmodi negligentiis caveret in posterum. Demissior cultor humilitatis, non primas cathedras in choro, neque primos accubitus decori suo debitos quaerebat in mensa, sed utrobique locum amabat inferiorem. Testibus ocularibus admodum RR. PP. eximiisque sacrae Theologiae Mag. Hieronymo Zazzeri Aretino generali Italiae Assistente, et Angelo Artegiani Rocchensi totius Ord. Secretario, aliisque, parum fuit viro tanto se in urbe Senarum ad pedes provolvere sapientissimi Fulgentii Bellelli totius Ord. Generalis, ejusque habitum deosculari. Nulla inflatus aura superbiae, vestes etiam coenobiarchae sui osculabatur quotiescumque domo exeundo san-

Digitized by Google

ctam peteret benedictionem, perinde ac ultimus laicorum. Cunctis diebus peregrinationis suae intellexit super egenum et pauperem, eis benefaciens, et exuens se tunica meliori, ut eorum tegeret nuditatem. Statuerat pius senex in ea sylva Ilicetana, quam paradisum vocabat, supremum diem claudere, sed PP. concellitarum suorum, et praesertim doctissimi viri P. Mag. Benedicti Gattini precibus fatigatus, demum rediit ad monasterium Pratense, ubi solitis orationibus et cruentis corporis castigationibus incumbens, ultra vires pressus languore stomachi, menstruaque vigilia, susceptis summa qua vixerat devotione Ecclesiae Sacramentis, annos natus 82, menses tres, et dies septem, non sine bonorum moerore, et pauperum luctu efflavit animam die 13 Januarii anni 1730. Ex nostro Joanne Baptista Cotta a Tenda in vita B. Antonii Turriani, ad litteram.

Fr. Franciscus Vieyra

Franciscus Vieyra, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, celebriores Lusitaniae cathedras atque suggestus sua profunda doctrina atque eloquentia, ut ait noster Ossinger, illustravit. Utrobique autem, nimirum tam in cathedra docendo, quam in sacris rostris concionando universalem omnium plausum sibi promeruit. Praeterea claruit eruditione historica tum sacra, tum profana, fuitque in lectione oratorum atque poetarum plurimum versatus. Quippe qui vir erat valde pius, ut morti se praepararet, Conimbricensem Universitatem deseruit, atque in patriam (Villam Regalem) se contulit, ibique mortalem vestem exuit anno 1720 aetatis suae 71. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Typis edidit: 1. *Plures orationes sacras sermone patrio conscriptas.* 2. *Vocem evange-*

Digitized by Google

licam consistentem in quadraginta sermonibus festivis, funebribus, et quadragesimalibus eodem idiomate exaratis.

Fr. Fulgentius Arminius Monfortis

Fulgentius Arminius Monfortis, Abellinas, dicitur a Mazzuchellio vir eloquentia sacra celebratissimus, qui magno cum zelo, ingentique eruditorum plausu multos annos in praecipuis Italiae urbibus concionatoris munus exercuit. Fuit theologus Magni Hetruriae Ducis, Qualificator S. Officii in Regno Siciliae, necnon Vice-Cancellarius Collegii theologici Neapolitani. Anno 1669 inauguratus fuit Episcopus Nuscensis, et Suff. Salernitanus; verum quietis amore anno 1680 pastorale pedum sponte dimisit. Gratia atque amicitia flagravit apud praecipuos suae aetatis litteratos viros, fuitque Neapolitano Proregi acceptissimus, qui propterea illum semper penes se habere cupiebat. Memoratur ab Ughellio, Toppio, Mazzuchellio, aliisque externis. Scripta ejus italice typis edita sequentia sunt. 1. *Orationes panegyricae SS. Francisci, Nicolai de Tolentino, Caroli Borromaei, P. Augustini, Petronii, Antonii de Padua, Thomae a Villanova, et B. Christinae Vicecomitis Augustinianae.* 2. *Oratio funebris in obitu Philippi IV Regis Hispaniarum.* 3. *Discursus praedicabiles sub titulo: Tributa reverentiae serenissimae semperque gloriosae Reipublicae Venetiarum.* 4. *Immortales Cypressi, idest honores funebres D. Antonii Carafa Ducis Andriae.* 5. *Epistola in qua narrantur prodigia patrata Venetiis a marmorea statua D. Nicolai Tolentinatis, et alia.*

Digitized by Google

Fr. Fulgentius Baldanus

Fulgentius Baldanus, Savonensis, sacrae Theologiae Magister, laudatur tum a doctrina, tum a morum probitate. Haec de illo litteris tradidit Augustinus Oldoinus Jesuita in suo Athenaeo Ligustico: Fulgentius Baldanus, Savonensis, poeticis studiis, insignique morum probitate illustris vixit saeculo 17 quo carmina lingua tum latina, tum hetrusca evulgavit in laudem Lucae Grimaldi, Augustini Auriae, et Augustini Pallavicini, Ducum Reipublicae Genuensis. Scripsit etiam soluta oratione, sed vernacula lingua: 1. *Confessiones Servi Dei Fr. Alphonsi de Orosco Ord. S. Augustini, ejusdemque vitae compendium.* 2. *Suspiria S. Augustini.* 3. *Ejusdem orationem, et sermonem habitum in persecutione vandalica.* 4. *Vitam Fr. Didaci Ortiz.* 5. *Vitam B. Clarae de Montefalco. Quae omnia typis genuensibus excusa sunt ab anno* 1624 *usque ad* 1644. Consule etiam Bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

Fr. Fulgentius Bellelli

Hujus praeclarissimi viri nomen omnibus eruditis potissimum innotescit propter immeritam ab anonymo scriptore illi impactam criminationem Bajanismi, atque Jansenismi redivivi, a qua tamen illum jam demortuum eruditissima apologia expurgavit noster perinsignis theologus Jo. Laurentius Berti, cujus etiam aurea opera ejusdem calumniae livore denigrabantur. Verum hisce missis nonnulla de nostro Fulgentio dicamus. Itaque Fulgentius noster natus est Buccini in Regno Neapolitano ex honestiori illius oppidi familia anno 1675 atque ubi ad decimum sextum

Digitized by Google

aetatis annum pervenit, apud nostrates Neapoli in coenobio S. P. Augustini tunicam induit. Studiorum causa post peractum tyrocinium missus fuit primo Suessam, ac deinde Romam ad S. Augustinum. Anno 1695 instante P. Magistro Augustino Arpe Genuensi profectus fuit Senas magistrum Studentium agere, licet 18 tantummodo aetatis annos haberet. Senis autem paullo post ivit Florentiam opera P. Mag. Adeodati Nuzzi, qui postea illum secum Neapolim perduxit. Anno 1700 docebat Philosophiam in nostro Collegio Romano, 1702 rediit Senas Regens, et 1704 Neapolim. Anno autem 1710 se contulit Lucernam in Helvetiam, ut ibidem Nuntii Apostolici Jacobi Caraccioli theologum exerceret. Verum post annum aeris mutandi causa Lucernam deserere coactus, Mediolanum accessit, ibique mansit usque ad annum 1713 quo Montem Vici in Pedemontium ivit, ut ibidem quadragesimali tempore verbum Dei praedicaret. Subinde Studia moderatus fuit Venetiis, Perusiae, ac tandem Romae usque ad annum 1720 quo Ordinis Secretarius electus fuit. Clemens XI illum creavit Procuratorem generalem, atque circa idem tempus fuit Angelicae Bibliothecae praefectus, et anno 1727 Perusiae ad Generalatum assumptus. Sexennio expleto ad Bibliothecam rediit, ibique totum se notissimis operibus perficiendis addixit. A nostrate Ossinger dicitur vir omnibus virtutibus ornatus, clemens, et benignus, necnon in doctrina et operibus S. P. Augustini versatissimus. Fatis concessit Romae anno 1742 aetatis suae 67. Commendatur una cum praefato Jo. Laurentio Berti apud recentiores ecclesiasticos scriptores. Opera ejus typis edita sequentia sunt: I. *Mens Augustini de statu naturae rationalis ante peccatum, polemica dissertatio adversus aliquot Pelagianos, Bajanos, Jansenianos errores, recentesque quorumdam Doctorum opiniones.* 2. *Opus de inventione corporis S. P. Augustini.* 3. *Mens Augustini de modo reparationis humanae naturae post lapsum adversus Bajanam,*

Digitized by Google

et Jansenianam haeresim juxta Apostolicas Constitutiones exposita. Hoc opus occasionem dedit praefatae criminationi Bajanismi, et Jansenismi redivivi, quam triumphali calamo, ut superius innuimus, dissipavit clarissimus noster Berti. Extat Fulgentii nostri sepulcrale marmoreum monumentum in Ecclesia S. P. Augustini de Urbe, Buccinensium Fratrum cura et aere excitatum. Consule inter caeteros nostratem Ossinger.

Fr. Fulgentius Leitam

Fulgentius Leitam, Ulyssiponensis, amore singulari erga patriam, atque zelo justitiae potissimum claruit. Anno 1626 erat Prior Ulyssiponensis, et 1630 magister novitiorum. Postea vero in Italiam venit, atque in Romano S. Mariae de Populo coenobio multos annos moratus fuit sub nomine Joannis Antonii Rivarolla. Quoniam autem non solum sacram Theologiam, verum etiam utrumque jus optime callebat, idcirco in gravioribus causis ejus consilium expetebatur. Anno 1658 Parisios se contulit, ibique apoplexi extinctus fuit. Memoratur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Scripta ejus sermone patrio typis tradita sequentia sunt: I. *Discursus morales de vita, et miraculis B. Ritae de Cascia.* 2. *Discursus moralis, et politicus de restitutione Regni Portugalliae serenissimae domui de Bragantia in persona D. Joannis IV.* 3. *Epistola apologetica ad Regem Catholicum Philippum Magnum adversus consilium cujusdam ministri circa recuperationem Regni Lusitani, sub ficto nomine Doctoris Antonii de Bentancor.* 4. *Admonitio apologetica ad P. Antoninum Dianam circa suum tractatum de potestate deponendi Reges sub nomine Ja-*

Digitized by Google

cobi a Castrobono Pedemontani, et alia, quae legi possunt apud nostratem Ossinger.

Fr. Fulgentius Petrellus

Fulgentius Petrellus, Sigilli in Umbria natus, prius fuit Provincialis, ac deinde, anno scilicet 1645, creatur totius Ordinis Generalis. Vir fuit multa eruditione conspicuus, ut ejus opera testantur. Obiit Venetiis anno 1648. Extat ejus marmoreum simulacrum Romae in templo nostro S. P. Augustini cum analoga sepulcrali inscriptione. Laudatur a nostris, atque a Ludovico Jacobillo in bibliotheca Umbriae. Opera ejus ut plurimum latine typis impressa haec sunt: 1. *Opus de intercessione B. Deiparae Virginis Mariae qua salvari gravissimos peccatores eidem devotos probatur.* 2. *Lectura (italice) casuum conscientiae centum lectionibus exposita.* 3. *Oratio funebris in obitu Thaddaei Perusini Generalis.* 4. *Decreta generalia pro Provinciis Italiae ab ipso emanata dum esset Ordinis Generalis.* 5. *Nonnullae quaestiones sub titulo: Tentationes Fulgentianae.* 6. *De auxiliis divinae gratiae, de horis canonicis, et alia quae videri possunt apud praefatum Jacobillum.*

Fr. Gaspar Molina Cardinalis

Gaspar Molina, Hispanus, Emeritae in Extremadura ortus, eximius fuit S. Romanae Ecclesiae Cardinalis. Anno 1694 quatuordecim annos natus, invitis parentibus, Eremitarum Ordinem amplecti voluit, apud quem cum haud vulgarem in litteris profectum fecisset, Augustinianam ju-

Digitized by Google

ventutem erudiendi provinciam aliquandiu laudabiliter exercuit. Postea vero conspicua Religionis munia obtinuit, scilicet primum Romani Provincialis cum Romam ad Capitulum generale se contulisset; ac deinde (post primam in Hispaniam factam reversionem) Assistentis generalis Hispaniae atque Indiarum. Quoniam autem eo tempore, quo Romae moratus fuit, peculiarem quamdam rerum apud Romanam Curiam agendarum peritiam sibi comparavit, idcirco in Hispaniam reversus multam apud suos ac praesertim apud Catholicum Regem existimationem adeptus fuit. Quamobrem ab eodem Rege anno 1733 ad Havanensem in America Episcopatum designatus fuit, quam tamen Ecclesiam numquam administravit; nam paullo post consecrationem acceptam ad Barchinonensem, ac deinde ad Malachensem translatus fuit. Nullibi autem resedit, gravissimis negotiis alibi detentus; siquidem inter caetera nobilia ipsi demandata munera, illum quoque praefatus Rex generalem Cruciatae Commissarium, atque Regii Consilii Castellae Praesidem constituerat. Tandem anno 1737 in Sacrum Purpuratorum Collegium a Clemente XII adscitus fuit. Cardinalis effectus egregiam Romanae Curiae contra Pontificis expectationem operam navavit; nam periculosa dissidia inter Hispanicum Regnum, atque Sedem Apostolicam exorta sua prudentia atque auctoritate de medio eliminavit. Dixi: contra Pontificis expectationem, quia illum magis Regi quam S. Sedi addictum existimabat. Claruit potissimum liberalitate in pauperes, amore justitiae, in consiliis ineundis solertia, in deliberandis celeritate, in exequendis autem sollicitudine, constantia, et firmitate. Apoplexi Matriti interiit anno 1744 aetatis suae 65 atque apud nostrates in regio S. Philippi templo sepultus fuit. Anno 1724 Concilio Lateranensi sub Benedicto XIII celebrato interfuerat. Prae caeteris consule Moronium.

Digitized by Google

Fr. Gelasius Hieber

Gelasius Hieber, Svevus, alumnus Provinciae Bavaricae, sacrae Theologiae Magister, ac praedicator generalis, concionandi peritia ita excelluit, ut suo tempore in tota Bavaria princeps oratorum, sol praefulgidus, novus Demosthenes, alter Tullius, tuba vitae, et vox coelorum, teste nostrate Ossinger, ab omnibus proclamatus fuerit. Tanta vi, tanta eloquentia, tantaque eruditione e suggestu catholicas veritates propugnabat, ut in ipsa tantum Monachii urbe de exteris eo convenientibus septuaginta honestae atque spectabilis conditionis personas ad Romanae Ecclesiae sinum adduxerit. In praefata autem Monachiensi civitate duodeviginti annos publicis concionibus operam dedit, tanto nimirum plausu, ut nemo ante illum unquam, ut ait laudatus Ossinger, majori aut concursu, aut studio auditus fuerit. Hujus autem eximii Augustiniani gloria non solum in eloquentiae laude, verum in aliis quoque liberalibus artibus est reponenda; nam fuit etiam acutus philosophus, rhetor facundissimus, poeta clarus, atque theologus profundus, necnon graecae, hebraicae, gallicae, latinae, et italicae linguarum valde peritus, ac demum in divinis scripturis, ac saecularibus litteris versatissimus. Per 24 annos super pergama desudavit, nec antea hujusmodi onus dimisit, quam vox, atque vires illum destituerint. Anno 1730 ob infirmam valetudinem Monachium vocatus, ibidem post annum ad meliorem vitam transivit. Adeas potissimum praefatum nostratem Ossinger. Multa suae eruditionis monumenta posteris reliquit; nam typis mandavit idiomate germanico: I. *Historiam ecclesiasticam per conciones expositam in tres tomos distinctam, quorum primus recenset historiam ab Adamo usque ad Christum, secundus complectitur vitam, praedicationem, et passionem Domini, tertius comprehendit tempus*

Digitized by Google

a missione Spiritus Sancti usque ad secundum adventum Christi. 2. *Catechismum per conciones axpositum, seu doctrinam catholicae fidei ad salutem necessariae solide declaratam.* 3. *Descriptionem thaumaturgae statuae B. V. Mariae, quam nostrates in Monachiensi coenobio venerabantur.* 4. *Amoris et doloris plena suspiria ad dolorosam sanctam faciem Christi.* 5. *Quatuordecim elegantes orationes panegyricas pro diversis solemnitatibus in variis Ecclesiis recitatas.* 6. *Vitas S. P. Augustini, et B. Ritae de Cascia.* 7. *De cultu, et veneratione SS. Eucharistiae (latino sermone) et alia quae legi possunt apud bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.*

Fr. Guilelmus Bonjour.

Guilelmus Bonjour, Gallo-Tolosanus, vir fuit multiplicis eruditionis, qui plurium linguarum, praesertim orientalium, scientia mirum in modum pollebat; quare jure meritoque a clarissimo nostro Berti dicitur hebraicae, graecae, et copticae linguae, necnon motus astrorum scientissimus. Hujusmodi doctrinae varia tum manuscripta, tum praelo impressa monumenta posteris reliquit, in quibus etiam eximium chronologum se ostendit. Anno 1695 viginti quatuor annos natus, cum jam librum conscripsisset cui titulus: *Mercurius Aegyptiorum Josephus*, a Generali Antonio Pacini Ravennate Romam Studiorum Regens vocatus fuit, ibique majora in dies praebuit suae reconditae doctrinae specimina. Quamobrem a Clemente XI Congregationi super Calendarii correptione anno 1701 a se institutae, atque ex tribus Cardinalibus (noster Norisius caeteris praeerat) et duodecim assessoribus conflatae adjunctus fuit. Anno vero 1703 haec eadem Congregatio ad quinque duntaxat redacta fuit, in quo tamen numero Guilelmus noster, utpote harum

Digitized by Google

rerum peritissimus, retentus fuit, anno 1705 erat apud Montem Faliscum jussu Emi Card. Marci Antonii Barbadici S. Scripturae interpres, ibique typis tradidit selectas in S. Scripturam dissertationes. Cardinali vita functo a Generali Adeodato Nuzzi Romam revocatus fuit, ibique varia opera elucubravit, quae manuscripta in nostra bibliotheca Angelica asservantur, quaeque sunt: *Antiquitas novis plerumque observationibus illustrata, atque de Dynastiis Aegyptiorum*, itemque transcripsit manu propria Danielem, et duodecim prophetas minores lingua coptica, necnon Psalterium David idiomate coptico et arabico. Putans autem ad fidei propagationem se a Deo vocatum, voluit ad Sinensium Imperium proficisci, qua occasione praefatus Summus Pontifex illi tradidit purpureum galerum ad Cardinalem de Tournor Macaum deferendum. Post ejusdem Cardinalis obitum Pechinum se contulit, ibique a coelesti Imperatore perquam benignissime exceptus, atque ex Pontificis commendatione Mathematicae praeceptor constitutus fuit. Deinde ex ejusdem Imperatoris mandato provinciarum Scytiae descriptionem confecit, qua completa, cum reliquo Imperio describendo una cum P. Fridellio Jesuita operam navaret, in itinere febri correptus, brevi decubuit anno 1714 aetatis suae 45. Corpus ejus jussu Imperatoris a loco tercenta milliaria dissito Pechinum translatum, in Christianorum Ecclesia tumulatum fuit. Ex vita manuscripta ejus operibus praefixa, atque in nostra bibliotheca Angelica asservata. Vide etiam acta eruditorum Lipsiae edita ad annum 1699 pag. 232 edit. 4 uti notat noster Ossinger. Opera ejus latine typis impressa sequentia sunt: I. *Dissertationes selectae in S. Scripturam.* 2. *Concertatio triduana de canone sacrorum librorum.* 3. *Calendarium Romanum chronologorum causa constructum cum gemino Epactarum dispositu ad novilunia civilia sine tabulis astronomicis, et facile ante et post Christum natum invenienda.* 4. *Exercitatio in monu-*

Digitized by Google

menta coptica, seu aegyptiaca bibliothecae Vaticanae. 5. *De nomine patriarchae Joseph a Pharaone imposito cum appendice de tempore Isiorum, et aetate Gemini, deque tempore Serapiorum, ac passionis S. Marci Evangelistae.* 6. *Tractatus de computo ecclesiastico.* 7. *Reliquit etiam manuscriptam Grammaticam copticam, lexicum item copticum, et aegyptium, et alia multa.*

V. Guilelmus Tyrreus martyr

V. Guilelmus Tyrreus, Hibernus, ex senatoria prosapia ortus, ubi ex ephebis excessit, omni rerum saecularium spe postposita, Augustinianae Familiae nomen dedit. Post professionem emissam, studiorum causa primum in Hispaniam, postea in Galliam, ac demum in Belgium profectus fuit, ad quae loca singula ipsam quoque natura sibi inditam pietatem secum tamquam fidissimam comitem semper transtulit. In patriam deinde reversus, omni contempto munerum honore, totum se religionis officiis mancipavit. A patruo Corgagiensi Antistite invitatus, non amplius quatuor mensibus apud illum invitus permansit, quo temporis intervallo transacto ad suam Augustinianam Eremum redire voluit. Quo ut pervenit, in quamdam angustiorem cellam se conclusit, ibique per tres integros annos solus cum Deo conversatus fuit, nonnisi ad sacra facienda inde egrediens. Exorta interdum acerrima in catholicos insectatione, a quibusdam Judae asseclis, quamvis sub militis persona lateret, detectus atque haereticis proditus fuit. Accurrunt isti statim veluti rabidi leones praedae inhiantes, atque in virum innoxium violentas manus injiciunt, necis supplicio utique puniendum, quod juxta edictum ex patria non exularit. Captus itaque invictissimus Christi martyr, atque vinculis

Digitized by Google

constrictus, haereticorum minas nequaquam extimuit, neque ingruentia tormenta carnificum expavit, sed forti animo ipse se satellitibus manifestavit aperte declarans se quamvis militis habitum gerat cum Sacerdotis munus, tum monachi institutum revera profiteri. Admirati haeretici tantam animi fortitudinem, disputatiunculis primo velitari incipiunt; at quoniam haeresis acumen facile retunditur, idcirco gravissima Guilelmi eloquentia illos statim ita rationum pondere oppressit, ut ad silendum adacti fuerint. Relicta igitur arena incruenta, in alteram, in qua validiores se existimabant, cruentam nimirum, descendunt, et quem in disputationum palaestra superiorem experti sunt, poenarum cruciatu superare aggrediuntur. Quocirca insontem coenobitam in foedissimum carcerem detrudunt, quem statim ille felici metamorphosi in oratorium convertit; ibi enim una cum aliis quatuor Sacerdotibus propter eamdem fidei causam inclusis horas canonicas juxta chori consuetudinem decantabat, quotidie praevia sacramentali confessione e manibus cujusdam catholici Sacerdotis Eucharistiam sumebat, atque perinde ac si proximum martyrium ipsi non sufficeret, jejuniis, vigiliis, cruentisque flagellationibus ad extremum fidei agonem proludebat. Tres menses inter haec pietatis officia transegit, quo tempore elapso, mortis sententia illi denuntiatur, quam verus athleta Christi imperturbato animo audivit. Ipso suae passionis pervigilio anteactae vitae negligentius transmissae illacrymari coepit, ac propterea pares cum suorum annorum numero panes pauperibus distribuit, totamque supremam noctem contemplationi impendit, una tantum hora excepta, quam ideo somno concessit, ut debilitatas vires sibi quodammodo reficeret, dicturo aliquid postero mane pro concione. Antelucano tempore Viaticum sumpsit, et instar monachi se jussit attonderi, ac deinde cupiens jam dissolvi et esse cum Christo, impavidus signum expectavit, quo ad patibulum raperetur; spe namque certa erigebatur uberem

Digitized by Google

martyrii sui futuram esse mercedem, perpetuam nempe Christi fruitionem. Magna interdum, eaque valida catholicorum manus ad illum e carcere eripiendum foribus effrigendis jam jam instabat; at ille justissimam concitatae multitudinis indignationem suavi eloquentia sedavit, suadens eis, ut illum sinerent per martyrium ad aeternae gloriae coronam pervenire. Subinde, ita fere habet infrascriptus libellus, irrumpunt milites, qui Sanctum ad optatam metam deducant, quos ille etsi omni facinore, et saevitia opertos, peramanter complexus fuit. Ut autem ad supplicii locum pervenit, multa ad populum dixit de fide, de aeterna vita, de moribus corrigendis, de vitiorum fuga etc. Verum auream martyris eloquentiam jam paratus carnifex interrupit, atque divino praeconi laqueo spiritum interclusit. Extemplo ex naribus ejus copiosus sanguis effluxit, qui luto permixtus magna cura a fidelibus collectus fuit, atque in summa veneratione habitus. Nec defuere miracula, quae Guilelmi nostri martyrium magis magisque illustrarent, inter quae haec praecipue notanda videntur, quod nimirum quaedam mulier vestis ejus tactu amissos oculos recepit, quodque ejusdem vestis reliquiae in mare demissae, derepente violentam tempestatem placarint. Ad haec innumera haereticorum multitudo, quae ad ejus supplicium spectandum convenerat, post illius mortem haeresim cum fide catholica commutarunt. Passus est Cluonmeliae die 2 Maji 1664. Fedardienses sanctissimi martyris corpus sustulerunt, ac magna devotione, et lugubri pompa ad monasterium nostri Ordinis asportarunt. Consule libellum typis editum, cui titulus: Sanguinea Eremus martyrum Hiberniae Ord. Eremit. S. P. Augustini, quique inter miscellanea nostrae Bibliothecae Angelicae reperitur, necnon Ordinis codices manuscriptos in Romano archivio asservatos.

Digitized by Google

Fr. Henricus Noris Cardinalis

Jure meritoque mirantur viri eruditiores quam magnae celsitudinis Cardinales Augustiniana Familia ecclesiastico orbi protulerit. Ipsa enim tantum Aegidii Canisii de Viterbio, Hieronymi Seripandi Neapolitani, atque hujus nostri Henrici Norisii Veronensis praeclarissima nomina ternionem conflant vere incomparabilem. Istos autem tantummodo in praesentiarum commemorare volui, non profecto quod soli sint, sed e contra duntaxat quia caeteris etiam praetermissis soli sufficiunt Augustiniano Nomini immortalitati commendando. Verum omissis prooemiis de nostro Norisio quaedam nunc breviter verba faciamus. Itaque vir longe praestantissimus natus est Veronae anno 1631 ex patre Alexandro Noris oriundo ex Hibernia, viro admodum erudito, atque historico egregio, qui multa scripsit, atque inter alia etiam bella in Germania peracta ab anno 1618 usque ad 1629 sub hoc titulo: *Guerre di Germania dall'anno* 1618 *sino alla pace di Lubecca* 1629. Quamobrem ingenita quadam propensione Norisius noster litteris addiscendis proclivis, jam inde a puero ad earum studium sedulo animum adjungere coepit, adeo ut brevi in politiori humanitate mirum profectum fecerit. Postea vero Ariminum ad sublimiora studia profectus, quippe qui frequens in lectione operum S. P. Augustini versabatur, tantam erga sanctissimum Doctorem animo concepit existimationem atque reverentiam, ut illius Ordinem omnimode amplecti deliberarit. Accepto igitur Eremitarum cucullo non ita multo post sui ingenii excellentiam, mentisque vastitatem Ordinis Superioribus palam facere potuit; quare illum Romam arcessierunt, ut apud hanc scientiarum omnium magistram majori cum profectu, atque commodius studiis operam navaret. Ibidem autem inter caetera, quae illi lucro fuerunt, notitiam quoque atque amici-

Digitized by Google

tiam nactus est eximii nostri Christiani Lupi Hyprensis, viri illa tempestate omnium plane doctissimi, cujus undique cumulatim accepti honores juveni Norisio ad illius gloriam aemulandam stimulo fuerunt. Quoniam autem nunquam fere aliquid frustra moliuntur electa ingenia, idcirco Henricus noster in hoc tam glorioso molimine nullum nobilissimae spei naufragium pertulit; nam heroico conatu ad tantum eruditionis fastigium pervenit, ut si celebratissimo Lupo minime superior, saltem etiam minime inferior haberi debeat. Quatuordecim diei horas ut plurimum studiis impendebat, qua nimirum assidua applicatione ita reconditissima scientiarum arcana expiscatus fuit, ut jure meritoque Maffejus a Moronio citatus asserere non dubitarit *che non ha senso chi non ammira le nuove scoperte fatte da questo Cardinale nella storia ecclesiastica, e nella erudizione più scelta.* Ipse enim non solum D. Parentis Augustini doctrinam suis vindiciis egregie defendit, verum etiam tum sacram, tum profanam historiam illustravit, antiquitates e tenebris eruit, chronologiam instauravit, calendarium correxit, novamque periodum induxit, quam Norisianam appellant, quaeque, uti ait noster eruditissimus Jo. Laurentius Berti, perutilis est ad inveniendum cyclum solarem, novilunia, diemque paschalem. Apud Ordinem studiosam juventutem docuit Pisauri, Perusiae, atque Patavii, in qua postrema civitate celeberrimam *Historiam Pelagianam* complevit. Hoc egregium opus, quod universali omnium eruditorum approbatione exceptum fuit, malignantium patuit invidiae, qui illud propterea non semel inter prohibitos libros amandare conati fuerunt. Verum suorum detractorum audaciam, atque effrontem procacitatem nullo negotio confregit doctissimus Norisii calamus, adeo ut magis magisque excreverit per totum orbem terrarum illius vastissimae eruditionis fama, atque majoribus in dies dignitatibus a Summis Pontificibus cumulatus fuerit, ac tandem ab Innocentio XII. ad Sacrum

Digitized by Google

Purpuratorum Collegium anno 1695. assumptus, et deinde primariis Romae Congregationibus adscriptus, necnon, anno 1700, S. Ecclesiae Bibliothecarius constitutus cum annuo emolumento scutatorum 5585. ut est apud praefatum Moronium. Anno 1674. suadente eruditissimo Magliabecchio, Cosmus III. Magnus Hetruriae Dux Norisium nostrum una simul cum alio nostrate viro doctissimo, nimirum Christiano Lupo, qui tamen adire noluit, Florentiam arcessiverat, eumque suum theologum constituerat, filiique sui Joannis Gastonis praeceptorem, ac demum in Pisana Universitate publicum ecclesiasticae historiae professorem, oblata illi praeterea Ecclesiae Pistoriensis infula, quam ipse tamen constantissime recusavit, quemadmodum etiam postea Sacrarii Apostolici praefecturam admittere noluit. Fatis concessit Romae anno 1704. aetatis suae 73. fuitque in nostro S. P. Augustini templo sepultus. Extat ejus marmoreum monumentum in eodem templo ad dexteram concivis, et confratris sui Onuphrii Panvinii cum apposito analogo epitaphio. Post amplissimi Cardinalis obitum supremus Hispaniarum Inquisitor Norisii Historiam Pelagianam, et dissertationem super quinta synodo oecumenica in prohibitorum librorum indicem referre ausus fuit; quod ubi rescivit eximius totius Augustiniani Ordinis Antistes Augustinus Gioja rem totam sapientissimo Pontifici Benedicto XIV. commendavit, qui statim pro sua erga Norisium ipsum existimatione hisce sequentibus ad praefatum Hispaniarum Inquisitorem datis litteris defuncti Cardinalis patrocinium suscepit. *Etsi*, haec namque inter caetera habet Summi Pontificis epistola, *memorati Norisii opera aliquid Jansenismi, aut Bajanismi redolerent, prout auctor Bibliothecae Jansenisticae immerito autumavit, post tot annorum lapsum, in quorum decursu ea summo plausu excepta sunt, nonne prudens oeconomia ecclesiastica exigebat, ut a proscriptione abstineretur quam unusquisque praevidere poterat multa mala esse excitaturam, uni-*

Digitized by Google

latem Ecclesiae hispanicae esse scissuram, obstrepentibus videlicet, prout unusquisque praevidere poterat, Augustiniani Ordinis alumnis, et ipsorum asseclis, obstrepentibus tot aliis viris doctis in Hispania degentibus, et partium studio non abreptis, paratisque ad assumendam auctoris defensionem, non incogniti, non gregarii, sed litteratorum sui temporis facile principis, et eo solo litteraturae ecclesiasticae, et profanae merito sacro Cardinalium Collegio adscripti?... Haec procedunt in hypothesi in qua Norisiana opera Bajanismum, et Jansenismum redolerent; quid autem dicendum erit, cum ea Bajanismi, aut Jansenismi nota careant, et carere constet post multiplicatum super eis examen in hac Suprema Inquisitione Romana, cui Summi Pontifices pro tempore existentes praesunt, quique mox recensita examina suo calculo comprobarunt? Et sic prosequitur immortalis Pontifex in laudem, et defensionem operum et personae Emi Cardinalis, ut videre licet in tomo decimo Cursus Theologiae completi col. 1433. Quoniam autem hoc opus commemoravi, proferam etiam in medium, quae in eodem tomo col. 1068 leguntur in laudem tum Norisii, tum theologici Augustiniani systematis, quaeque nimirum sunt tenoris sequentis: *Henricus Norisius, vir exquisita eruditione, et pietate conspicuus eamdem historiam (pelagianam) memoriae consecravit duobus libris, quos censura configi vetuit Benedictus XIV, sed fine ab Hyprensis fine omnino diverso, scilicet ut catholicum Augustinianum systema, quod adaequate spectatum caeteris fortassis praehabendum est, adversus Molinistas, et alios firmius stabiliret.* Accipe tandem aureorum Norisii operum catalogum, typis enim impressa habentur: 1. *Historia pelagiana, et dissertatio de Synodo V. oecumenica cum vindiciis Augustinianis.* 2. *Censura in notas Joannis Garnerii ad inscriptiones epistolarum synodalium XC. et XCII. inter Augustinianas.* 3. *Epistola adventoria amicissimo et doctissimo P. Fr. Macedo in Patavina Academia Ethices interpreti, in qua de*

Digitized by Google

inscriptione libri S. Augustini de gratia Christi disseritur. 4. *Dissertatio duplex de duobus nummis Diocletiani, et Licinii cum auctario de votis decennalibus Imperatorum et Caesarum.* 5. *Cenotaphia Pisana Caji et Lucii Caesarum dissertationibus illustrata.* 6. *Dissertationes duae, prima de paschali Latinorum cyclo annorum* 84, *et altera de cyclo paschali Ravennate annorum* 95. 7. *Opus cui titulus: Somnia quinquaginta Fr. Macedo in itinerario S. Augustini post baptismum Romam excutiebat levi brachio P. Fulgentius Fosseus Augustinianus, scilicet Henricus Noris.* 8. *Epistola consularis in qua collegia septuaginta consulum ab anno christianae epochae* 26 *usque ad* 219 *in vulgatis fastis hactenus perperam descripta corriguntur et illustrantur.* 9. *Annus et epochae Syro-Macedonum in vetustis urbium Syriae nummis, praesertim Mediceis, expositae.* 10. *Historica dissertatio de uno ex Trinitate in carne passo. Accedunt Historiae Pelagianae Henrici Noris ab anonymi scrupulis vindiciae.* 11. *Historia Donatistarum.* 12. *Appendix ad eamdem historiam, seu lectiones Norisianae habitae in Academia Pisana.* 13. *Historiae Gothescalcanae synopsis.* 14. *Dissertatio de sanctitate Syricii Papae.* 15. *Epistolae variae, et alia quae in summo pretio apud eruditos habentur, quaeque quatuor tomis in folio comprehenduntur.*

Fr. Hyacinthus Tonti

Hyacinthus Tonti, Anconitanus, sacrae Theologiae Magister, claruit per totam Italiam insignis concionatoris nomine. Anno 1714 erat publicus S. Scripturae interpres apud Patavinam Universitatem. Praecipua italicae peninsulae pulpita conscendit, atque etiam coram sua Majestate Caesarea, et Sabaudiae Duce Victorio Amadaeo pluries magno cum plausu praedicavit. Quo in munere nedum praesentibus,

Digitized by Google

verum etiam futuris utilem se reddidit; nam permultas conciones italice conscriptas per praelum ad posteros transmisit. In his tamen, uti notat noster clarissimus Berti, ingeniosior videtur quam eloquentior. Jure meritoque defensoris catholicorum dogmatum nomen sibi promeruit; nam eadem contra Jacobum Piccininum novatorum patronum valide propugnavit. Vivis defuit Anconae anno 1726, aet. 60. Nominatur etiam apud Dictionarium historicum editum Bassani anno 1796. Praelo mandavit infrascripta opera italice exarata. I. *Apologiam catholicorum dogmatum contra praefatum Jacobum Piccininum.* 2. *Quadragesimale, et Adventum.* 3. *Alterum Quadragesimale, et alterum Adventum.* 4. *Varias orationes panegyricas.* 5. *Sententiam Augustinianam de rerum creatione, latine.*

Fr. Hieronymus Valvasorius

Hieronymus de Valvasoribus, Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, dicitur a nostrate Ossinger excellens philosophus, atque theologus famosus. Potissimum tamen ob insignem concionandi peritiam commendatur; tantam enim e sacris rostris per celebriores Italiae urbes famam sibi comparavit, ut Alexander VII. ad Assistentis Italiae officium apud Ordinem illum promoverit, unde postea ad Procuratoris generalis, ac tandem ad supremi Ordinis Antistitis dignitatem pervenit. Fuit praeterea, ut iisdem verbis refert Ossinger, in Archigymnasio Romano sacrorum librorum interpres, Consultor Congregationis Indicis, et Sacrorum Rituum, necnon Qualificator supremi tribunalis S. Inquisitionis. Quoniam autem in praefatis omnibus muneribus obeundis laudabiliter se gessit, idcirco ab Innocentio XI. anno 1677 ad Episcopalem Pisaurensem Cathedram

Digitized by Google

evectus fuit. Sedit octo circiter annos, obiitque anno 1684. Nominatur a Philippo Piccinello, necnon a Philippo Argelati. Scripta ejus sunt: 1. *Cursus rationalis, et naturalis Philosophiae.* 2. *Tractatus de beatifica visione.* 3. *Tractatus de Angelis.* 5. *De fide, spe, et caritate.* 5. *De Incarnatione.* 6. *Conciones quadragesimales.*

V. Hilarius de Monte Ortono

V. Hilarius Vitali, Patavinus, de Monte Ortono appellatus, adhuc peradolescens apud Sanctuarium B. Mariae Virginis de Monte Ortono in pago Patavino situm suae aetatis primitias Eremitarum habitum induens Domino consecrare voluit. In ipsis religiosae palaestrae primordiis sedulam operam litteris navare coepit; verum quia pietatis exercitia illum magis oblectabant, idcirco iis majori contentione totum se addixit. Admirationem cunctis profecto affert arctissimum illud, quod exinde traduxit, poenitentis vitae genus. Nam per viginti duorum annorum spatium nonnisi panem, et aquam, et quidem juxta mensuram, gustavit, corpus ciliciis, ferreisque flagellis edomuit, atque super durissimum lectum cubavit, pro cervicali canistrum capiti supponens. Ita erat orationi deditus, ut integras fere noctes insomnes orando transigeret, atque adeo solitudinis, et recessus studiosus, ut numquam, nisi necessitate coactus, extra septa monasterii egrederetur. Erga pauperes summa ferebatur caritate, eisque nedum escam suo sibi ori subductam, verum etiam detractas sibi vestes donabat. Religiosam autem paupertatem ita excoluit, ut moriens laetaretur nihil sibi esse quod Superiori juxta morem resignaret. Praeterea angelica quadam cum animi, tum corporis puritate enituit, tantaque etiam humilitate excelluit, quanta

Digitized by Google

in iis solum, qui sanctitate praeeminent, reperiri potest. Sub ipsum suae peregrinationis terminum pristinas vitae austeritates multiplicavit, et auxit, in iisque tandem extremum diem piissima morte confecit in nostro Montis Ortoni coenobio anno 1705 aetatis suae 50. Ex nostrate Augustino Arpe in suo Diario Sanctorum Augustinensium. Nominatur etiam ab eruditissimo Berti in suo Breviario historiae ecclesiasticae.

Fr. Jacobus Philippus Gatti

Jacobus Philippus Gatti, Genuensis, dicitur a nostrate eruditissimo Berti *artis rhetoricae et poeticae peritus quantum opera ejus testantur*. Si vero innumeros consulere velimus litteratos, praesertim Neapolitanos, ejus laudatores, qui quis illum altius efferret, versibus, solutaque oratione decertarunt, nullo negotio intelligemus Philippum nostrum revera sua aetate fuisse concionatorum portentum, sacrae eloquentiae monstrum, totius Italiae miraculum, atque italicorum pulpitorum decus et ornamentum. Nullum reperi alium in Augustinianis annalibus pervolutandis, in quem tantam viri eruditiores congesserint praeclarissimarum laudum copiam, praeter Marianum de Genestano, Aegidium de Viterbio, Lippum Brandolinum, Alexandrum Oliva de Saxoferrato, Hieronymum Seripandum, aliosque ejusdem supercilii praestantissimos, atque immortalis nominis nostrates concionatores. Quamobrem jure meritoque hisce rarissimis viris Jacobus noster potest comparari. Ast nequis putet me conterraneo meo, atque sodali aequo majorem laudum coronam intexere, exscribam ad litteram verba Silverii Josephi Cestari prout jacent in praefatione libri cui titulus: *Veraci onori di alquanti letterati ecc. in lode del molto R. P. Maestro Fr. Giacomo Filippo Gatti dell'inclito*

Digitized by Google

Ordine Agostiniano. Qui liber Romae in nostra Bibliotheca Angelica asservatur. Alter vero ipsius elogiorum liber ab hoc diversus occasione obitus nostri Philippi exaratus extat in nostra Viterbiensi SS. Trinitatis Bibliotheca. En itaque ipsissima praefati scriptoris verba: *E sul bel principio*, ita loquitur de nostro Gatti, *ti porrò innanzi agli occhi l'improvviso ragionamento fatto nell'anno* 1726...*nel magnifico antico tempio di S. Lorenzo, per esser mancato per un repentino accidente il destinato in pria oratore; il quale sebbene da lui nel brevissimo spazio di una scarsa mezz'ora alla rinfusa meditato, pur fu pieno e adorno di riposta dottrina, e di bei lumi, e rare figure della più culta sacra eloquenza, che a dir vero non solamente rimase ammirata la volgar gente, ma sorpresi da estasi di meraviglia i più dotti e scienziati uditori che 'l sentirono, tal che in premio n'ebbe l'esser egli per comun voto fatto cittadino Napolitano; e la stessa eccellentissima città indi a non guari tempo presentò supplica al suo Sovrano perchè mai sempre tenuto lo avesse presente nelle promozioni de' regj Vescovadi, dichiarandolo inoltre con tanto particolar genio e letizia suo teòlogo. Nell'anno* 1728 *predicò nell'inclita e trionfante Roma... con non mai udito grido, ed ampio concorso... E giunto sì nobil suono all'orecchio del Sommo Pontefice Benedetto XIII. volle ancor esso dopo la Pasqua udirne nella sua domestica cappella una predica, e compiacendosi benignamente della sua riposta dottrina, vivo zelo, e maravigliosa grazia, lo contraddistinse onorandolo con eletti e preziosi doni di bellissime medaglie d'oro unite a mille altre spirituali onoranze... Nel* 1731 *predicò in Venezia, ove egli ebbe tant'alti onori, de'quali d'un solo io qui farò parola; ed egli fu che dopo la Pasqua avendo voluto ascoltare una delle sue prediche le monache del chiaro monistero de'SS. Rocco, e Margarita, nell'uscir poi che egli fece dalla Chiesa per ridursi nelle sue stanze, ritrovò che l'affezionato popolo tutt'ebbro d'una inusitata letizia*

Digitized by Google

aveva apparata con bell'ordine di ricche coltrici e di vaghissimi panni di controtagli tutta l'ampia strada per dove doveva egli passare, con cartelloni di quà e di là, con in mezzo inalberata l'impresa Gatti, e d'ogni intorno adornata di spiritosi sonetti, ed altri bei e leggiadri componimenti stampati in sua lode, e con sparo di mortaletti, e con alto e grato suono di festive trombe il ricondussero dentro la sua stanza. Onor ben dovuto alla sua rara virtù, ed al suo chiarissimo merito; del quale onore ben io ne ricevei da contraddistinte persone schietta, e verace notizia; non già da lui, che richiestone dagli amici nel suo ritorno non altro con l'innata sua modestia rispose, se non che Iddio avea data piena benedizione alle sue fatiche; umilissima frase consueta, con cui egli suol dare ragguaglio a'suoi amici degli onori, che riceve nel tempo della santa predicazione, a scorno insieme, e ad esempio di quei gonfi e boriosi, che non contenti di spacciar quel che sono, si spacciano ancora ciò che non sono. Hucusque praefatus Cestari contemporaneus, qui omnia elogia in unum volumen collegit, quae Jacobo nostro occasione quadragesimalis praedicationis habitae anno 1735. in S. Spiritus templo ab eruditis Neapolitanis certatim impertita fuerunt. Prosequitur laudatus scriptor referens eximium Augustinianum oratorem item cum universali omnium plausu atque admiratione quadragesimales conciones habuisse Florentiae anno 1729, Barii 1732, Genuae 1733, et Romae secundo 1734. Neapoli apud Regium Gymnasium publicus Theologiae professor fuit, atque socius Academiae Porticensis titulo Pompeii Aquavivida, necnon Arcadum Romae nomine Dareclidis. Calluit etiam egregie linguam latinam, Philosophiam, historiam sacram, et profanam, atque Musicam; fuitque in S. Scripturae notitia admodum versatus, necnon versibus ex tempore componendis aptissimus. Praeterea celebratur ab ipsius laudatoribus summa illius bonitas et mansuetudo, qua ipsis quoque detractoribus atque oblocutori-

Digitized by Google

bus illustria beneficia contulit. Immatura morte decessit Neapoli in coenobio S. P. Augustini anno 1744. Typis edidit italice: 1. *Coronam poeticam ad Serenissimam Infantem Mariam Elizabetham Borboniam.* 2. *Orationem habitam Atellae occasione benedictionis vexillorum militum.* 3. *Orationes quas recitavit occasione novendii celebrati Neapoli pro impetranda regiis conjugibus masculina prole.*

Fr. Jacobus Homey.

Jacobus Homey, Gallus, vir eruditissimus, alumnus fuit coenobi Bituricensis. Dicitur ab Ossinger graeco, hebraico, ac latino peritus eloquio. Suae eruditionis praeclara posteritati monumenta reliquit. Mortalitatis tunicam exuit anno 1713. Haec de illo habet D. Antonius Beaugendre, Congregationis S. Mauri, in praefatione ad V. Hildeberti opera anno 1708 Parisiis edita: *Animos nobis addidisse non diffitebimur P. Fr. Jacobum Homeyum Augustinianum, qui in erudito suo Patrum supplemento anno 1682 Parisiis edito quaedam opuscula tam prosa quam metro a se detecta in lucem protulit... Interim quod ad nos pertinet cum ingenui sit pudoris, inquit Plinius, fateri per quem profeceris, non diffitebimur commodo nobis fuisse laudati R. P. Homey Supplementum Patrum in quo nonnulla Hildeberti opera a se detecta tam prosa, quam metro inseruit... Porro in praedicto Patrum Supplemento ad epistolas notas adjecit supra laudatus Homeyus certe non indoctas.* Nominatur etiam a Christiano Jocher, atque ab Augustino Calmet. Quae typis latine evulgavit sequentia sunt. I. *Milleloquium morale desumptum ex operibus S. Gregorii Magni, Innocentio XI. nuncupatum.* 2. *Diarium Europaeum historico litterarium anni* 1703. Verum causa hujus operis in exilium ire jussus fuit, quia in eo de satisfac-

Digitized by Google

tione Reipublicae Venetae Galliarum Regi anno 1702 praestita liberius scripsit, uti notat noster Ossinger. 3. *Supplementum Patrum complectens multa SS. Patrum, Conciliorum, Scriptorumque ecclesiasticorum opera e manuscriptis eruta, et illustrata.* 4. *De translatione corporis S. Fulgentii Ruspensis Episcopi Bituricas.* 5. *Editio libellorum Fabii Claudii Gordiani cum notis.*

V. Jacobus Lopez.

Hujus Augustiniani herois futuram sanctitatem ducentis circiter annis ante illius ortum praedixit S. Vincentius Ferrerius ex inclyto Praedicatorum Ordine, qui quotiescumque ante domum transibat, in qua noster Jacobus nasciturus erat, caput sibi in reverentiae signum denudabat dicens: *In hac domo aliquando nascetur magnus servus Dei, qui in diebus suis Ecclesiam Christi multum illustrabit.* Et revera natus est Valentiae in eadem domo Jacobus noster anno 1616. atque juxta praefati Sancti prophetiam aximiae sanctitatis radiis super Ecclesiae candelabrum praefulgere coepit. Talia sunt, atque adeo mira, quae de illo a scriptoribus narrantur, ut eum in terris licet degentem non quidem Augustinianae Eremi cultorem, sed e contra Paradisi habitatorem jure meritoque dixeris; nam revera cum Coelitibus in terra, non autem cum hominibus conversatus fuisse videtur. In primis enim, ut olim D. Thomas Aquinas, angelos sibi lumbos praecingentes aspexit, atque exinde nullos unqnam in posterum concupiscentiae stimulos expertus fuit. Deinde cum concionabatur aderant concionibus ejus tum ipsemet Dominus Jesus, tum ipsius Mater Virgo Maria, tum demum D. Parens Augustinus, ac praeterea disputanti adstabat D. Thomas Aquinas, eique responsa singula suggerebat. Item non semel columba super caput ejus,

Digitized by Google

sol in pectore, ac sydera circa illum stare visa fuerunt. Ad tam intimam cum Deo unionem pervenerat, ut jam non ipse, sed Christus in ipso vivere videretur, maxime quia species Eucharisticae ab una ad alteram communionem in praecordiis ejus incorruptae permanebant, ex quo nimirum fiebat, ut raro hujusmodi exemplo, dum adhuc hanc mortalem vitam degebat, coelestem quamdam odoris fragrantiam e suo corpore exhalaret. Ad haec familiari etiam angelorum consuetudine dignatus fuit, atque ab iis tum in cella concentus musicos audire, tum etiam in itinere validum praesidium percipere meruit. Praeter haec omnia autem specialissimum quoque, ac caeterorum maximum privilegium a Domino obtinuit, revelationem nempe de certa suae aeternae beatitudinis consecutione. Tandem angelicus vir, tot tantisque supernis favoribus a Domino cumulatus ad promissam sibi aeternae gloriae coronam percipiendam e Valentino coenobio evolavit anno 1670. Statim post ejus mortem super ipsius cubiculum stella apparuit, ejusque anima ad coelum conscendere visa fuit. In publicum suae humilitatis testimonium, S. P. Augustini exemplum secutus, suarum confessionum librum reliquit. Consule diarium Sanctorum nostri Augustini Arpe, in quo etiam celebratur peculiaris V. Jacobi erga Deiparam devotionis affectus.

Fr. Ignatius Ertl.

Ignatius Ertl, Monachiensis, illustris fuit Bavaricae Provinciae alumnus. Praecipua ejus laus in celebrioribus illius regionis pulpitis enituit; erat enim magni nominis concionator. Supremum diem explevit anno 1713. Illius scripta, quae lingua germanica impressa habentur, sunt sequentia: 1. *Sermones in omnes Dominicas totius anni, quibus titulus:*

Digitized by Google

Promontorium bonae spei. 2. *Sermones Dominicales inscripti:* Tolle lege. 3. *Sermones de passione Domini sub titulo:* Amara dulcis. 4. *Sermones pro adventu Domini sub appellatione:* Rorate. 5. *Sermones festivales.* 6. *Variae orationes panegyricae.* Adeas Bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

V. Fr. Innocentius Angeluccius.

Fr. Innocentius Angeluccius, Anconitanus, cum regularis observantiae zelo maxime floreret, in variis coenobiis, nempe Firmi, Anconae, atque bis Romae ad S. Augustinum prioratum tenuit. Ibidem cum secunda vice priorem ageret, propter dirissimam quamdam oculorum aegritudinem visum omnino deperdidit, quem ut recuperaret, nedum multa remedia adhibuit, verum etiam modo huc modoque illuc eundo pluries sedem mutavit, quaerens videlicet sicubi aer salubrior aliquid aegris oculis utilitatis posset afferre. Ast cum omnem artem medicam inutilem expertus fuisset, nullumque etiam ex varia aeris mutatione subsidium perciperet, Anconam se contulit, ibique chorum ingressus, atque in genua ante Crucifixi imaginem provolutus, ferventissimis precibus postulat a Patre luminum ut oculorum visum illi restituat, ad hoc saltem ut possit vel semel tantum sacrosanctum Missae Sacrificium suae divinae Majestati offerre. Haec autem a Domino deprecans hujusmodi arcanam vocem audiit dicentem sibi: *Frater Innocenti noli deinceps esse pro corpore sollicitus, sed animae potius tuae curam gere.* Quo nimirum coelesti nuntio adeo recreatus fuit, ut statim posito omni oculis medendi studio totum se Dei voluntati commiserit, caecitatem ipsam inter divina beneficia reponens, atque exinde per duodecim quibus supervixit annos corpus suum asperrimis castigationibus quotidie subjicere sategerit.

Digitized by Google

sol in pectore, ac sydera circa illum stare visa fuerunt. Ad tam intimam cum Deo unionem pervenerat, ut jam non ipse, sed Christus in ipso vivere videretur, maxime quia species Eucharisticae ab una ad alteram communionem in praecordiis ejus incorruptae permanebant, ex quo nimirum fiebat, ut raro hujusmodi exemplo, dum adhuc hanc mortalem vitam degebat, coelestem quamdam odoris fragrantiam e suo corpore exhalaret. Ad haec familiari etiam angelorum consuetudine dignatus fuit, atque ab iis tum in cella concentus musicos audire, tum etiam in itinere validum praesidium percipere meruit. Praeter haec omnia autem specialissimum quoque, ac caeterorum maximum privilegium a Domino obtinuit, revelationem nempe de certa suae aeternae beatitudinis consecutione. Tandem angelicus vir, tot tantisque supernis favoribus a Domino cumulatus ad promissam sibi aeternae gloriae coronam percipiendam e Valentino coenobio evolavit anno 1670. Statim post ejus mortem super ipsius cubiculum stella apparuit, ejusque anima ad coelum conscendere visa fuit. In publicum suae humilitatis testimonium, S. P. Augustini exemplum secutus, suarum confessionum librum reliquit. Consule diarium Sanctorum nostri Augustini Arpe, in quo etiam celebratur peculiaris V. Jacobi erga Deiparam devotionis affectus.

Fr. Ignatius Ertl.

Ignatius Ertl, Monachiensis, illustris fuit Bavaricae Provinciae alumnus. Praecipua ejus laus in celebrioribus illius regionis pulpitis enituit; erat enim magni nominis concionator. Supremum diem explevit anno 1713. Illius scripta, quae lingua germanica impressa habentur, sunt sequentia: 1. *Sermones in omnes Dominicas totius anni, quibus titulus:*

Digitized by Google

Promontorium bonae spei. 2. *Sermones Dominicales inscripti:* Tolle lege. 3. *Sermones de passione Domini sub titulo:* Amara dulcis. 4. *Sermones pro adventu Domini sub appellatione:* Rorate. 5. *Sermones festivales.* 6. *Variae orationes panegyricae.* Adeas Bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

V. Fr. Innocentius Angeluccius.

Fr. Innocentius Angeluccius, Anconitanus, cum regularis observantiae zelo maxime floreret, in variis coenobiis, nempe Firmi, Anconae, atque bis Romae ad S. Augustinum prioratum tenuit. Ibidem cum secunda vice priorem ageret, propter dirissimam quamdam oculorum aegritudinem visum omnino deperdidit, quem ut recuperaret, nedum multa remedia adhibuit, verum etiam modo huc modoque illuc eundo pluries sedem mutavit, quaerens videlicet sicubi aer salubrior aliquid aegris oculis utilitatis posset afferre. Ast cum omnem artem medicam inutilem expertus fuisset, nullumque etiam ex varia aeris mutatione subsidium perciperet, Anconam se contulit, ibique chorum ingressus, atque in genua ante Crucifixi imaginem provolutus, ferventissimis precibus postulat a Patre luminum ut oculorum visum illi restituat, ad hoc saltem ut possit vel semel tantum sacrosanctum Missae Sacrificium suae divinae Majestati offerre. Haec autem a Domino deprecans hujusmodi arcanam vocem audiit dicentem sibi: *Frater Innocenti noli deinceps esse pro corpore sollicitus, sed animae potius tuae curam gere.* Quo nimirum coelesti nuntio adeo recreatus fuit, ut statim posito omni oculis medendi studio totum se Dei voluntati commiserit, caecitatem ipsam inter divina beneficia reponens, atque exinde per duodecim quibus supervixit annos corpus suum asperrimis castigationibus quotidie subjicere sategerit.

Digitized by Google

Panem cum paucis leguminibus, aut oleribus neque sale, neque oleo conditis ad cibum adhibuit, atque ad sitim extinguendam non alio potu quam aquae usus fuit. Super nudos asseres, superstrato ad majorem carnis mortificationem cilicio ex pilis equinis contexto, necessarium somnum capiebat, scabro duntaxat centunculo fessa membra cooperiens. Caudicem capiti pro pulvinari supponebat, ad quem ita cervicem frequenter allidebat, ut jugiter ulcerato occipitio incederet. Ad haec cilicinam vestem ex setis confectam super asperam subuculam gestabat, atque ut ipsi quoque pedes suo cruciatu non carerent, aliquot fabarum grana in calceos immittebat, ex quibus quaedam post ejus obitum pedum solo infixa reperta fuerunt. Praeterea singulis quibusque hebdomadibus quater per integrum unius horae spatium nudata sui corporis membra flagellis percutiebat, (recitans interea litanias, aliasque preces congeminans) tanta nimirum vi ut e discissa cute copioso sanguine prosiliente cum cellae parietes, tum pavimenti lateres respergerentur. Nec tamen ea quae ad pietatem pertinent minori studio, atque zelo adimplebat; nam quotidie singulis horis canonicis, Missaeque conventuali in choro assistebat, atque reliquo diei tempore vel audiendis fidelium confessionibus, vel fundendis privatim ad Deum precibus operam dabat; quare invidens malignus spiritus tantae Innocentii sanctitati illum variis terriculamentis ab orationis frequentia avertere satagebat. At frustra: nam vir Dei imaginem Crucifixi complectens iniquissimos Satanae conatus eludebat, ipsumque tenebricosum animarum hostem increpans atque conspuens a se procul abigebat. Tanta autem ex frequenti Sacramentorum Poenitentiae, atque Eucharistiae perceptione spiritus dulcedine perfundebatur, ut jam sibi supernis coelitum deliciis, quibus toto animi desiderio jugiter inhiabat, frui videretur, ad quam proptatam aeternae felicitatis fruitionem per piissimam mortem tandem laetus transivit anno 1653. Ex Ordinis registris.

Digitized by Google

Fr. Joannes Baptista Cotta

Percelebre est in tota Italia hujus eximii Augustiniani poetae nomen, qui jure meritoque tamquam Poeseos sua aetate restaurator universim ab omnibus habetur, quippe qui hanc vere divinam ac praecellentem artem per summum dedecus profanorum hominum vitio sublimi sua sede dejectam, ad supremum ipsius atque nobilissimum principium, nempe Deum, magno publicae honestatis emolumento revocavit. Nam cum caeteri ut plurimum vates hanc verae pulchritudinis magistram aliqua turpitudinis foeditate dehonestare, aut saltem intra angustiora humanarum rerum confinia detinere soleant, ipse e contra vatum principem, regium psaltem, imitatus, aquilae volatu ima cuncta transcendit, atque musas, et lyram ad increatae pulchritudinis gloriam enarrandam evexit. Sciunt quid loquar qui prae manibus habuerunt aureum illud poema italice inscriptum: *Dio, Sonetti ed inni di Giovambattista Cotta*, in quo sane egregio volumine praeter numeris omnibus absolutam poeticam peritiam, vastissimam etiam auctoris theologicam scientiam eruditi omnes jure mirantur. Verum de praestantissimo Augustiniano coenobita aliqua saltem breviter verba faciamus.

Itaque Baptista noster apud Tendam in Nicaeensi regione super marittimas alpes primam lucem aspexit anno 1668. atque parentes ejus fuerunt Joannes Baptista Cotta, et Julia Chianea, frugi, honestique conjuges. Pupulus aliquot mensium patre, ac postea puerulus decennis etiam matre orbatus, in tutelam a quodam propinquo, optimo viro, susceptus fuit. Quindecim annos natus Nicaeam studiorum causa missus, ibidem Poesi, atque eloquentiae sedulam operam navavit, ac post biennium, consilio etiam atque hortatu Juliae germanae sororis, Eremitanae Familiae apud almam

Digitized by Google

Genuensem Congregationem nomen dare constituit. Habitum itaque suscepit in coenobio SS. Crucifixi prope Januam, ac post annum, ut moris erat, solemnem votorum nuncupationem emisit. Studiorum curriculum complevit Parmae, Veronae, atque Patavii, egitque postea Lectorem Florentiae, et Collegialem Romae, atque ubique praecellentis poetici ingenii luculenta specimina praebuit. Florentiae potissimum atque Romae cum litteratis hominibus amicitiam conjunxit atque necessitudinem, illic Apatistarum, hic autem Arcadum, quemadmodum quoque aliis alibi, Academiis adscriptus. Cujusdam Praelati Romani, qui ab illo aliquo nescio quo verbo offensum se existimabat, indignationi cedens, S. Augustini Collegium, spemque ad Regentis gradum obtinendum reliquit, atque in suae Congregationis coenobium S. Georgii in Velabro se recepit, ibique quadragesimalibus concionibus componendis totum se dedit, quas postea cum ingenti animarum lucro, atque universali omnium auditorum plausu recitavit Romae, Viterbii, Senis, Januae, Neapoli, et alibi. Tantam autem in concionando doctrinae varietatem, atque Scripturarum, Sanctorumque Patrum notitiam, tantam insuper stili venustatem, atque elegantiam, tantam denique dicendi facundiam, atque ad commovendos affectus dexteritatem ostendebat, ut inter caeteros omnes suae aetatis concionatores, teste clarissimo Fagiuoli, parem sibi non haberet. Ipsius autem concionantis vehementissimum spiritus fervorem, atque flagrantissimae caritatis zelum prae omnibus potissimum occasione ingentium terremotuum Viterbiensis civitas experta fuit; quamobrem ad perpetuam rei memoriam in publicis Municipii codicibus haec inter caetera litteris consignavit: *Enixe hortantes rev. patr. fratrem Jo. Baptistam Cotta Tendensem, Priorem hujus conventus SS. Trinitatis, qui magno animarum foenore abundantius omnibus laboravit, cuique gratissima civitas multum debet ob missiones ab ipso in hisce terremotibus factas, ardentissimo-*

Digitized by Google

que zelo ad quatuor menses productas . . . . . Plurima etiam dona (Virgini Liberatrici) *oblata fuerunt, et ni Prior SS. Trinitatis* (Jo. Baptista Cotta) *e concione inclamans Viterbiensium pietati majori pietate obstitisset, Viterbienses mulieres anulis, et inauribus omnibus ad Virginem exornandam se expoliassent.* Anno 1706 Genuae Vicarius Generalis suae Congregationis electus fuit, quo nomine praefatae Congregationi multa beneficia contulit; nam inter caeteras res bene gestas historiam texuit illustrium virorum, qui in illa floruerunt, conventuum memorias, bullas, diplomata, jura, privilegia, et caetera hujusmodi incredibili labore in unum collegit, et in archivio a se ipso ad hoc excitato disposuit, ac insuper librum constitutionum confecit, typisque Genuae mandavit. Anno 1722. Florentiae de mandato P. Rm̃i Cervioni in templo S. Spiritus coram universis Florentinis Academicis (quinquaginta circiter annos natus) magistralibus infulis condecoratus fuit, ac postea Perusiam priorem agere se contulit, ibique cultum promovit nostratis B. Jacobi de Cerqueto, erat enim de Sanctorum Ordinis nostri honore admodum sollicitus; quamobrem improbos etiam labores sustinuit, multisque in variis itineribus periculis, atque incommodis se objecit ut e tenebris monumenta erueret spectantia ad vitas nostratum BB. Andreae de Monte Regali, Antonii Turriani de Aquila, necnon Antonii de Amandula, quorum certe nonnisi propter accuratas ipsius disquisitiones Apostolicae Sedis indulto festa nunc cum officii recitatione celebramus. Ex Umbria post quindecim annorum mansionem discedens, in patriam reversionem fecit anno 1733. ibique inter pias exercitationes reliquum vitae tempus transegit usque ad annum 1737. quo plenus meritis atque honoribus cumulatus ex hac vita migravit. Perinsignis tanti viri pietas luculento praeconio celebratur a P. Jo. Baptista Semeria in suis saeculis christianis Liguriae in haec verba: *Il nome del padre Cotta non ha qui luogo per le sublimi*

Digitized by Google

scienze delle quali era maestro, non per la vastissima sua erudizione, per cui lo ammiravano i più insigni letterati del suo secolo, non per le divine sue poesie, sul genere delle quali non v' è finora stato chi lo pareggi, ma unicamente per esser stato un gran servo di Dio, colmo d' ogni virtù, modello di religiosa perfezione, umilissimo sprezzatore di sè stesso, e di tutta la gloria, che seguiva i suoi meriti. Vol. 2. pag. 539. Consule illustrium Italorum laudatores, necnon vitam ejus a nostrate Hyacintho della Torre descriptam. Typis edidit italice: I. *Praefatum egregium opus, cui titulus*: Dio, sonetti, ed inni etc. 2. *Compendium vitae B. Veronicae de Binasco Augustinianae.* 3. *De imagine prodigiosa SS. Liberatricis Viterbii.* 4. *Vitam B. Antonii Turriani Augustinensis.* 5. *Vitam nostri B. Andreae de Monteregali.* 6. *Versibus concinnavit vitam nostrae B. Ritae de Cascia.* 7. *Breve sacrum chronicon nostratis Augustini Aetini imprimi curavit.* 8. *Reliquit etiam compendium vitae nostri V. Francisci Mariae Querni latino sermone exaratum, et alia.*

Fr. Joannes Baptista Ininger.

Joannes Baptista Ininger, Monachiensis, sacrae Theologiae Magister, magnum fuit, ut scribit Ossinger, Bavaricae Provinciae decus, et ornamentum. Excelluit doctrina, pietate, morum gravitate, et suavitate, necnon mira in rebus gerendis prudentia, atque dexteritate; quapropter illum Principes atque Proceres magno in honore, atque existimatione habuerunt. Fuit excellens musicus, insignis mathematicus, atque praeclarus theologus. Conspicua munia in Ordine exercuit, atque inter haec ter Provincialatum gessit. Singulari devotione flagravit erga D. Nicolaum Tolentinatem, cujus propterea reliquias sanguinis e sanctissimis brachiis

Digitized by Google

exorti a Summo Pontifice Clemente XI. dono acceptas secum Roma a Capitulo generali redux Monachium transtulit, easque argenteo brachio inclusas in altari S. Sebastiano ipsique D. Nicolao dicato publicae venerationi exponendas collocavit, uti refert praefatus Ossinger. Fatis concessit Monachii septuagenario major anno 1730. Opera ejus impressa ita notantur apud laudatum Bibliothecae Augustinianae auctorem: 1. *Quaestiones ex secunda secundae, et tertia D. Thomae Doctoris Angelici.* 2. *Planisphaerium versatile, idest plusquam ducenta problemata astronomica solaria, ac lunaria, horographica, geographica, geometrica etc.* 3. *Compendium vitae et miraculorum D. Nicolai Tolentinatis, germanice.* 4. *Invitatoria, hymnos, antiphonas, et responsoria pro festis solemnioribus ad organum artificiosissime composuit.* In hoc opere, quod sua manu exaravit, raram Musicae peritiam ostendit.

Fr. Joannes Baptista Sicardus.

Joannes Baptista Sicardus, sacrae Theologiae Magister, probitate ac doctrina varias conspicuas dignitates tum intra, tum extra Ordinem sibi promeruit. Nam fuit plurium coenobiorum Prior, Castellae Provincialis, Hispaniarum Assistens, Catholicae Majestatis concionator, in Complutensi Academia sacrae Theologiae professor, tribunalis Nuntiaturae in Hispaniarum Regnis theologus, et examinator, ac demum Episcopus Boni Aeris in America meridionali. Florebat anno 1705. Scripta ejus hispanice typis edita haec sunt: 1. *Brevis summa dispositionis ad Eucharistiam.* 2. *Contra vitium murmurationis.* 3. *Apologia de quotidiana communione.* 5. *Judicium theologico-morale circa ornatum mulierum.* 5. *De frequenti communione non nimis extendenda.* 6. *De sti-*

Digitized by Google

pendio Missae. 7. *Votum theologicum circa confoederationem cum haereticis factam ab hispanis contra gallos.* 8. *Gemitus peccatoris ad Deum pro opportunitate temporis recitandi a Sacerdotibus ante, vel post Missam.* Tria haec postrema opuscula habentur latino idiomate exarata. Consule librorum indicem nostrae Bibliothecae Angelicae.

Fr. Joannes Giberti.

Joannes Giberti, Tridentinus, circa annum 1700. in nostro Perusino S. Augustini coenobio tyronem agebat. Juvenis erat singularis probitatis, multaeque pietatis. Accidit autem ut quadam die aegrotans Joannes noster lecto teneretur, atque cunctis sodalibus ad chorum egressis, solus ipse in cubiculo remanserit. At mirum! Paullo post Deipara Virgo, S. P. Augustinus, et D. Nicolaus de Tolentino cellam ipsius intrant, ab eoque tam insolitam visionem contemplanti petunt velit necne simul cum ipsis proficisci: *Perquam libentissime*, continuo Joannes respondit, *ego venirem vobiscum, si magister hanc mihi veniam daret.* Cui illi statim dixerunt: *Petito igitur hanc veniam, quia nos paullo post huc ad te revertemur.* Erat tunc magister novitiorum P. Nicolaus Padovani de Finalio Mutinae, vir eximiae pietatis, qui postea obiit Aquilae hora a se antea praedicta. Hic cum audisset a novitio visionem quam viderat, atque invitationem quam habuerat, hoc illi dedit responsum: *Andate pure in così buona compagnia e pregatela a condurmi in quella patria dove siete invitato.* Hisce dictis exiit festinanter ut proficiscentem ex Generalem Nicolaum Serranum ad rhedam comitaretur; quo praestito erga virum meritissimum honoris officio, statim magister ad novitium regreditur, cui ille: *Padre*, inquit, *son ritornati. Che dite? Vo, oppur mi riman-*

Digitized by Google

go? *Andate*, respondit magister, *andate colla santa benedizione*, et eodem temporis puncto vidit illum in osculo Domini spiritum exhalantem. Hujus rei fama statim per totam civitatem evulgata, ipsi quoque viri laici efflagitarunt ut amplius quam consuetudo ferebat, angelici juvenis corpus inhumatum servaretur. Ex nostrate Joanne Baptista Cotta in vita nostri B. Antonii Turriani.

Fr. Joannes Mantelius.

Joannes Mantelius, Belga, sacrae Theologiae Magister, ita a Joanne Francisco Foppens in sua bibliotheca Belgica describitur: Joannes Mantelius, Ordinis Eremitarum S. Augustini, natus est Hasseleti, Comitatus Lossensis oppido primario, anno 1599. Cursu litterarum humaniorum absoluto Leodii, anno aetatis decimo quinto Religioni Augustinianae nomen dedit, in qua Philosophiam didicit, laureamque Licentiae in Academia Duacena anno 1636. obtinuit. Bonam deinde juventutis partem docendae Rhetoricae impendit, atque primis illis annis impense Musica, et Geographia delectatus est. Aetate provectior eloquentiae sacrae se totum dedit, et in primariis Belgii civitatibus per plures Quadragesimas conciones ad populum habuit. Egit Priorem Antuerpiae, Hypris, Hasseleti, Coloniae, Leodii Vicarium, Provinciae Visitatorem etc. Anno 1674. a Provincia Belgica Romam ad Capitulum Generale delegatus, lauream doctoralem sacrae Theologiae in alma Urbe assecutus est. Ultimis vitae diebus transactis Hasseleti, in Christo obiit, qui Christo vixerat, die 23 Feb. anno 1676. aetatis 77. religiosae vitae 62. Sacerdotii 52. sepultus in choro conventus etc. Laudatur etiam a Valerio Andrea, Antonio Teissier, Christiano Jocher, et aliis. Opera ejus typis edita partim latine,

Digitized by Google

et partim flandrice sequentia sunt: I. *Manuale Confraternitatis cincturatorum.* 2. *Dies devotarum mentium.* 3. *Speculum peccatorum, seu admiranda Augustini conversio.* 4. *Tabula chronographica Principatus Leodiensis, et Comitatus Lossensis.* 5. *Libellus cui titulus:* Ars artium, seu diatribe de regimine Sanctimonialium. 6. *Libri duo de officio pastorali.* 7. *Thaumaturgi physici prodromus.* 8. *Libri duo ex D. P. Augustino de V. Sacramento.* 9. *Hasseletum, seu historiae Lossensis compendium.* 20. *Stemma Comitum Lossensium.* 11. *Oratio funebris in laudem nostri Henrici Lancilotti cum epicedio in mortem ejusdem.* 12. *Historiae Lossensis Libri X. Adjuncta sunt diplomata Lossensia, privilegia, paces, pacta etc.*

Fr. Joannes Schweitzer.

Joannes Schweitzer, Germanus, alumnus Provinciae Coloniensis, fuit ejusdem Universitatis sacrae Theologiae Doctor, hujus facultatis decanus, et professor publicus, necnon in eadem urbe examinator synodalis. A nostrate Ossinger dicitur vir in doctrina theologica profundissimus, in Scriptura sacra egregie eruditus, et acutissimus disputator. Exivit de hac lacrymarum valle anno 1708. aetatis suae 85. Laudatur etiam a Josepho Hartzheim in bibliotheca Coloniensi, necnon a nostrate Nicolao de Tombeur. En ingenii ipsius monumenta, quae latine impressa habentur: I. *Dissertatio de sufficientia, et necessitate poenitentiae.* 2. *Dissertatio theologica ad mentem S. P. Augustini de radice intolerabilium scandalosarum propositionum ab Alexandro VII. et Innocentio XI. damnatarum.* 3. *Item dissertatio de praedestinatione, et reprobatione.* 4. *Directorium Romano-Augustinianum de ritibus, et caeremoniis in Officio divino, Missa, et processionibus, cum examine promovendorum ad sacros Ordi-*

Digitized by Google

nes, conciones, et confessiones. 5. *Disputatio brevis de incertitudine sententiae probabilisticae, et periculo dictaminis practici.* 6. *Dissertatio triplex de statu innocentiae, de primorum hominum lapsu, et de poenis inde derivatis, et alia.*

Fr. Josephus a S. Antonio.

Josephus a S. Antonio, Lusitanus, claruit doctrina, atque religiosae observantiae zelo. Anno 1721. erat Provincialis, quo in munere exercendo non solum regendi dexteritate, verum etiam integerrimae vitae exemplis se omnibus commendabilem reddidit. Ad meliorem vitam transivit anno 1727. Memoratur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Typis lingua patria mandavit: I. *Compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.* 2. *Vitam B. Ritae de Cascia.* 3. *Compendium vitae, et martyrii S. Apolloniae virginis et martyris cum ejusdem novendio.* 4. *Librum ad excitanda fidelium corda ad amorem et sequelam tertii Ordinis S. P. Augustini.* 5. *Opus in sex partes divisum, cui titulus:* Flos Sanctorum etc. *in quo agitur de omnibus Sanctis, et Beatis Ordinis nostri. Quartus tomus est nostri Emmanuelis de Figuereido, in fol.*

Fr. Josephus de Assumptione.

Iosephus de Assumptione, Lusitanus, apud Ulyssiponense Dominae nostrae de Gratia coenobium anno 1695 Ordini nostro per solemnem votorum nuncupationem se adoptavit. Is a nostrate Ossinger dicitur vir humanis ac divinis scientiis decoratus, subtilis ingenii, eruditionis, et do-

Digitized by Google

ctrinae singularis, versificandi laude in primis celebris, ac inter oratores sui temporis non infimum locum tenens, necnon in antiquitatibus, ac privilegiis Ordinis nostri versatissimus. Fuit sacrae Theologiae Lector, atque Prior coenobii Turrium-Veterum. Florebat circa medietatem saeculi decimi octavi. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Opera ejus typis evulgata sequentia sunt: 1. *Epigrammata sacra vitam B. Andreae de Comitibus Ord. Seraphici explanantia.* 2. *Hymnologia sacra, qua omnes hymnos Breviarii Romani, Augustiniani, Carmelitani, et Franciscani patrio sermone explanavit.* 3. *Funiculus triplex, scilicet Regula Magni Parentis Augustini a tribus Augustinianis Ulyssiponensibus FF. Joanne Mariano, Francisco a S. Maria, et Josepho ab Assumptione carmine heroico concinnata. Accedunt tres epigrammatum libri, et centones ad mysteria Christi.* 4. *Martyrologium Augustinianum, in quo referuntur Sancti, Beati, ac Venerabiles, qui in Augustiniana Religione claruerunt, in tres partes distributum, quarum prima impressa fuit Ulyssipone anno* 1743. 5. *Encomiasticum Apollinaeum ex praecipuis praeconiis Joannis V. Lusitaniae Regis.* 6. *Reliquit etiam multa manuscripta, quae videri possunt apud praefatum Ossinger.*

Fr. Leopoldus Gramiller.

Leopoldus Gramiller, Monachiensis, alumnus Provinciae Bavaricae, multos annos magna cum laude concionatorem exercuit; in qua nimirum palaestra quantum valuerit satis ostendunt praeclari sermones, quos typorum ope posteritati commendavit. A nostrate Ossinger dicitur Superior Residentiae Viebacensis, et Confessarius monialium nostrarum ejusdem loci, necnon Prior coenobii Schonthallen-

Digitized by Google

sis. Ad finem hujus mortalis vitae pervenit anno 1722. Opera ejus lingua germanica exarata, quae typis evulgata fuerunt, sequentia sunt: 1. *Rogus succensus iratae Nemesis.* 2. *Sermones Dominicales et festivales.* 3. *Samaritanus redivivus.* 4. *Variae orationes panegyricae, et aliae diversi argumenti.* Consule bibliothecam Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

Fr. Ludovicus della Casa.

Ludovicus della Casa, Ligur, sacrae Theologiae Magister, illustris fuit Januensis de Consolatione Congregationis alumnus. Claruit mira eloquentia; quare multas pro multis concionatoribus conciones et orationes panegyricas composuit. Ab Augustino Oldoino in Athenaeo Ligustico dicitur eloquens orator, ac poeta illustris. Quanta floruerit fama, quantaque existimatione ex sequenti epistola patet, quam ad illum scripsit Emus Cardinalis Gaspar Carpegna Romae Vicarius cum suam Januensem Congregationem regeret, quaeque tenoris est sequentis: *Conosco e stimo V. P. per il credito che Ella si è acquistato presso tutti colla gravità ed eloquenza de' suoi componimenti; ma se per questa ragione ho fissato il desiderio che la sua penna a guisa di tromba di oro debba far risuonare in ogni parte della cristiana repubblica la santità del B. Giovanni di Dio fondatore dell' Ordine de'* Fate bene fratelli, *mi figuro anche che Ella sia per aver molto gusto d' intraprenderne, e compirne l' opera, descrivendone la vita che è singolarmente maravigliosa e per atti di virtù, e per numerosa quantità di miracoli . . . . . Mi riporto al di più che l' è insinuato dal suo P. Generale, che è mio amico, appagandomi di assicurarla, che quanto saprà fare la squisitezza del suo talento in maggior onore del*

Digitized by Google

Santo, *sarà da me considerato con incessante parzialissima obbligazione etc.* Florebat anno 1682. Laudatur etiam a Raphaele Soprani, Augustino Oldoino, Christiano Jocher, aliisque externis. Typis mandavit vulgari idiomate, ut ait praefatus Oldoinus, sed non vulgari eloquentia: 1. *Orationem in laudem D. Catharinae virginis et martyris.* 2. *Sermonem de inventione S. Crucis.* 3. *Item sermonem de SS. Sacramento.* 4. *Opus inscriptum:* Genua pestilentiae morbo lacrymis repleta. 5. *Aliud opus sub alieno nomine cui titulus*: Monodia. 6. *Poesim sacram.* 7. *Orationem panegyricam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Marianus Schurger.

Marianus Schurger, Germanus, vere ab ingressu Religionis usque ad vitae terminum exemplar spiritualis hominis fuit. Humaniores scientias docuit aliquando Munnestadii, verbum Dei adhuc juvenis magno cum zelo praedicavit, Prior plures conventus laudabiliter rexit, subjectos fratres verbo movens, et exemplo trahens. In oratione erat admodum frequens, et fervens; nunquam inventus est otiosus, Missam nedum nulla die intermisit, sed quotquot poterat quotidie devote audiebat, quamvis aetate jam decrepitus, adeo ut etiam dum aegrotabat nonnisi consilio, atque jussu medici, et Superioris quominus extra cubiculum exiret detineretur. Latebat tunc quidem corpus in cella, sed spiritus ibi esse non desinebat, ubi Deus, et amor suus offerebatur in ara. Specialis etiam cultor B. Mariae Virginis et S. Nicolai multos utriusque sexus ad majorem Sanctorum cultum promovit. Quod tempus ab oratione, aut spirituali lectione illi supererat, totum actibus caritatis impendebat, aegrotos visitando, moerentes et viduas consolando, confes-

Digitized by Google

siones excipiendo, poenitentes suavi hortatu ad Deum reducendo, necnon juniores fratres in sua vocatione solidando. Hosce pietatis et religionis actus secuta fuit beata mors, vel potius ex morte vita, quam invocatis Jesu, Maria, et Joseph cum mane Sacrificium obtulisset, die 5. Septembris anni 1736. inchoavit prope octogenarius. Ex nostrate Antonino Hohn in sua Chronologia Augustinianae Provinciae Rheno-Svevicae pene ad litteram.

Fr. Martinus Wouters.

Paucissima de praeclaro auctore Wouters (fr. Martino) novimus, nisi quod ex Ordine Eremitarum S. Augustini circa medium saeculi proxime elapsi in Universitate Lovaniensi Theologiae Licentiatus sacras litteras magna cum laude professus fuit. Ipsius opus *Dilucidationes selectarum Sacrae Scripturae quaestionum*, in quo praecipuae SS. librorum difficultates juxta communem Patrum mentem explanatae, necnon dilucidatae inveniuntur, subtiliter, accurate, solidissimeque elaboratum, ac valde utile pronuntiarunt tum ejusdem ac ipse Ordinis approbatores, tum etiam haud pauci Theologiae, sacrarumque litterarum professores. Seminariorum insuper usu potissimum celebratur, ac magno praesertim in pretio habetur in primo Galliarum Seminario, cujus in primis placitis annuentes, praesentem *in concordiam et historiam evangelicam elucidationem exhibemus*, ejusdem etiam auctoris in Acta Apostolorum et alios SS. Bibliorum libros lucubrationes infra subdituri. Ex Cursu completo S. Scripturae imp. Parisiis anno 1840. tom. 23. col. 767. et seq. ad litteram.

Digitized by Google

Fr. Michael Baldaccini.

Michael Baldaccini, Lucensis, sacrae Theologiae Magister, Romae, Venetiis, et Liburnii ob suas egregias virtutes omnibus admirationi fuit. In primis autem summopere celebratur singularis illius humilitas, qua nedum magnum se peccatorem palam dictitabat, verum etiam promeritam magistralem lauream ultro rejecit, eamque nonnisi Superiorum mandato tandem admisit. Praeterea impensum illi fuit paupertatis studium, admirabilis sui ipsius contemptus, vehemens corporis membra castigandi cupiditas, ac summa denique erga proximum caritas. Ut egenis subveniret ipsa quoque necessaria sibi subtrahebat, neque tunicae quidem, caeterisque indumentis parcebat; et siquando pii quidam Liburnenses mercatores ne sarcinatis vestibus incederet novas illi donabant, istas etiam ante completam a donatione hebdomadam pauperibus distribuebat. Quamobrem jam dimissa scruta iterum recipere cogebatur, et siquis ab illo sciscitabatur curnam tam neglecto personae ornatu incederet, statim respondebat: *Io nella mia gioventù mi son dilettato troppo di politezza. Ad una cosa contraria si rimedia con un' altra cosa contraria.* Ad haec assiduus nosocomia frequentabat, diu noctuque in extremo agone laborantibus assistebat, atque ut omnibus prodesset, tum ad nobilium palatia, tum ad pauperum tuguria accedebat. Orphanis, pupillis, et viduis solatium erat, quorum ne subsidio deesset, ipsas quoque ad hoc de industria a se compositas conciones aliis concionatoribus pro pecunia habenda tradebat. Illud autem Apostoli *mortificate membra vestra quae sunt super terram* probe intelligens, corpus suum extenuabat jejuniis, affligebat frigore, et nuditate, excruciabat verberationibus, aliisque id genus castigationibus domabat. Praeterea heroicae patientiae, ac singularis mansuetudinis praeclarum se praebuit exem-

Digitized by Google

plar. Refert de illo inter alia noster famosissimus poeta, atque historicus Joannes Baptista Cotta, quod cum aliquando ineaute se periculosae cuidam occasioni exposuisset, validam continuo sibi ab invisibili manu alapam impactam senserit; quamobrem mirari profecto non subit si post hanc efficacissimam admonitionem tam magnos postea in virtutibus progressus fecerit. Tandem ad ultimum suae vitae terminum pervenit, in quo constitutus binos tantummodo julios Priori e suo peculio resignavit, deprecans eum ut unum pauperi cuidam seni erogaret, alterum vero in flores ante Mariae Virginis imaginem ponendos expenderet. Post haec cum magna opinione sanctitatis in osculo Domini animam exhalavit Liburnii anno 1723. aetatis suae 52. Ex praefato nostrate Jo. Baptista Cotta in vita nostri B. Antonii Turriani, atque ex Ordinis archivio.

Fr. Nicephorus Sebastus Melissenus.

Nicephorus Sebastus Melissenus, Neapolitanus, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger vir politioribus litteris excultus. Theologus fuit Cardinalis Principis Hassiae, poenitentiarius et examinator apud Archiepiscopum Neapolis, consultor S. Officii in Regno parthenopaeo, etc. Laudatur a Nicolao Toppio, atque Hyppolito Marraccio, a quo dicitur vir eruditissimus, et doctissimus, totusque ad gratias, atque urbanitatem factus. Fuit praeterea insignis poeta, ut ejus scripta testantur. Floruit post medietatem sacculi decimi septimi. Consule etiam nostratem Gandolphum in suis Floribus poeticis. Typis latine edidit: 1. *De chocolatis potione resolutionem moralem.* 3. *Epigrammata in feriis nuptialibus Augustissimorum Principum Philippi IV. et Mariae Annae Austriacae Matriti celebratis anno* 1649. 3. *Vitam B.*

Digitized by Google

Joannis Chisii Senensis Augustiniani et Angelae Chisiae Sanctimonialis item Augustinianae, versibus latinis. 4. *Epinicia ad Alexandrum VII Pontificem Maximum in epidemiam ab Urbe novissime profligatam, itemque de parthenopaea illic feliciter absumpta, in geminos bipartita choros.* 5. *De indulgentiis Cincturatorum, italice.*

Fr. Nicolaus Antonius Schiaffinati.

Nicolaus Antonius Schiaffinati Neapoli anno 1670. honesto loco natus, adhuc peradolescentulus, aetate scilicet quatuordecim annorum, nostrum Augustinianum habitum sumpsit in patrio S. P. Augustini coenobio, cui etiam filiationis titulo aggregatus fuit. Ibidem Philosophiae atque Theologiae cursum laudabiliter confecit, et quia juvenis erat excellentis ingenii, idcirco per consuetos gradus ad Regentis munus pervenire valuit. Itaque hoc auctus honore ad Augustinianam pubem erudiendam Buccinum se contulit, ibique cujusdam alumni, quem summopere diligebat, immatura atque inopinata morte a seipso penitus derepente mutatus fuit. Nam hoc tam salutari monito excitatus, humanarum rerum vanitatem atque inconstantiam serio contemplari coepit, atque ex hac jugi contemplatione huc tandem devenit, ut ad omnen Magisterii spem abjiciendam animum induxerit. Nec mora: jam susceptum docendi munus continuo dimisit, atque interdum a Rmo P. Generali Nicolao Serrani humilibus precibus postulavit, ut illi in coenobio S. Joannis ad Carbonariam mansionem assignaret. Hic autem, quippe qui selectos viros in praefatum coenobium pro vita communi ibidem instituenda mittere satagebat, perquam libentissime illius postulationi morem gessit. Voti itaque compos factus statim Neapolim ad praefatum S. Joannis coenobium se con-

Digitized by Google

tulit, ibique novum quoddam vitae genus arripuit, P. Prioris V. Nicolai Sersale vestigiis potissimum inhaerens. Ab eodem V. P. Nicolao, qui ejus spiritum utrum ex Deo esset probare cupiebat, infirmorum curae addictus, in hujus muneris perfunctione singularis caritatis, patientiae, atque humilitatis specimen exhibuit. Egit postea tum magistrum novitiorum, tum Priorem, tum demum per multos annos totius Congregationis Vicarium generalem, quo nomine a saepius laudato V. Nicolao incoeptum reformationis opus maxime promovit, ita ut secundas post illum partes in hoc negotio habuisse jure existimetur. Quanto animarum zelo flagrarit aperte demonstravit mahumetanorum mancipiorum collegium ab ipso pro iis ad christianam Religionem convertendis, atque erudiendis in praefato S. Joannis cœnobio institutum, ex quo plurimi etiam speciali vitae sanctitate praediti neophyti prodierunt. Anno 1733 a P. Rmo Fulgentio Bellelli ex Priore S. Joannis ad Carbonariam factus fuit Prior S. Augustini in eadem urbe Neapolitana, atque hoc ipso anno in comitiis generalibus Romae habitis praeter omnium spem, atque expectationem ad supremum totius Ordinis fastigium evectus fuit. Praeter caetera egregia facinora illius regimen peculiarem mentionem meretur, quia hujus Generalis jussu tum doctissimus noster Jo. Laurentius Berti suum eximium opus de Theologicis disciplinis conficiendum suscepit, tum etiam noster V. Nicolaus Chiesa suum aureum librum composuit cui titulus: *Il religioso in solitudine etc.* Prope sui Generalatus terminum a Clemente XII. creatus fuit Episcopus Insulae Aenariae, atque etiam post acceptam infulam usque ad sexennii complementum Augustinianae Religionis sceptrum tenuit. In sua Episcopali Ecclesia Seminarium erexit, nec quemquam deinceps, qui in illo institutus non fuisset, ad Ordines admittere voluit. Vixit in Episcopatu quatuor annos, quo temporis intervallo nostri S. Thomae di Villanova exempla imitatus fuit. Obiit

Digitized by Google

hydropisi in coenobio S. Joannis ad Carbonariam anno 1748. Ex nostrate V. Nicolao Chiesa in vita V. Nicolai Sersale.

Fr. Nicolaus Fridericus Gavardi.

Nicolaus Fridericus Gavardi, Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, atque sapientissimi nostratis Henrici Noris praeceptor, inter philosophos atque theologos, qui nostrum fundatissimum Doctorem Aegidium Columnam explanarunt, facile princeps enituit; quapropter merito nostris gymnasiis dirigendis, inter quae praecipuum fuit Neapolitanum, a Rmo P. Generali praepositus fuit. Inde vero Romam arcessitus, non tantum Emi Cardinalis Mariscotti theologus extitit, verum etiam a Summo Pontifice designatus fuit ut sacram Scripturam publice interpretaretur, quam cathedram ad 25 annos moderatus fuit. Ita fere Ossinger. Laudatur etiam a suo discipulo nostrate Antonio Dominico Gandolpho in suis Floribus poeticis propter Poesis peritiam, et insignis concionatoris nomen. Conciones habuit Veronae, Utini, Florentiae, Senis, Anconae, Neapoli, et alibi. Litteratorum sui temporis amicitia floruit, ac praesertim praefati Cardinalis Norisii, et Antonii Magliabecchi. Tandem eximius vir, atque in omni fere scientiarum genere versatus, decubuit Romae labore magis quam aegritudine consumptus anno 1715. aetatis suae 76. Memoratur etiam a Philippo Argelati in bibliotheca Scriptorum Mediolanensium. In publicam lucem per praelum emisit: I. *Theologiam exantiquatam juxta orthodoxam S. P. Augustini doctrinam a nostro Aegidio Columna expositam, tom.* 6. *in fol.* 2. *Philosophiam vindicatam ab erroribus gentilium juxta doctrinam S. P. Augustini, et Aegidii Columnae.* 3. *Quaestiones quatuor de Hierarchia Ecclesiae militantis.* 4. *Votum insigne adver-*

Digitized by Google

nt opus Petri de Marca de concordia Sacerdotii, et Imperii, M. S. et alia.

V. Nicolaus Sersale.

V. Nicolaus Sersale ortus est Surrenti claris natalibus anno 1656. Pater ejus fuit D. Joseph Sersale eques Surrentinus, et mater Ursula Elefante nobilis Barulensis, qui puerum Cajetanum, hoc enim nomen in baptismo acceperat, penes se in paterna domo equitum moribus instituere voluerunt. Quocirca nobilis ephebus in iis studiis juvenilem aetatem egit, quae profecto pietati minus conducunt. Accidit autem interea ut in cujusdam monialis visitatione illius amore captus fuerit, ad quam propterea alloquendam nimis frequenter ad crates accedebat. Verum quia juvenis erat ad honestatem natus, atque ab illicitis perpetrandis alienus, idcirco ex hac nimia visitationum frequentia juges conscientiae remordentis stimulos patiebatur; quapropter pluries hanc consuetudinem dimittere statuit, quamvis non ita multo post a suscepto proposito egrederetur. Deus tamen, qui jam tunc in corde Cajetani mirabiles ascensiones disponebat, uno ictu hujusmodi vinculum disrupit. Permisit enim quadam die ut dum juxta morem a moniali invisenda revertebatur, a quodam nobili viro patris inimico districto ense attentatus fuerit, atque percussus, quo sane formidando eventu ad saniorem mentem revocatus, agnovit erratum suum, atque exinde nedum monialem penitus oblitus fuit, verum etiam ita pristinae vitae institutum immutavit, ut potius coenobitam quam equitem domi agere videretur. Nec mirum: nam licet habitum nondum gestaret, nihilominus jam in corde suo de monastico instituto capessendo consilium inierat. Quamobrem ut hujusmodi consilium executioni mandare posset, quamvis

Digitized by Google

jam 36. aetatis annos haberet, latinae grammaticae studium aggressus fuit, eo nimirum animi ardore, ut brevissimo temporis spatio tantum profectum fecerit, quantus ut inter monachos reciperetur satis erat. Itaque clam parentes Neapolim se contulit, ibique Capuccinorum tunicam induit, quam tamen ob valetudinis exilitatem post aliquot menses dimittere coactus fuit. Verum cum habitus dimissione religiosi instituti amplectendi propositum nequaquam dimisit; quare ad coenobium S. Joannis ad Carbonariam paullo post se contulit, ibique nostro Eremitano Ordini nomen dedit anno 1695. die 8 Junii. In ipso tyrocinio provectioribus coenobitis fuit exemplar vitae et morum, adeoque laudabiliter se gessit, ut post sex menses ad solemnem votorum nuncupationem admissus fuerit, atque post alios sex menses Sacerdotio initiatus. Primam Missam non quidem magna pompa, sed magno potius fervore privatim celebravit, quem fervorem postea quoad vixit in tam mirabili Sacrificio offerendo cum ingenti adstantium emolumento semper retinuit. Non ita multo post in scrupulos incidit, qui diutius illum divexarunt, quique eousque excreverunt, ut quadraginta diebus tum ab horis canonicis recitandis, tum a Sacro faciendo se abstinere coactus fuerit. Ast valuit tandem, auxiliante Deo, qui scrupulis etiam pro electis suis expurgandis aliquando utitur, hujusmodi edacissimos conscientiae stimulos procul a se omnino depellere, opera praesertim P. D. Antonii Torres Piorum Operariorum Generalis, quo dum adhuc in saeculo degebat suae conscientiae moderatore utebatur. Itaque scrupulorum impedimentis solutus, majori sedulitate bonorum operum patrationi vacare coepit, atque inter caetera ad percelebrem S. Joannis ad Carbonariam Congregationem reformandam aggressus fuit, primum suae reformationis lapidem super perfectae vitae communis fundamentum ponens. Hujusmodi autem susceptum opus, adjutore praesertim P. Nicolao Antonio Schiaffinati, qui postea fuit Gene-

Digitized by Google

ralis, et Episcopus Aenariae, Insulae perfecit, egregie ita ut praefatae Congregationis instaurator nuncupari meruerit. Ejusdem Congregationis per tria biennia gubernaculum tenuit, bis scilicet auctoritate Apostolica (1712 et 1714) atque semel (1722) a Patribus Capitularibus ad id muneris assumptus. Anno 1717 Archiepiscopatum Anxani ab Imp. Carolo VI. ipsi oblatum nullimode admittere voluit, atque Proregi qui ei ad deliberandum octo dierum inducias concesserat, in haec verba interroganti: *Ebbene che vi ha risposto il Crocifisso?* continuo respondit: *Che non accetti.* Tandem vir meritorum plenus, substillo occubuit anno 1730. aetatis suae 74. fuitque in templo S. Joannis ad Carbonariam sepultus. Quippe quod tam ante, quam post mortem haud indubia suae sanctitatis indicia praebuit, idcirco post annum ab ejus obitu elapsum, Apostolica facultate obtenta, ejus corpus prius recognitum, ac deinde in decentiori loco reconditum fuit, inclusis in loculo duabus inscriptionibus, quarum una est tenoris sequentis: *P. Nicolaus Sersale Patritius Neapolitanus, hujusce Congregationis alumnus, prudentia, et humilitate admirabilis. Hic non semel Prior, generalis Vicarius, Visitator generalis, sed reluctans, onera amavit, non honores. Archiepiscopales infulas posthabuit. Orationi assiduus, amore in proximum, odio in seipsum, in Deum caritate clarus, et regularis disciplinae restaurator, et exemplar. Magnatibus, Purpuratis, Summis Pontificibus Clementi XI, et Benedicto XIII. venerationi et amori fuit. Diuturno tandem morbo probatus, ab omnium votis ereptus est aetate annorum 74. Idibus Junii* 1730. Ex illius vita scripta a nostrate V. Nicolao Chiesa, quae typis impressa in nostra Bibliotheca Angelica asservatur.

Digitized by Google

Fr. Nicolaus de Tombeur.

Nicolaus de Tombeur, Belga, sacrae Theologiae Licentiatus, dicitur ab Ossinger vir incomparabilis ingenii, divina, humanaque sapientia clarissimus, insigni eruditione ornatus, et in historia suae Provinciae versatissimus. Per 20 annos Theologiam docuit. Florebat anno 1727. Typis evulgavit latine: I. *Opus cui titulus*: Provincia Belgica Ordinis Eremitarum S. P. Augustini olim dicta Coloniensis, et inferioris Germaniae, ejus origo etc. cum dissertatione praeliminari, et compendiosa monasteriorum singulorum descriptione chronologica. 2. *Praxim rite administrandi Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae.* 3. *Libellum sub titulo*: Causa dispar circa Bullam Unigenitus Clementis XI. 4. *Vitam S. Nicolai de Tolentino cum adnotationibus.* Consule prae caeteris praefatum nostratem Jo. Felicem Ossinger.

Fr. Petrus de Bretagne.

Petrus de Bretagne, Gallus, sacrae Theologiae Doctor Sorbonicus,, tum e cathedra, tum e pulpito magnum sibi nomen in Gallia comparavit. Comperta ipsius doctrinae atque probitatis fama Maximilianus II. Elector Bavariae illum in suum confessarium assumpsit. Monachium itaque Petrus noster se contulit, ibique usque ad praefati Maximiliani obitum permansit. Postea vero in patriam rediit, cum quindecim annorum spatio conventui nostro Monachiensi, ut scribit Ossinger, sua doctrina, pietate, religione, humanitate, modestia, humilitate, atque caritate summum praebuisset optimi religiosi exemplum. Vivis defuit anno 1733. Opera ejus typis evulgata haec sunt: I. *Compendium*

Digitized by Google

vitae, et miraculorum S. Nicolai de Tolentino, gallice. 2. *Liber cui titulus:* Clavis davidica, sive compendiosus apparatus ad S. Scripturam, in quo exponuntur S. Scripturae origo, antiquitas, sensus, auctoritas, divinitas, canones, etc. 3. *Tractatus de excellentia Musicae antiquae hebraeorum, et eorum instrumentis musicis ex Sacra Scriptura, SS. Patribus, et antiquis auctoribus illustratus, cum figuris, latine.* Adeas nostratem Ossinger.

Fr. Petrus de Comitibus.

Petrus de Comitibus, Romanus, Sacrae Theologia Magister, vir fuit morum integritate, ac multiplici eruditione spectabilis, qui plura sui ingenii monumenta typorum ope ad posteros transmisit. A nostrate Ossinger dicitur poeta, philosophus, atque theologus praeclarissimus. Septuagenarius, ita legitur in Ordinis registris, angelico, ut vixit, corde obdormivit in Domino Romae anno 1696. Memoratur a Prospero Mandoso in bibliotheca Romana, necnon a Christiano Jocher in universali lexico eruditorum. Opera ejus latine typis edita sequentia sunt: 1. *Rhetorica miscellanea complectentia omnis generis orationes, epistolas dedicatorias, academicas prolusiones, praefationes etc.* 2. *Amphitheatrum erectum in funere Serenissimi Caroli Contareni Venetiarum Ducis.* 3. *Vindicationes peripateticae adversus neotericum anonymum.* 4. *Disputationes metaphysicae theologicae exagitatae.* 5. *Philosophia rationalis universam Logicam complectens.* 6. *Summa universae Philosophiae.* 7. *Poesis sacra, et profana ex omnigena metrorum amoenitate conflata, novemque in musas distincta.* 8. *Tractatus theologici, tom.* 2. 9. *De anima lib.* 3. 10. *De mundo, et coelo, lib.* 3. 11. *De ortu, et interitu, sive de generatione, et corruptione.* 12. *Meteora, sive*

Digitized by Google

libri meteorologicorum, et alia quae notantur a praefato Mandoso, a quo dicitur theologus, et philosophus celeberrimus, rhetor elegans, ac poeta eruditus.

Fr. Petrus Lambertus le Drou.

Petrus Lambertus le Drou, Leodiensis, jure meritoque habetur tamquam unus ex celeberrimis Lovaniensibus Doctoribus, in quorum numerum anno 1673. adscitus fuit. Postea vero ad insignem Abbatiam Parcensem, seu de Parco prope Lovanium vocatus, ibidem Praemonstratensis Ordinis alumnis Theologiam tradidit. Accidit autem tunc temporis ut scholasticum quoddam bellum Lovaniensi Academiae a compluribus Belgii theologis indictum fuerit propter nonnullas propositiones, quibus tamquam haereticis censoriam notam ipsi inurebant, quasque Apostolicae Sedi publico anathemate percutiendas deferri oportere dictitabant. Ut hujusmodi criminationem illa celeberrima Academia procul a se propulsaret, emunctioris naris Doctores Romam misit, (inter quos sapientissimus quoque noster Christianus Lupus recensebatur) eisque etiam hunc nostrum Lambertum Romae tunc degentem adjunxit. Egregiis hisce patronis commendata Lovaniensis scholae causa plenissimum de suis adversariis triumphum egit, et quamvis potissima hujus victoriae pars doctissimo nostro Lupo tribuenda sit, sua tamen quoque laus nostro Lamberto debetur, qui in hoc negotio tantam doctrinam, prudentiam, atque facundiam ostendit, ut magnam totius Romanae Curiae admirationem in se converterit; quae res ad futuras dignitates illi aditum aperuit. In Belgium reversus, theologicam cathedram Lovanii inter suos iterum conscendit. Anno 1682 in Capitulo Mechliniae celebrato suae Belgicae Provinciae praefectus fuit, quod munus integro trien-

Digitized by Google

nio sedulo explevit. Anno autem 1687. Romam a Summo Pontifice vocatus, publicus S. Scripturae interpres in Romana Sapientia, necnon Praefectus Studiorum in Collegio de propaganda fide constitutus fuit. Dum Romae hasce nobilissimas provincias optime gereret, anno scilicet 1689. a Lovaniensi Academia inter octo Doctores Regentes, uti vocant, strictae facultatis theologicae adnumeratus fuit, ad quos amplo jure spectat, ita iisdem verbis scribit Ossinger, bona illius facultatis administrare, officia conferre, stipendia distribuere, caeteraque disponere, quae ad almae facultatis decorem et augmentum faciunt. Lovanium itaque anno 1690 rediit praefati muneris possessionem aditurus. Romana tamen Curia tanti viri absentiam diutius ferre noluit; nam biennio post Innocentius XII illum Sacrarii Apostolici Praefectum, atque Episcopum Porphyriensem inauguravit. Deinde vero Lambertus noster alios honores, aliasque dignitates obtinuit. Nam primo inter Canonicos Collegiatae S. Pauli Leodii adscriptus, postea in ejusdem urbis Cathedrali Canonicus Poenitentiarius constitutus, ac tandem Praepositura Collegiatae S. Stephani Moguntiae decoratus fuit. Pontificii Sacrarii Praefecturam sub Innocentio XII. et Clemente XI. viginti annos tenuit, eamque anno 1712 sponte dimisit, ut Leodium se conferret ab illo Episcopo Serenissimo Principe Josepho Clemente ex Ducibus Bavariae, Coloniae Electore, ob perspectum illius in salute animarum procuranda ferventissimum zelum in suum adjutorem accitus. Quo in loco vir longe praestantissimus illorum populorum spirituali utilitati jugiter sedulam operam navavit usque ad suae vitae terminum, ad quem Leodii octogenarius pervenit anno 1721. Morti proximus humillimus Augustinianus Antistes praecepit ut lapis ipsius sepulcri nullo elogio, sed tantummodo incisa cruce signaretur. Lege prae caeteris nostratem Ossinger. Doctissimi viri opera latine typis edita sequentia sunt: I. *Trias Patrum, sive Theologia ex tribus SS. Patribus Au-*

Digitized by Google

relio Augustino, Gregorio Magno, et Mellifluo Bernardo, nec non ex sacris canonibus deprompta. 2. *Dissertationes quatuor de contritione, et attritione, quibus ostenditur non requiri in reconciliationis Sacramento perfectam, et se sola justificantem Contritionem; certum tamen non esse, nec a Tridentino definitum, imo nec verum quod sufficiat attritio servilis, praesertim cognita, sed opus esse aliquo saltem imperfectae caritatis actu, seu Dei propter se super omnia dilectione, hancque cum peccato, et extra gratiae sanctificantis consortium stare posse, ac demum singularum ejusmodi opinionum genealogia texitur.* Insigne hoc opus quosdam nactum est oppugnatores, qui tamen erudita nostri Lamberti confutatione ad silentium adacti fuerunt.

Fr. Petrus Schenkelius.

Petrus Schenkelius Antonii medici celeberrimi filius, Ordinis Eremitarum S. Augustini, nascitur Hagae Comitis anno a Christo nato 1604. eruditionis nomine mihi percarus. Spirae apud suos Priorem egit, divini verbi praeco egregius, et utriusque litteraturae peritissimus. Ingenium promptum, lingua felicissima, mores faciles, candidique. Habet multa parata, quorum quaedam sub praelo, nempe *Directorium juridicum, et explanationes terminorum in Francisco Toleto occurrentium etc.* Ita Franciscus Swertius in Athenis Belgicis. A Joanne Francisco Foppens dicitur vir pius, et concionator celeberrimus, necnon sacrae Theologiae Doctor in Academia Duacena. Florebat anno 1660. Praeter supra notata scripsit etiam: 1. *Elucidationes locorum difficiliorum Senecae, et Horatii.* 2. *Conciones dominicales, tom.* 2. *imp.* 3. *Philomelam mysticam, sive Canticum Benedicite explanatum, et raris ac jucundis historiis instructum, imp.*

Digitized by Google

Fr. Philippus Elssius.

Philippus Elssius, Belga, peculiarem hic mentionem meretur, quippe qui valde egregiam, atque utilissimam suo labore toti Ordini operam navavit; nam cunctorum Augustinensium illustrium, qui ab Augustino usque ad suam aetatem floruerunt, elogia in unum latinum volumen collegit, quod Encomiasticon Augustinianum nuncupatur. Haec de illo habet Joannes Franciscus Foppens in sua bibliotheca Belgica: *Philippus Elssius, Bruxellensis, Ord. Erem. S. Augustini, conventus Bruxellensis, annos multos in docendis litteris humanioribus emensus, Gymnasiique praefectura, Ordini suo non parvum attulit decus evulgando Encomiasticon Augustinianum, in quo personae hujus Ordinis sanctitate, praelatura, legationibus, scriptisque praestantes enarrantur.* Florebat anno 1654. Commendatur etiam a Ludovico Morero, necnon a Christiano Jocher. Vide etiam nostratem Ossinger.

Fr. Philippus Vicecomes.

Philippus Vicecomes, Mediolanensis, sacrae Theologiae Doctor, laudatur a doctrinae magnitudine, praeclara conspicuorum munerum gestione, atque a peculiari morum integritate. Augustinianam juventutem magno cum Ordinis emolumento docuit Mediolani, Patavii, Arimini, ubi fuit consultor S. Officii, Florentiae, Neapoli, et Romae. Fuit Ilicetanae Congregationis Vicarius generalis, Prior Mediolanensis, Procurator Ordinis generalis, ac tandem Supremus universi Ordinis Antistes, anno scilicet 1649 Romae in comitiis generalibus renuntiatus. Post varias rejectas infulas Catacensem demum jussu Alexandri VII. invitus admisit, tenuit-

Digitized by Google

que septem annos, nempe usque ad 1664. quo ad meliorem vitam transivit. Memoratur a Ferdinando Ughello, Philippo Argelati, Philippo Picinellio, et aliis. Extat ejus marmoreum monumentum in templo nostro S. P. Augustini de Urbe. Opera ejus manuscripta prout notantur a praefato Argelati haec sunt: I. *Cursus Physicae.* 2. *Cursus philosophicus.* 3. *Introductio ad sacram Theologiam.* 4. *Tractatus de Deo uno, trino, et de Incarnatione.* 5. *Tractatus de angelis tam bonis, quam malis ad mentem nostri Aegidii Columnae.* 6. *Tractatus de altitudine sapientiae et scientiae Dei, ac de libero arbitrio.* 7. *Introductio ad studia de scientia Dei, somnium Augustini, de laudibus Philosophiae, ac Theologiae, necnon orationes variae.* 8. *Volumina duo de praedestinatione, et reprobatione secundum mentem D. P. Augustini.* 9. *Volumina duo de gratia, et auxiliis, ac de donis Spiritus Sancti etc.* 10. *De Sacramentis in genere, et Sacrificio Missae.* 11. *De potestate ecclesiastica juxta mentem S. P. Augustini cum omnibus fere controversiis super hanc materiam.* 12. *De singulari dono virginitatis cum auctoritatibus SS. Patrum, et aliquorum theologorum.* 13. *Elogia Pontificum, Conciliorum, SS. Patrum, et illustrium Scriptorum, quibus doctrina, et auctoritas S. P. Augustini comprobatur.* 14. *Vitae Sanctorum Ordinis nostri, et alia multa quae notantur etiam apud nostratem Ossinger.*

Fr. Philippus van Wavre.

Philippus van Wavre, Belga, S. Theologiae Baccalaureus, alumnus Provinciae Belgicae, filius coenobii Hyprensis, vixit saeculo decimo octavo. Vir fuit theologicis disciplinis impense doctus, atque in libris S. P. Augustini versatissimus. Conventus Mechliniensis laudabiliter prioratum

Digitized by Google

gessit. Immortalitati suum nomen commendavit per sequentia opera latine typis impressa, quae nimirum sunt: I. *Cornelii Jansenii Hyprensis Episcopi Augustinus europaeus perperam dictus etc. per Augustinum verum maximum Ecclesiae doctorem triumphatus, damnatus etc. opera et studio fr. Philippi van Wavre Ord. Erem. S. P. Augustini.* 2. *Dissertatio de praesenti haeresi* (Jansenismo) *et schismate quorumdam in Gallia exortis, necnon medicinali SS. D. Clementis XI acinace, quo damnabilem pervicaciam detruncavit.* 3. *Augustini sensus de appellationibus a Papa ad Concilium generale per scholia historica contra novos appellantes enubilatus.* 4. *Privilegium S. Petri, ac successorum ejus ex S. P. Augustino assertum.* 5. *Causa dispar inter oppositionem S. Cypriani Carthaginensis Episcopi contra rescriptum S. Stephani Papae, et inter oppositionem quorumdam contra novissimam Clementis XI. Bullam* Unigenitus *corde pacifico elucidata.* 6. *Opusculum quo peremptoria Augustini sententia:* Causa finita est, *ab iniquo staterae libramine vindicatur.* 7. *Dissertatio tripartita, in qua S. Augustinus docet Pastores Dominici gregis et Principes christianos: I. Quam sit necessarium Episcopis pro tutela gregis, et reducendis ovibus aberrantibus implorare Principum auxilium.* 2. *Quam gloriosum sit, et vere regium opem ferre Pastoribus eam postulantibus, aut desiderantibus.* 3. *Quam utile sit sive haereticis, sive schismaticis eos regia severitate coerceri, et compelli ad veritatis, et unitatis ecclesiasticae convivium.* 8. *S. Augustinus docens quam sit dolosa statera opponens Constitutioni* Unigenitus *versiculum primum psalmi* Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt qui aedificant eam. 9. *Apologia contra impugnatores Constitutionis* Unigenitus, *signanter pro Unigeniti Salvatoris gratia, in qua simul obviatur excursionibus eorum, qui per latus Quesnellanum Augustinianae scholae viscera petunt.* Floruit post initium saeculi 18. Inspice Bibl. Augustinianam nostratis Jo. Felicis Ossinger.

Digitized by Google

Fr. Prosper Fabarius.

Prosper Fabarius, nobilis Siculus, sacrae Theologiae Magister, graecam atque hebraicam linguam, necnon Philosophiam, atque Theologiam optime calluit. Per viginti quatuor annos in praecipuis Italiae atque Siciliae coenobiis praefatas scholasticas disciplinas summa cum laude docuit. A nostrate Ossinger dicitur in doctrina dogmatica nulli secundus. Roma in patriam reversus, ibidem Vicarii, atque Visitatoris munere perfunctus, anno 1706. Provinciae regimen suscepit. Alia etiam extra Ordinem in sua Sicilia conspicua munia obtinuit, nimirum Consultoris, et Censoris S. Inquisitionis. Memoratur ab Antonio Mongitor in sua bibl. Sicula. Florebat anno 1720. Opera ejus prout notantur a praefato Mongitor sequentia sunt: I. *Oratio adventoria ad Rmum Travellonium Ord. Generalem.* 2. *Oratio habita in comitiis generalibus, adstantibus nonnullis Cardinalibus, ac Praesulibus.* 3. *Flavissae theologicae de poenis parvulorum.* 4. *Fastorum Israeliticorum tom. V. in fol.* 5. Italice vero: *Epistola pastoralis ad omnes Praelatos, et Principes christianos, meditationes devotissimae pro omnibus diebus, necnon de passione, et morte Domini nostri Jesu Christi versu heroico.*

Fr. Raphael Bonherba.

Raphael Bonherba, Siculus, sacrae Theologiae Magister, vir Philosophiam, atque Theologiam egregie doctus, ita etiam excelluit eloquentia pergami, ut eloquentissimi, verba sunt Ossinger, et in SS. Patribus versatissimi verbi Dei declamatoris nomen adeptus fuerit. Archiepiscopi Panormitani Joannis Lozani theologum exercuit, suamque Sicu-

Digitized by Google

lam Provinciam administravit. Obiit in patria, nempe in civitate S. Philippi Argyrensis anno 1681 aetatis suae 81. Nominatur ab Antonio Mongitor in sua bibl. Sicula. Opera ejus typis evulgata sequentia sunt: I. *Disputationes totius Philosophiae per quatuor tractatus distributae, in quibus omnes philosophicae inter D. Thomam, et Scotum controversiae principaliter cum doctrina nostri Aegidii Columnae illustrantur.* 2. *Pars secunda totius Philosophiae naturalis, in qua omnes de generatione et corruptione, atque de anima controversiae principaliter inter D. Thomam et Scotum cum doctrina nostri Aegidii Columnii illustrantur.* 3. *Viridarium in plures partes divisum, in quibus per plura quodlibeta florescit Theologia moralis.* 4. *Sacra problemata in Evangelia per singulas Quadragesimae Dominicas, et ferias feliciter resoluta.* Habentur haec problemata latine, atque italice, caetera autem latine.

Fr. Servatius Smets.

Servatius Smets, Belga, laudatur apud Ossinger tum a doctrina, tum a pietate. Quadraginta annos Monialium confessarium Mechliniae egit, fuitque ejusdem urbis Prior, ubi contagioso morbo quater grassante, annis nimirum 1624 1635, 1661 atque 1666 indefessa caritate adstitit infectis, publico etiam Magistratus encomio laudatus. Naturae debitum persolvit in praefata Mechliniensi civitate anno 1676, aetatis suae 84. Memoratur a nostratibus Ossinger, et Tombeur, atque a Joanne Francisco Foppens in bibl. Belgica. Typis edidit vernacule: I. *Libellum cui titulus:* Ars bene moriendi. 2. *Speculum ecclesiasticum, seu exercitia virtutum theologicarum etc.* 3. *Reliquit etiam conciones manuscriptas.*

Digitized by Google

Fr. Simplicianus a S. Martino.

Simplicianus a S. Martino, Gallus, sacrae Theologiae Doctor, vir doctrina atque virtutibus praeclarus, apud Tolosanam Academiam annos plus quadraginta magna cum laude publice Theologiam professus fuit. Vir erat, ita iisdem verbis Ossinger, cujus in disceptando acumen, in abstrusis facilitatem, in evolvendis difficultatibus diligentiam, in resolvendis controversiis solertiam, in rebus omnibus judicium, et in disciplinis historicis eruditionem omnes sunt admirati. Suam Tolosanam Provinciam tribus trienniis administravit. Vivis defuit Tolosae prope centenarius, annorum scilicet 98, anno 1669. Multa scripsit oratoria, historica, atque theologica, quorum quaedam typis impressa sequentia sunt: I. *Vitae SS. Augustini, Fulgentii, et aliorum tam virorum, quam foeminarum illustrium ejusdem Ordinis, gallice.* 2. *Vita S. Thomae de Villanova August. Arch. Valentini, item gallice.* 3. *Tractatus varii morales de casibus conscientiae tam poenitentibus, quam confessariis perutiles, latine.* 4. *Refutatio historiae tripartitae Gabrielis Pennoti ad defensionem Eremitani Ordinis.* 5. *Anno* 1627 *typis edidit opera nostratis Joannis Puteani.* Commendatur a Laurentio Cupero, Antonio Teissier, aliisque externis, quibus accedunt nostrates Herrera, Elssius, Ossinger, et alii.

Fr. Thaddaeus Caluscus.

Thaddaeus Caluscus Mediolani natales ex honestissimis parentibus habuit, a quibus optime educatus Religioni Eremitanae S. Augustini se vovit, cujus habitum sumpsit in conventu S. Marci hujus Metropolis. Ibi pietati, et studiis

Digitized by Google

deditus, post cursus philosophicos, atque theologicos optime exantlatos cathedram in iisdem facultatibus ex decreto suorum ascendit, et munere ipso peregregie adimpleto Regens atque Magister efficitur. Deinde verbum Dei tam docte, tam feliciter disseminavit, ut concionatoris eximii nomen in tota fere Italia obtinere meruerit. Uno verbo, tam probe Thaddaeus noster semper se gessit, ut in comitiis generalibus suae Religionis anno 1699. habitis in Secretarium generalem totius Ordinis electus fuerit. In eodem officio perstitit usquequo morbi causa ad patriam ex medicorum consilio redire coactus fuerit, ut aeris beneficio in pristinam sanitatem se restitueret. Tot praeclaris dotibus excultus, illico nobilium doctissimorumque virorum animos sibi facile conciliavit, atque consultor S. Inquisitionis, librorumque revisor efficitur. Ipsum etiam tanti fecit Emus Cardinalis Archintus Mediolani Archiepiscopus magni nominis, ut examinatorem synodalem eum voluerit; sed nec ab istis, nec ab aliis curis detentus unquam studia reliquit usque ad suae vitae finem, qui fuit anno 1720 die 21 Aprilis aetatis suae 63. Ex bibl. scriptornm Mediolanensium. Philippi Argelati. Opera ejus italice typis edita haec sunt: I. *Variae notitiae valde utiles ad intelligentiam et studium S. Scripturae cum dissertatione de postrema celebratione Paschatis Domini nostri Jesu Christi.* 2. *Examen Religionis protestantium.* 3. *Epistola ad amicum, in qua respondetur omnibus argumentis adductis in defensionem rituum Sinensium.* 4. *Reliquit etiam manuscriptas varias dissertationes, atque plures conciones, et orationes panegyricas, ut videre licet apud nostratem Ossinger.*

V. Thomas Antonius Arbuatti.

V. Thomas Antonius Arbuatti, Picenus, ex honestis piisque parentibus in pago Lauretano natus est die 14 No-

Digitized by Google

vembris anni 1673. Puer sancta praeditus indole jam inde a teneris annis haud obscura dedit futurae sanctitatis indicia. Puerilia siquidem exosus, non minus pietati quam litteris sedulo vacabat, solitudinis atque recessus jam tum desiderio flagrans. Crevit itaque inter litterarum studia atque pietatis exercitia Thomas noster usque ad adultam aetatem, qua ab eximio nostro ex Generali P. Mag. Fulgentio Travalloni in nostro Lauretano hospitio tunc degente ob compertam ejus indolis bonitatem Augustinianam tunicam indutus fuit. Etiam post emissam solemnem votorum professionem praefatus P. Mag. Travallonius secum lectissimum juvenem quoad vixit habere voluit, eumque tum Ecclesiasticas disciplinas, tum scientiam Sanctorum egregie docuit. Post mortem Travallonii Thomas noster jam Sacerdotio initiatus, ad Auximanum coenobium missus fuit, ibique singulare humilitatis atque mansuetudinis specimen exhibuit. Cum enim propter observantiae regularis instaurandae zelum (erat enim Prior) a quodam subdito aliquando fuerit alapa percussus, verus Christi discipulus et imitator, non modo nullum querimoniae verbum protulit, sed alteram juxta Evangelii monitum percutienti maxillam praebuit. Auximo profectus, Anconam se contulit, ibique noviliorum magistrum summa cum laude exercuit. Media deinde hyeme Venetias missus, hospitium Ordinis in Teralba Dioecesis Patavinae diutius incoluit, ibique nedum orationibus, caeterisque id genus piis exercitationibus, verum etiam illius regionis incolis doctrina christiana atque pietate erudiendis totum se dedit. Sed instante Emo Card. Lanfredini Episcopo Auximano ad ejusdem urbis coenobium revocatus, angustissimum sibi cubiculum elegit, ubi solus cum Deo conversabatur, nunquam extra septa monasterii egrediens. Accidit autem interea ut Auximani coenobii Prior Thomas Terosanius ex hac vita migrarit; quare Arbuattus noster, quamvis invitus ac reluctans, in ejus locum suffectus fuit. Sub tam

Digitized by Google

eximio Priore novam rerum faciem illud coenobium induit; nam statim exactior ibidem regularis disciplinae observantia, accuratior Dei cultus, atque major religiosae familiae tranquillitas florere coepit. Narrat de nostro Thoma ipsius beatificationis processus (Romae typis editus anno 1772) quod sanctissimus famulus Dei ob praeclaras atque heroicas virtutes omnibus admirationi atque venerationi erat. Nam in primis Missam tanta devotione celebrabat ut ad consecrationem et communionem veluti Seraphim totus ore accenderetur, quae nimirum constans atque jugis accensio nequaquam naturalis esse poterat, sed potius e singulari ipsius erga divinissimum Sacramentum pietatis affectu exurgebat. Mirifico itidem spiritus fervore afficiebatur erga sacrosancta Incarnationis Dominicae mysteria adeo ut siccis oculis historiam passionis Domini legere nunquam posset. Peculiarem etiam erga D. Thomam de Villanova venerationem profitebatur, atque Deiparae cultui quam qui maxime addictus fuit. Orationi autem ita deditus erat ut quavis adiretur hora semper orans reperiretur. Praeterea magna erga proximum caritate flagrabat; nam aegrotos frequens invisebat, egentibus stipem occulte suppeditabat, atque ut esurientes enutriret, suum etiam prandium dimidiabat, ipsisque demum suis inimicis ac persecutoribus benignum se atque benevolum in omnibus exhibebat. Magno cum zelo, atque animarum profectu verbum Dei praedicabat, peccátorum conversionem vehementer anhelans, pueros rudimenta fidei edocebat, omnesque jugiter verbo et exemplo ad Dei amorem excitabat. Ad haec animabus quoque piacularibus flammis addictis quotidiana Rosarii recitatione opem ferebat. Tanta autem erat modestia praeditus, adeoque castitatis lilium integrum servandi sollicitus, ut nunquam oculos e tellure extolleret, atque ipsam quoque fratris uxorem alloqui recusarit, cui sane arctissimae sensuum custodiae jejunium etiam, atque abstinentiam, flagella item, atque alias corporis

Digitized by Google

afflictationes adjiciebat. Nam in stramineo lecto silicibus strato parcissimum somnum carpebat, asperrimoque cilicio carnem domabat, atque ferro munitis loris seipsum usque ad sanguinis effusionem caedebat. His accessit, ipsissima usurpabo processus verba, generosus Mundi, et omnium, quae in Mundo sunt, contemptus. Terrena namque aversatus, nil nisi Paradisum spectabat, et optabat. Tandem hanc multigenam tantarum virtutum congeriem illustris atque sanctimonia plenus obitus cumulavit. Nam extremo morbo correptus, in aspero, in quo bene valens cubare solebat, lecto jacebat, nec nisi ad Superioris jussum in alio se stravit. Aegritudinis vero doloribus excruciatus, tam perfecte ad voluntatem Dei se conformavit, ut non modo nullum lamentationis signum ediderit, sed et patientissime ferens, vultus hilaritatem praesetulerit. In acerbiori dolorum cruciatu Jesu et Mariae nomina ingeminabat, ac saepe S. P. Augustini verba repetebat: *Adauge dolorem, sed adauge patientiam*. Oculis in coelum defixis orationi semper vacabat. Firmam in Dei misericordia spem reponens, Crucifixum secum semper asservabat, quem identidem manu tenebat, atque inter brachia ad pectus stringebat. Bis sacra Sinaxi in aegritudine fuit refectus; in communione fervidum habuit sermonem, caritate in Deum et humilitate plenum, tantoque spiritus fervore se Deo commendavit, ut adstantes ad devotionem, et lacrymas excitarit. Extrema tandem, quam efflagitavit, munitus unctione, feliciter ad coelum evolavit (Auximo) die 27 Julii anni 1746. Hucusque supra citatus processus. Ante, et post mortem miraculis coruscavit prout videre licet etiam apud Jacobum Mariam Giudici Auximanae Ecclesiae Canonicum, qui anno 1749 ejus vitam typis evulgavit.

Digitized by Google

V. Thomas Bosco.

V. Thomas Bosco Valentiae in Hispania ortus, adhuc peradolescens, duodecim scilicet annorum, divina gratia praeventus, Eremitanum Ordinem amplexatus fuit. Mirum postea in sacris litteris profectum fecit, evasitque publicus Valentiae Theologiae professor. Poenitentiae operibus maxime deditus ut carnis petulantiam adversus spiritum concupiscentem cohibere posset, corpus suum domabat jejuniis, vigiliis, ferreis ciliciis, aliisque id genus afflictationibus. Praedicationis munere assumpto, magno zelo atque praeclaro virtutum exemplo quamplurimos e vitiorum coeno ad christianae vitae sequelam reduxit. Multas a multis acceptas injurias atque persecutiones aequo atque lubenti animo propter Jesu Christi amorem pertulit dicens: *Majora his adhuc mihi eveniant Domine, quae ego propter te libenter sustinebo.* Erga pauperes misericors, omne lucrum quod ex cathedra percipiebat, illis erogabat, sibique etiam vestes ad eorum nuditatem tegendam detrahebat. Spiritu prophetiae inclaruit, atque erga nostratem D. Thomam de Villanova peculiarem devotionem habuit, a quo aliquando intempesta nocte nedum graviter objurgatus, verum etiam verberibus affectus fuit quod aliquando verbum Dei enunciando vanae hominum existimationi inhiarit. Obdormivit in Domino Valentiae anno 1678. Ex nostrate Augustino Arpe in Diario Sanctorum.

Fr. Wolfgangus Eder.

Wolfgangus Eder, Bavarus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit divinarum humanarumque litterarum eruditio-

Digitized by Google

ne, excellentis concionatoris nomine, linguarum peritia, vitaeque integritate admodum spectabilis. Ob singularem urbanitatem, atque miram quamdam conversandi gratiam Serenissimo Electori Maximiliano II. omnibusque Aulae Proceribus acceptissimus fuit. Suam Bavaricam Provinciam tribus vicibus egregie administravit. Ad suae vitae terminum pervenit Monachii anno 1703. Commendatur potissimum a nostrate Ossinger. Typis evulgavit. I. *Testimonia Synagogae et gentilitatis de divinitate, incarnatione, miraculis, passione, resurrectione, necnon secundo adventu in extremo judicio Jesu Christi Salvatoris nostri ex prophetis, historicis, poetis, aliisque gentilibus congesta.* 2. *Librum quo ostenditur quod post hanc vitam temporalem detur aeterna.* 3. *Arcana vitae spiritualis.* 4. *Fontem gratiarum, seu indulgentiarum omnium Sodalitii Cincturatorum.* 5. *Sermones varios.* 6. *Traduxit in linguam germanicam ex italica librum de aerumnis Christi nostri V. Thomae a Jesu, necnon vitam S. Joannis a S. Facundo.*

PRAETERMISSI

QUIBUS NONNULLI ACCEDUNT E SAECULO PRAECEDENTI

Frater Adeodatus Summanticus a Foggia, S. Theologiae Magister, atque Supremus Augustiniani Ordinis Moderator, anno 1711 praelo mandavit *Methodum visitationis generalis ejusdem Ordinis.* Extat in Bibliotheca Angelica.

Frater Adeodatus Widmann, Germanus, alumnus Provinciae Bavaricae, vir doctrina, pietate, morumque integritate commendabilis, fuit insignis suae aetatis concionator. Hoc tamen apostolicum munus invida mors illi interdixit anno 1747. Typis evulgavit binas orationes panegyricas,

Digitized by Google

unam nempe de S. Pio V. in ejus canonizatione, et alteram de S. Felice ex Ordine Capuccinorum item in ejus canonizatione. Memoratur apud nostratem Ossinger.

Frater Aegidius Crapols, origine Liburnus, at in Italia natus, alumnus fuit Congregationis Insubricae, et sacrae Theologiae Magister. Claruit doctrina, pietate, necnon devotione erga D. Nicolaum Tolentinatem. Per praelum publici juris fecit anno 1713 vitam ejusdem Sancti italice exaratam. Nominatur ab Ossinger.

Frater Aegidius Romer, alumnus Provinciae Bavaricae, dicitur ab Ossinger ob praeclarissimas animi dotes, ac felicissimum ingenium vir maximae spei. Fuit egregius verbi Dei praeco. Fatis concessit Monachii anno 1742 aetatis suae 40. Typis edidit: I. *Opusculum cui titulus*: Divus Aurelius Augustinus Romano-catholicae veritatis contra modernos haereticos gloriosissimus propugnator. 2. *Orationem panegyricam in laudem D. Petri Apostoli.*

Frater Aegidius Ott, Germanus, claruit usque ad annum 1715. Fuit concionator, atque aliquot coenobiorum Prior. Per praelum ad posteros transmisit libellum de origine Archiconfraternitatis Cincturatorum germanice exaratum. Commendatur ab Ossinger.

Frater Aegidius Tesoro, Genuensis, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger vir ingeniosus, doctus, et eloquens, ac pietate, et eruditione conspicuus. Fuit concionator, atque Prior Montis Politiani. Floruit saeculo 17.

Frater Aegidius Tirati, Bononiensis, egregius concionator, anno 1741 quo Lucae in templo S. Martini quadragesimales conciones habebat, typis evulgavit italice sermonem politico-moralem quem in Aula illius Reipublicae recitaverat.

Frater Albertus le Roy, Belga, historiographus Provinciae Belgicae, vir magnae doctrinae, spectataeque vitae probitatis, praelo tradidit anno 1683 notas in libros tres sermonum familiarium Petri Scholirii.

Digitized by Google

Frater Alexander Bencivenius, Florentinus, vir non minus virtute, quam scientia praestans, uti vocatur ab Ossinger, anno 1628 italice typis evulgavit vitam, et miracula B. Ritae de Cascia.

V. Alexius de Penafirma, Lusitanus, vir magnarum virtutum, obiit circa annum 1567. uti refert Petrus Calvus Domininacus in *Defensione lacrymarum justorum.*

Frater Alexius Riederer, Bavarus, fuit Religionis nostrae conversus, qui in quodam Monachiensis coenobii rure, ubi multos annos solitariam vitam egit, lingua vernacula librum conscripsit cui titulus: *Spirituale animae rete*, quique saepius praelum exercuit. Piissimam vitam finivit in praefato Monachiensi coenobio anno 1660. Adeas nostratem Ossinger.

Frater Alipius Reilofs, Belga, sacrae Theologiae Doctor, vir tam in philosophicis, quam in theologicis disciplinis admodum versatus, floruit Ecclesiae saeculo decimo septimo. Posteris reliquit librum de anima ad mentem S. P. Augustini impressum Gandavi uti notat Ossinger.

Frater Alipius Zurtschenthal, Styrius, alumnus Provinciae Austriae, et sacrae Theologiae Doctor, concionatoris munere egregie perfunctus fuit. Decessit Graecii anno 1753. Reliquit typis editas orationes duas, unam latinam de S. Joanne Apostolo, et alteram germanicam in laudem S. Rochi.

Frater Alphonsus de Aragon, Hispanus, nobilis Matritensis, saeculo 17 claruit scientia Scripturarum, atque historica eruditione. Laudatur etiam insignis concionatoris nomine. Nominant illum Nicolaus Antonius Hispalensis, atque Christianus Jocher. Praelo mandavit hispanice anno 1618. vitam B. Ritae de Cascia.

Frater Alphonsus Daniel, Neapolitanus, anno 1634 typis evulgavit italice vitam S. Nicolai de Tolentino cum appendice de origine ac miraculis paniculorum ejusdem. Ex Nicolao Toppio.

Digitized by Google

Frater Amedeus Carl, Monachiensis, alumnus Provinciae Bavaricae, vir fuit studio linguarum valde addictus, quapropter in gallica atque italica magnum profectum fecit. Plurium coenobiorum prioratum gessit. Pondus hujus mortalis sarcinae deposuit anno 1751. Transtulit: 1. *Ex italico in germanicum sermonem Diarium Sanctorum nostratis Augustini Arpe.* 2. *Ex gallico item in germanicum Speculum innocentiae. P. Antonii Girard Jesuitae.* 8. Ex gallico in latinum: *Cogitationes Christianas in singulos dies mensis distributas.*

Frater Alphonsus Ramos Gavilan, alumnus provinciae Peruanae, vir insigni eruditione ornatus, atque in antiquitatibus egregie versatus, florebat saeculo 17. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, Hippolyto Marraccio, atque Christiano Jocher. Typis mandavit anno 1621 hispanice historiam imaginis nostrae Dominae de Copacabana, et Crucis de Carabuco.

Frater Alphonsus Regius, Urbevetanus, vir doctus, et vitae honestate clarus, atque Theologiae moralis valde peritus, anno 1621. typis tradidit librum resolutionum casuum conscientiae. Laudatur ab Alberto Fabricio in bibliotheca mediae et infimae aetatis.

Frater Alphonsus de Soria, Hispanus, magna eruditionis laude florebat circa initium saeculi 17. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, atque a Christiano Jocher. Praelo subjecit hispanice: 1. *Librum cui titulus:* Historia y Milicia christiana del Cavallero Peregrino conquistador del Cielo. 2. *Historiam D. Catharinae de Alexandria.*

Frater Alphonsus Steinmoss, Brunensis, alumnus Provinciae Austriae, dicitur ab Ossinger totius Germaniae verbi Dei praeco celeberrimus, sacrae Theologiae Doctor eximius, Rex concionatorum, gloria et decus Augustiniani Ordinis, Caesaris Ferdinandi III. consiliarius, Marchionatus Moraviae Praelatus benemeritus, sui Ordinis Vicarius gene-

Digitized by Google

ralis, S. Sedis Apostolicae Proto-Notarius, Comes Lateranensis etc. Fuit praeterea Prior Viennensis ab anno 1649 usque ad 1651. quo Magister Ordinis est renuntiatus. Anno 1653 suae Provinciae primatum obtinuit. Decessit Viennae anno 1661. Typis edidit opus sic inscriptum. *Granum piperis mortuum, quod Luteranus quidam verbi minister imperite et infelici sidere seminavit, contritum per Rm̃um P. Alphonsum Steinmoss Ord. Eremit. S. P. Augustini etc.* In hoc opusculo cujusdam ministri protestantis deliramenta confutavit.

Frater Alvarus de Castello-Novo, Lusitanus, vir fuit maximi ingenii, atque ad studium indefessi laboris. Laudatur etiam ob spectatam vitae probitatem. Tantae extitit humilitatis ut primo Archiepiscopatum Goanum, ac deinde etiam Episcopatum Portus Alacris recusarit. Ex hac vita migravit anno 1668. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Reliquit M. SS. 1. *Cursum theologicum.* 2. *De praedestinatione, Sacramentis in genere et specie.* 3. *Synopsim universae theologiae speculativae, et moralis.*

Frater Alvarus de Jesu cum percepisset circa partes Regni Ormus (in Indiis Orientalibus) Hollandorum naves appulisse, portumque quemdam ingressos, sedem ibidem velle figere, ac calvinisticum virus spargere, a Rege illarum ditionum impetrata militum manu, agmen ducit, Crucifixum manu sinistra, dextera autem gladium gestans, ac zelo divino praecinctus una cum militibus Hollandos aggreditur, illosque a finibus illis pellit, et omne commercium in posterum cum illis civibus, et incolis illius patriae indicit praecludendum. Contigit hoc circa annum 1603. Ex Nicolao Crusenio in suo Monastico part. 3. cap. 46. Circa idem tempus, ita scribit praefatus Augustinianus historicus, Ormutii Regis filius natu major, dudum resistentibus Patribus Augustinianis, habitum Ordinis suscepit, serio Regnum mundi spernens, totumque se Deo consecrans, maxima totius Regni admiratione, praeclaroque exemplo, quo excitati fere

Digitized by Google

duodecim praecipui nobiles ejusdem Principis, eumdem fuere secuti, ex aula mundi ad coelestem concedentes.

Frater Ambrosius Bochius, Belga, sacrae Theologiae Doctor, laudatur potissimum ob linguarum peritiam; nam praeter patrium idioma egregie etiam callebat gallicum, hispanicum, italicum, latinum, graecum, atque hebraicum. Obiit Coloniae anno 1635. aetatis suae 44. Ex hispanico in flandricum vertit compendium vitae et miraculorum B. Thomae a Villanova, imp. Reliquit etiam MSS. theologica, et historica, uti et Comment. in Pentateuchum. Ex Josepho Hartzheim.

Frater Ambrosius Cantalupus, Januensis, vir morum, atque vitae integritate, necnon devotione erga Deiparam Virginem conspicuus, anno 1676 typis evulgavit tractatum de admirabili prodigio B. Virginis Liberatricis Viterbii. Nominatur ab Augustino Oldoino, Hyppolito Marraccio, atque Christiano Jocher.

Frater Ambrosius Cantullus, Augustiniani Ordinis professus, sacrae Theologiae Doctor, ac praeclarus orator, reposuit in patrii coenobii bibliotheca suae eloquentiae numquam interiturae monumenta, quae sunt: I. *Concionum tomi duo.* 2. *Sermones in feriis sextis Martii.* Ita Franciscus Arisius in sua Cremona litterata. Florebat saeculo 17.

Frater Ambrosius Collodius, Genuensis, Congregationis Lombardiae Ordinis Eremitarum S. Augustini alumnus, omni genere scientiarum divinarum, humanarumque praeclare imbutus, legali jurisprudentia copiose refertus, graecis idiomatibus egregie peritus, Congregationem suam, patriamque illustravit exarando litterales lucubrationes plures, videlicet: I. *Comment. in lib. Politicorum Arist. quaestionibus illustrata.* 2. *Epitheta ex graecis lyricis, comicis, epicisque poetis collecta ordine alphabetico.* 3. *Monita politica ex Plutarcho, Justino, et aliis,* 4. *Politicam ad Cornelium Tacitum lib. I. de Tiberii dissimulatione.* 5. *Historiae Petri Matthaei com-*

Digitized by Google

pendium. 6. *Elogia, et emblemata sub nomine Jungii Philate evulgata.* Ita Augustinus Oldoinus.

Frater Ambrosius Frigerius, Vicentinus, vir ab integritate vitae, atque sacra, et profana eruditione laudandus, anno 1603. typis mandavit vitam, et miracula S. Nicolai de Tolentino cum iconibus summo artificio elaboratis, et universam historiam exhibentibus.

Frater Ambrosius Guidettus, Neapolitanus, sacrae Theologiae Doctor, fuit insignis philosophus, theologus, et concionator. Extremum diem obiit anno 1662. De illo scribit Ossinger quod multa monumenta philosophis, ac theologis profutura reliquit. Memoratur etiam a Nicolao Toppio, Henningo Witte, et Christiano Jocher.

Frater Ambrosius Kalzer, Germanus, concionando haud vulgarem sibi peperit famam, typisque mandavit anno 1745 sermonem panegyricum de S. Nicolao Tolentinate germanice concinnatum.

Frater Ambrosius Spruyt, Belga, dicitur ab Ossinger magnus asceta, atque humanarum literarum indagator indefessus. Vivis defuit anno 1634. Scripsit: I. Librum, cui titulus: *Via crucis in tres partes divisa, omnium tribulationum methodus praesentissima.* 2. *Item librum de christiana perfectione.* 3. Alterum sub titulo: *David evangelicus.* 4. *Annotationes in nostratem Ambrosium Calepinum.*

Frater Andreas Boulenger, Gallus, celeberrimus verbi Dei praeco, per quadraginta quatuor annos in praecipuis Galliae urbibus summa cum laude conciones habuit. Extremum diem obiit anno 1657. aetatis suae 79. Reliquit orationem funebrem, quam recitavit in exequiis Abbatissae Mariae Henricettae Borboniae. Laudatur apud magnum gallicum dictionarium historicum, litterarium, et criticum, atque a Christiano Jocher.

Frater Andreas de Canovas, alias de S. Nicolao, litteris, et virtutibus clarus, anno 1605 ad Philippinas naviga-

Digitized by Google

vit, et in itinere in mari in conspectu Philippinarum anno 1606 magnis relictis sanctitatis indiciis migravit in coelum. Ita Thomas Herrera.

Frater Andreas Hieronymus de Morales, Hispanus, theologus egregius, Qualificator S. Inquisitionis et Prior conventus S. Mariae Matritensis, scripsit hispanice librum pro animae directione ad unionem cum Deo. Florebat saeculo decimo septimo. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Andreas Landon, Gallo-Tolosanus, sacrae Theologiae Doctor, atque in Tolosana Academia professor regius, vir Philosophiae, atque Theologiae egregie doctus, anno 1672. typis evulgavit cursum philosophicum. Vide nostratem Ossinger.

Frater Andreas Nunnez de Andrada, Hispanus, vir in S. Scripturis admodum versatus, inchoavit, sed non absolvit opus hispanice exaratum, cui titulus: *Hortus divinarum Scripturarum*. Hujus operis per praelum publici juris fecit anno 1600. unum tantum volumen, quod non praetergreditur litteram A. Commendatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Andreas de S. Augustino, Hispanus, circa annum 1628 in conventu Hispalensi, postquam annos plus quinquaginta Augustinianam tunicam gestasset, cum magna sanctitatis opinione ex hac vita migravit. Ex nostrate Herrera.

Frater Angelus Belluomo, Picenus, utrumque jus egregie calluit, cujus rei testimonium est hoc ipsius opus typis impressum cui titulus: *Theorica justitiae aphorismis comprobata*. Praelo etiam tradidit vitam B. Ritae de Cascia anno 1625. Nominatur etiam a Joanne Maria Mazzucchellio.

Frater Angelus Vancius, Ariminensis, sacrae Theologiae Doctor, floruit saeculo 17 inter viros suae aetatis doctissimos, ac celebris evasit propter tam propria, quam aliorum scripta sua cura in lucem producta, et edita; nam imprimi

Digitized by Google

curavit quaedam opera nostratum Gerardi Senensis, Aegidii Columnae, Alexandri de S. Elpidio, Gregorii Ariminensis, Petri Aragon etc. De sua penu autem praelo mandavit: I. *Discursus circa praecepta Decalogi.* 2. *Justam defensionem sermonum S. P. Augustini ad fratres in Eremo.* 3. *Discursus pro tuendis privilegiis Regularium.* 4. *Brevem animadversionem de universorum hominum ex ipso jure originis naturalis subjectione Principum laicorum potestati etc. contra Marcum Antonium de Dominis, et alia.*

Frater Angelus Guilelmus Artegiani, Picenus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit tam theologicarum disciplinarum scientia, quam politiorum litterarum peritia clarus. Decessit anno 1730. Praelo mandavit italice: I. *Orationem de honestate amoris.* 2. *Dissertationem de 70 hebdomadibus Danielis a nostro P. Thoma Bouges elucubratam e gallico in italicum sermonem transtulit.* 3. *Quadriregium, poema DD. Friderici Frazzi Dominicani, Episcopi Fulginatis, annotationibus illustravit, et alia.* Memoratur a Jo. Maria Mazzucchellio.

Frater Angelus Hoggmair, Bavarus, sacrae Theologiae Magister, fuit plurium coenobiorum Prior, deinde totius Germaniae Assistens generalis, ac demum suae Provinciae praefectus. Dicitur ab Ossinger vir summe eruditus, et in omni scientiarum genere versatus, atque historiographus insignis. Mortale corpus exuit Monachii anno 1739. Typis edidit: I. *Catalogum Provincialium totius Germaniae, idest Bavariae, Austriae, Bohemiae, Moraviae, Poloniae, Styriae, Carniolae etc.* 2. *Monasteria Ordinis nostri romana, et germanica cum tabulis geographicis in aere incidi curavit.* 3. *Item incidi fecit Germaniam, Italiam, Galliam, atque Hispaniam Augustinianas.* Consule nostratem Ossinger.

Frater Angelus Maria Sommariva, Mediolanensis, alumnus Congregationis Insubricae, vir fuit magnae doctrinae, ac pietatis. Praefatae Congregationis primatum obtinuit. Ty-

Digitized by Google

pis evulgavit italice opus de prodigiosa sanctitate D. Nicolai Tolentinatis anno 1667.

Frater Angelus Nicolaus Conradus, Savonensis, alumnus Provinciae Galliae Cisalpinae, vixit saeculo decimo septimo. Vir disertissimus, non minus vita quam eloquentia insignis, plura reliquit manuscripta praedicatoribus perutilia, ut Michael Justinianus testatur. Vide Augustinum Oldoinum in Athenaeo Ligustico pag. 35.

Frater Anselmus Bressl, Monachiensis, alumnus Provinciae Bavaricae, dicitur ab Ossinger vir insigni virtute, morum gravitate, ac doctrina ornatus, Patrum lectione dives, ingenio felix, atque orator perfectissimus, qui munus concionatoris Monachii per novem annos magno cum plausu peregit. Obiit Ratisbonae dum ibidem prioratum gereret anno 1743. Ad posteros per praelum transmisit tres orationes panegyricas sermone patrio exaratas, quas in extraordinariis solemnitatibus recitavit.

Frater Anselmus Fatius, Siculus, vir integerrimae vitae, uti eum vocat Ossinger, atque scientia theologica egregie instructus, anno 1628 italice typis evulgavit librum, cui titulus: *Memoria artificiale di casi di coscienza, ovvero nuovo modo di apprendere con facilità tutto ciò che appartiene alla materia de'casi di coscienza, disposta artificiosamente per via di numeri*. Vide nostratem Ossinger.

Frater Antonius Gassmann, Germanus, sacrae Theologiae Doctor, atque in Erfordiensi Universitate ejusdem facultatis professor, et decanus, anno 1707 typis evulgavit sub nomine *Viae lacteae* examen juris canonici per quaestiones selectiores, rariores, et difficiliores ad V. libros Decretalium ex S. Scriptura, canonistis, et theologis collectum. Extat in nostra Bibl. Angelica.

Frater Antonius de Almada, Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, non solum hanc facultatem, verum etiam concionandi artem egregie calluit. Virtutibus, ac meritis

Digitized by Google

plenus ex hac vita migravit anno 1715. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibliotheca Lusitana. Reliquit manuscripta quaedam philosophica, et concionatoria, typisque evulgavit patrio idiomate spiritualem desponsationem inter coelestem Sponsum, ac V. Marianam de Rosario Sanctimonialem monasterii Eborensis SS. Salvatoris.

Frater Antonius de Aragam, Lusitanus, vir fuit magnae pietatis, qui et nostris, et externis seipsum praebuit bonorum operum exemplum. Piissimam mortem oppetiit anno 1716. Laudatur a Didaco Barbosa Machado in bibl. Lusitana. Typis edidit librum de indulgentiis Cincturatorum sermone patrio exaratum.

Frater Antonius a Burgundia, Germanus, vixit saeculo 17. In litteris, quae amoeniores dicuntur, jugi studio versatus, praelo tradidit librum, cujus titulus: *Lapis lydius Mundi, sive emblemata, Antuerpiae* 1660. Ita Ossinger.

Frater Antonius de Castro, Hispanus, concionator, atque in Matritensi S. Philippi coenobio magister novitiorum, anno 1701. typis evulgavit hispanice *Caeremoniale Augustinianum.*

Frater Antonius de Esperanza, Lusitanus, vir fuit magnarum virtutum, qui propterea varias diaboli insectationes sustinere debuit, e quibus tamen victor semper evasit. Post tot certamina ad aeternam coronam evolavit anno 1634. Commendatur a Didaco Barbosa Machado. Reliquit M. SS. tomum unum variorum sermonum.

Frater Antonius Marquez, Hispanus, celebris concionator, qui floruit saeculo 17, scripsit hispanice opus cujus titulus: *Asuntos predicables sobre los tres majores estados de la Iglesia, es a saber del Sacerdote, Predicador, y Obispo.* Laudatur a Christiano Jocher.

Frater Antonius de Morales, Lusitanus, post completum studiorum curriculum ad orientales Indias perrexit, ibique propter prudentiam, atque agendi dexteritatem bis

Digitized by Google

ad Provinciae regimen evectus fuit. Vixit saeculo 17. Reliquit memorias manuscriptas de missionariis, quos Augustiniana Religio e Lusitania in illas regiones misit ab anno 1572 usque ad 1630. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Antonius a Nativitate, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor, et suae Provinciae Praefectus, laudatur ab Ossinger ob singularem ingenii magnitudinem, profundam scientiam theologicam, atque spectatam morum integritatem. Nominatur etiam a Didaco Barbosa Machado, Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Florebat circa medietatem saeculi 17. Typis edidit latine: I. *Stromata oeconomica, sive opuscula de regimine domus.* 2. *Tractatum de Cingulo.* 3. *Montes coronarum S. P. Augustini in sua Religione acceptarum.* 4. *Sylvam suffragiorum ad communem utilitatem vivorum, et defunctorum.* Haec tria postrema sermone Lusitano exarata sunt.

Frater Antonius a Pietate, Lusitanus, eloquens orator, floruit saeculo 18. Memoratur a Didaco Barbosa Machado. Typis evulgavit orationem panegyricam de S. Joanne a Cruce sermone patrio exaratam.

Frater Antonius Rousado, Lusitanus, concionator generalis, anno 1736 per praelum publici juris fecit orationem de Christo super montem Calvarium sermone patrio exaratam. Scripsit etiam eodem idiomate pomarium genealogicum, historicum, chronologicum, et criticum plantatum in Eremo Augustiniana Lusitana. Commendatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Antonius Sá, Lusitanus, Philosophiae, atque Theologiae professor, fuit etiam suae Provinciae moderator. Decessit anno 1726. Reliquit M. SS. unum tractatum de Deo, et alterum de conscientia. Mentionem de illo facit Didacus Barbosa Machado.

Frater Antonius Sainer, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, in Lusitania morabatur anno 1640. quo tempore

Digitized by Google

publicae perturbationes illic exortae fuerunt; quare in patriam reversus illos eventus descripsit in libro, quem anno 1644 typis evulgavit sub titulo: *Historia de el levantamiento de Portugal*. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Antonius a S. Guilelmo, Lusitanus, dicitur a nostrate Ossinger insignis poeta. Fuit etiam in sublimioribus disciplinis egregie versatus. Hanc evasit vitam anno 1731. Memoratur a Didaco Barbosa Machado. Reliquit varia poemata typis edita, necnon comoediam manuscriptam, cui titulus: *La Fineza Coronada*.

Frater Antonius de Witte, Belga, floruit saeculo 18. Quippe quod vir erat magnae prudentiae, atque multae doctrinae, idcirco varios prioratus egregie gessit, atque novam editionem curavit concionum nostri D. Thomae a Villanova, easque e manuscriptis ita auxit ut haec editio quatuor tomos comprehendat, quorum postremus editus fuit anno 1703. Vide nostratem Ossinger.

Frater Arnolphus Neelsback, Germanus, sacrae Theologiae Licentiatus, qui obiit anno 1689, typis mandavit libellum de indulgentiis, et privilegiis Confraternitatis Cincturatorum, atque reliquit manuscriptum chronicon conventus Coloniensis in sex libros distinctum, quod a Josepho Hartzheim dicitur opus praelo dignissimum.

Frater Arnoldus Oliverius, Belga, dicitur a Joanne Foppens conçionator facundus. Multos annos priorem egit. Obiit senex anno 1600. Reliquit M. SS. exegesim in psalmum 44 et commentarium in Cantica Canticorum.

Frater Augustinus Curtius, Mediolanensis, dicitur a Philippo Argelati vir tum in philosophicis, tum in theologicis disciplinis apprime versatus. Fuit sacrae Theologiae Magister, et suae Insubricae Provinciae Praefectus, quo in munere diem extremum clausit exeunte saeculo 17. Reliquit manuscripta duo volumina ingentis molis in primam partem D. Thomae. Ex praefato Argelati.

Digitized by Google

Frater Augustinus Diruta, Perusinus, sacrae Theologiae Baccalaureus, vir fuit in arte musica celeberrimus, qui per praelum publici juris fecit, juxta Jacobillum, novendecim, juxta alios vero, plures libros de Musica. Ex praefatis libris aliquot Romae in bibliotheca Minervae asservantur. Florebat circa medietatem saeculi 17. Laudatur a Ludovico Jacobillo, Augustino Oldoino, Christiano Jocher, atque Jo. Baptista Rossi-Scotti Perusino in vita Francisci Morlacchi.

Frater Augustinus Guerrerius, Ligur, sacrae Theologiae Magister, vir omni scientia instructus, floruit saeculo 16. exeunte. Praelo mandavit: I. *Decisiones casuum conscientiae pluries impressas.* 2. *Methodum examinandi, et instruendi juvenes ad minores et majores Ordines promoveri cupientes.* Mentionem de illo faciunt Augustinus Oldoinus, atque Christianus Jocher.

Frater Augustinus Hofler, Monachiensis, alumnus Provinciae Bavaricae, dicitur ab Ossinger vir profunde doctus, et piissimus, in quo pietas cum doctrina pro palma certabat. Fuit ter Prior Monachiensis, et bis Provincialis. Ingressus est viam universae carnis anno 1713. Opera ejus typis edita sequentia sunt: I. *Microcosmus, seu quaestiones de causis hominum.* 2. *Controversiae ex universa Theologia scholastica.* 3. *De bonis religiosorum sub titulo:* Causa de bonis religiosorum jam tredecim abhinc saeculis inter S. Augustinum, et S. Alipium agitata. Lege nostratem Ossinger.

Frater Augustinus Kneutgen, Belga, alumnus Provinciae Coloniensis, atque in ejusdem urbis Universitate sacrae Theologiae professor, anno 1702. typis edidit quaestiones theologicas in primam secundae D. Thomae. Verba de illo facit Josephus Hartzheim.

Frater Augustinus Lazara, Siculus, unus fuit ex praecipuis suae aetatis poetis. Floruit usque ad annum 1708. Nominatur ab Antonio Mongitor in appendice ad tomum pri-

Digitized by Google

mum suae bibliothecae Siculae. Typis edidit italice discursum de conversione S. P. Augustini.

Frater Augustinus Theodori, Belga, sacrae Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger vir singulari magnitudine animi, morumque integritate praeditus. Fuit Prior Lovaniensis, et Proviacialis. Fratribus morbo contagioso infectis assistens, obiit suae caritatis victima anno 1630. post multos pro Ecclesia Dei, et Ordine nostro labores exantlatos. Reliquit commentaria in omnes D. Pauli epistolas.

Frater Augustinus de Tolosa, Hispanus, edidit librum cui titulus: *Aranjuez del Alma*, opus celebratum carmine eleganti Lupercii Leonardi de Argensola. Inter hujus opera reperitur. Florebat anno 1584. Ex Nicolao Antonio Hispalensi. Celebratur etiam a Christiano Jocher.

Frater Augustinus Vicentinus, sacrae Theologiae Magister, celebris fuit praedicator, quem tam propter doctrinae amplitudinem, quam propter vitae et morum candorem omnes summo loco habuerunt. Praeceptor atque institutor fuit Julii della Rovere nepotis Julii II. Obiit anno 1560. Reliquit M. SS. sermones dominicales in Evangelia totius anni. Nominatur etiam a Christiano Jocher.

Frater Augustinus Ultoniensis, Hibernus, fidei causa (circa annum 1650) condemnatur; sententia aegre admodum in perpetuum exilium convertitur, quo perpetuum virtus exulet. Ita Sanguinea Eremus Martyrum Hiberniae Ord. S. Augustini.

Frater Aurelius Westhoven, Germanus, Alumnus Provinciae Coloniensis, vir tum doctrina, tum morum probitate laudabilis, fuit sacrae Theologiae Baccalaureus, ejusdemque facultatis per plures annos professor. Decessit Coloniae anno 1716. Prodierunt ejus studio in lucem *Eremus mystica, et Homo interior* e germanico idiomate latino data 1707. Reliquit M. SS. ingens volumen asceticum hoc titulo : *Mundus praeposterus*. Ita Josephus Hartzheim Jesuita in bibliotheca Coloniensi.

Digitized by Google

Frater Aurelius Bassus, Mediolanensis, Philosophiae ac Theologiae Lector, dicitur ab Ossinger historiographus celebris. Obiit Romae dum provincialatum gereret anno 1616. Typis edidit historiam S. Mariae de Populo. Memoratur a Philippo Argelati in bibl. Mediolanensium scriptorum.

Frater Aurelius Limariensis, Italus, anno 1565. Lucae typis evulgavit *Enchiridion in Hebraeos*. Lege nostratem Ossinger.

Frater Balduinus de Housta, Belga, sacrae Theologiae Baccalaureus, suam haud vulgarem eruditionem ostendit in libris infrascriptis, quos praelo mandavit. Plures annos tam nostrates, quam externos e cathedra edocuit, atque prioratum Lovaniensem laudabiliter gessit. Florebat adhuc anno 1726. Typis edidit: I. *Orationem funebrem in laudem nostri Petri Lamberti le Drou Episcopi Porphyriensis*. 2. *Vitas SS. Adriani, Benedicti, Trudonis, et Eucherii*. 3. *Historiam imaginis prodigiosae B. M. V. de Bono Successu*. Lege nostratem Ossinger.

Frater Bartholomaeus de Oglio, Genuensis, sacrae Theologiae Magister, vir rara eloquentia praeditus, anno 1731. praelo subjecit sermonem habitum Venetiis ad S. Marcum, cui titulus; *Le ignominie di Cristo glorificato da suoi trionfi*. Nominatur a Joanne Maria Mazzucchellio.

Frater Basilius Magi, Genuensis, nuncupatur ab Ossinger vir magnae eloquentiae, rhetor insignis, et orator plurimum laudandus. Memoratur etiam ab Augustino Oldoino in Athenaeo Ligustico. Reliquit duas orationes, unam occasione assumptionis ad S. Cardinalium Collegium nostri Emi Gregorii Petrochini, imp. Mediolani anno 1590, et alteram in laudem Rmi P. Generalis Mag. Spiritus Angoscioli Vicentini.

Frater Basilius Slad, Bohemus, sacrae Theologiae, Magister, et professor, dicitur ab Ossinger vir singularis prudentiae, et divinis litteris insigniter eruditus. Suae peregri-

Digitized by Google

nationis cursum complevit anno 1686. Publici juris fecit Theologiam scholasticam ad mentem S. P. Augustini expositam, quam pro suprema Doctoratus laurea Pragae in Universitate defendit.

Frater Benedictus de Asti, natione Hispanus, vixit saeculo 17. Vir in scientia historica insigniter versatus, hispanice typis excudi fecit vitam S. Thomae a Villanova 1670. Nominatur etiam a Christiano Jocher.

Frater Benedictus Heuschen, Germanus, sacrae Theologiae Doctor, tum Philosophiam, tum Theologiam egregie calluit. Suam Coloniensem Provinciam non sine laude administravit. Typis mandavit anno 1748 compendium Philosophiae nostratis Nicolai Friderici Gavardi.

Frater Benedictus de Meirelles, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor, atque Archiepiscopi Bracarensis examinator synodalis, ab anno 1740 usque ad 1745 sua industria reimprimi curavit Theologiam nostri Augustini Gibbon auctam variis argumentis, responsionibus, indice generali, et quatuor tractatibus contra Lutherum, et uno de scientia ideali. Opus constat septem tomis in folio.

Frater Beniaminus Zacchi, Brixiensis, sacrae Theologiae Lector, dicitur ab Ossinger vir in theologico studio excellens, concionator egregius, profunda doctrina ac fervida eloquentia decoratus. Typis evulgavit italice: I. *Decem sermones de B. Maria Virgine anno* 1667. 2. *De excellentia Cinguli ejusdem B. Mariae Virginis.*

Frater Benedictus Vogrin, Styrius, alumnus Provinciae Austriae, claruit pietate, atque doctrina. Fuit sacrae Theologiae Baccalaureus, variorum conventuum prior, animarum pastor, atque concionator minime contemnendus. Pie decessit anno 1712. Posteris reliquit octo sermones germanico idiomate conscriptos de S. Joanne a S. Facundo, quos ipse recitavit Graecii anno 1691. dum ejusdem Sancti canonizatio solemniter celebraretur. Impressi fuerunt anno 1692 simul cum aliis.

Digitized by Google

Frater Bernardus de Torres, Hispanus, alumnus Provinciae Peruanae, ejusdemque chronographus, sacrae Theologiae Magister, et in Academia Limensi ejusdem facultatis professor, praelo mandavit hispanice Chronicon Provinciae Peruanae Ord. S. Augustini anno 1657. Mentionem de illo faciunt Nicolaus Antonius Hispalensis, et Christianus Jocher.

Frater Bonaventura das Chagas, Lusitanus, celebris alumnus fuit Vicariatus Indiarum Orientalium. Nam patria relicta, illuc transfretavit, ibique apud Goanum coenobium Augustinianum habitum induit anno 1624. Post completum studiorum curriculum Lector constitutus fuit, atque postea nostratem religiosam juventutem egregie instruxit. In Lusitaniam reversus, ita laudabiliter in aliquot coenobiorum regimine se gessit, ut Provinciae primatum promeruerit, anno scilicet 1661. Commendatur a Didaco Barbosa Machado in bibl. Lusitana. Scripsit cursum philosophicum, et compendium universae Theologiae.

Frater Bonaventura Moors, Hollandus, celebris concionator, anno 1712. typis evulgavit latine egregium opus cui titulus: *Lux evangelizantium e sacris praesertim litteris, M. Augustini, aliorumque Patrum testimoniis refulgens in omnes totius anni Dominicas.* 2. *Catechismum calvinistarum, flandrice* 1698. 3. *Meditationes in passionem Domini nostri Jesu Christi.* 4. *Aliquot opuscula adversus quosdam haereticos, praesertim in defensionem dogmatis de Purgatorio, hollandice, et alia.*

Frater Bonifacius Sadler, Monachiensis, alumnus Provinciae Bavaricae, vir fuit omni scientiarum genere exornatus, ac praesertim Mathesi, atque Astronomia, in quibus suo tempore nulli in tota Bavaria cessit. Fuit variorum coenobiorum prior. Piissimam mortem oppetiit Monachii octogenario major anno 1753. Typis evulgavit: 1. *Bavariam divisam in tempora, idest catalogum omnium civitatum, mona-*

Digitized by Google

steriorum, oppidorum, villarum, et praediorum Bavariae, et aliarum civitatum Europae. 2. *D. Augustinum de Civitate Dei cum notis imprimi curavit.*

Frater Bruno Neuser, Germanus, alumnus Provinciae Rheno-Svevicae, floruit saeculo decimo septimo. Vir fuit Theologia morali valde eruditus. Memoratur etiam a Christiano Jocher. In lucem emisit: 1. *Integram Theologiam moralem.* 2. *Tractatum de horis canonicis.* 3. *Prodromum pro S. Augustino.* Adeas nostratem Ossinger.

Frater Bruno Sauve, Gallus, praeclaris enituit animi mentisque virtutibus, necnon Augustinianae Religionis zelo. Typis edidit gallice anno 1684 librum de institutione tertii Ordinis S. P. Augustini, deque vitae ratione ejusdem sodalium. Laudatur a Philippo Bonanni in Syllabo auctorum.

Frater Camillus Thoma, Aesinus, florebat circa medietatem saeculi 17. Typis evulgavit italice: I. *Vitam S. Matris Monicae.* 2. *Vitam B. Clarae de Montefalco.* 3. *Originem et miracula panis benedicti S. Nicolai.* 4. *Librum cui titulus:* Le glorie immortali del Monte Calvario. 5. *Alterum qui inscribitur:* Due salutiferi antidoti, uno da preservare le anime dal veleno del peccato mortale, e l'altro da curarle ec.

Frater Caesar Augustinus Zucchius, Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, a Philippo Argelati dicitur vir amoenioribus titteris excultus, et in philosophicis, theologicisque scientiis apprime versatus. Apud Ticinensem Academiam publicum professorem, apud Ordinem vero tum provincialem, tum procuratorem generalem egit. A nostrate Gandolpho laudatur etiam ob poesis latinae peritiam. Vitam evasit anno 1687. Reliquit M. SS. tractatum de anima.

Frater Caesarius Syrott, Austriacus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit magna regendi dexteritate, atque singulari Augustinianae Religionis zelo praeditus. Bis provincialem, ac pluries priorem egit. Mortalitatem explevit anno 1678. Praelo mandavit librum, cui titutus: *Coelestis viae*

Digitized by Google

dux, idest spirituale exercitium infirmis et agonizantibus, necnon ad mortem damnatis assistendi.

Frater Carolus Caesar Marasca, Mediolanensis, sacrae Theologiae Doctor, vir fuit doctrina, ac pietate conspicuus, atque zelo animarum plenus. Mentionem de illo facit Philippus Argelati in bibl. Mediolanensium scriptorum. Vivis defuit anno 1662. Praelo mandavit: I. *Orationem in laudem D. Catharinae virginis et martyris.* 2. *De excellentia sacri Cinguli S. P. Augustini, et S. Matris Monicae cum catalogo indulgentiarum ejusdem.*

Frater Carolus de Croy, Gallus, vir ingenio praestans, et in humanis, sacrisque litteris, ut ait Ossinger, jugi studio exercitatus, anno 1612. praelo mandavit librum cui titulus: *Arma falsorum amorum.*

Frater Carolus Gassner, Viennensis, alumnus Provinciae Austriae, sacrae Theologiae Magister, atque in patria Universitate ejusdem facultatis professor, claruit praesertim insignis concionatoris nomine. Ex hac vita migravit anno 1742. Praelo tradidit plures orationes panegyricas germanico idiomate exaratas, nempe de S. Barbara, de SS. Nicolao de Tolentino, Joanne Nepomuceno, Georgio, deque quinque sacratissimis vulneribus Christi.

Frater Carolus Hoorn, Belga, sacrae Theologiae Doctor, vir fuit rari ingenii, atque mirae eloquentiae, uti patet ex praeclaris concionibus, quas per praelum in lucem emisit. Florebat circa annum 1676. Mentionem de illo facit etiam Jo. Franciscus Foppens in bibl. Belgica. In concionatorum commodum typis evulgavit: I. *Cornucopias concionum sacrarum, et moralium super cunctas ferias et Dominicas Quadragesimae.* 2. *Tractatum de laudibus et praerogativis B. M. Virginis qui constat ex 24. concionibus.*

Frater Carolus Klug, Germanus, celebris fuit pulsator organi, qui quaedam musicalia composuit, quibus tunc temporis etiam externi ad laudandum Deum utebantur. Com-

Digitized by Google

mendatur potissimum illius singulare egenis atque aegrotis subveniendi studium. Decessit anno 1723. Celebratur a nostrate Antonino Hohn.

Frater Carolus Julianus Ferruccius, Maceratensis, alumnus Congregationis Insubricae, Venetiis anno 1716 typis edidit: *Stemma geneachronologicum descendentiae Principum, et Heroum de la Turre ex Comitibus Vallis Saxinae*, teste nostro Jo. Baptista Cotta in vita B. Antonii Turriani, pag. 181.

Frater Carolus Maria Perugia, Mediolanensis, quantum sacris, profanisque scientiis fuerit excultus, quantave prudentia in rebus gerendis ornatus, indicio sunt munera illi cum a Patribus, tum a Supremis Ordinis Praesulibus collata, quibus profecto summa semper cum laude functus fuit. In primis enim fuit Philosophiae, ac Theologiae in praecipuis Ordinis coenobiis praeceptor, ac deinde post obtentam magistralem lauream suae Provinciae Praefectus, ac postea Ordinis Secretarius. Senio confectus obiit Mediolani anno 1700. Reliquit MSS. I. *Summulas Theologiae*. 2. *Multas epistolas tum latine, tum italice conscriptas*. Ex Philippo Argelati in bibl. Mediolanensium scriptorum.

Frater Carolus Mulerius, Belga, floruit saeculo 17. Vir fuit non minus scientia, quam vitae probitate clarus, qui ab Ossinger dicitur zelosus missionarius. Serenissimo Duci Wirtembergensi librum nuncupavit, cujus titulus: *Compendiosa institutio linguae hispanicae*.

Frater Carolus Rabbi, Bononiensis, alumnus Congregationis Insubricae, sacrae Theologiae Magister, vir fuit insignis doctrinae, qui floruit circa medietatem saeculi 18. Per praelum publici juris fecit: 1. Opus egregium, atque perutile, cui titulus: *Sinonimi, ed aggiunti italiani etc.* Hoc opus fuit pluries impressum, atque etiam auctum a P. M. Alexandro Bandiera. 2. *Tractatum de sinonimis, adiunctis et similitudinibus, italice*. 3. *Librum latinum de Mathematicae ad Theologiam utilitate*.

Digitized by Google

Frater Carolus Viardot, Gallus, dicitur ab Ossinger vir doctrina ascetica, et saecularibus disciplinis impense doctus. Floruit saeculo 17. Praelo tradidit gallice : I. *Discursum de cometae, seu stellae caudatae apparitione supplicia humano generi ni vitae studeant emendationi intentantis.* 2. *Tractatum de vita salutari.*

Frater Christianus Francaeus, Gallus, sacrae Theologiae Magister, florebat saeculo decimo septimo. Claruit praesertim historica eruditione. Ad posteros transmisit librum cui titulus: *Felix Augustinensium communitatis Bituricensis exordium, et progressus ab anno* 1594 *usque ad* 1620.

Frater Christophorus Almeida, Lusitanus, dicitur ab Ossinger vir omni litterarum eruditione eximius, et inter sui aevi concionatores praestantissimus, qui non minus pietate, morumque probitate, quam doctrina eminuit. Extremum diem obiit anno 1679. Commendatur etiam a Christiano Jocher in universali Lexico eruditorum. Reliquit quatuor volumina concionum.

Frater Christophorus de Busto, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir integerrimae vitae, magnae auctoritatis, nec minoris animi, et maximae devotionis erga S. Nicolaum de Tolentino. Fuit Cordubensis coenobii prior; quare scripsit, typisque evulgavit hispanice historiam aliquot miraculorum, quae in eadem urbe per D. Nicolai Tolentinatis intercessionem patrata fuerunt. Florebat initio saeculi 17. Commendatur a Nicolao Antonio Hispalensi, atque Christiano Jocher.

Frater Christophorus de Fromesta, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, atque Salmanticensis coenobii Prior, reliquit MSS. volumen magnum in Cantica Canticorum. Florebat circa fine saeculi 17. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Cyprianus de Herrera, Hispanus, alumnus Provinciae Peruanae, sacrae Theologiae Doctor, in regali Limae Universitate theologicus censor, S. Inquisitionis qualificator,

Digitized by Google

atque regius concionator, vir fuit eloquentia et eruditione celebris. Typis edidit Romae anno 1670. mirabilem vitam, et mirabiliora acta V. Servi Dei Alphonsi Toribii Megobresii Archiepiscopi Limani.

Frater Cyprianus de Masi, Florentinus, Regens studiorum Pisarum, et postea Firmi, anno 1621 praelo mandavit disputationem de praedestinationis, et reprobationis mysterio juxta S. P. Augustini, D. Thomae, et Aegidii Columnae sententiam. Commendatur a Julio Negri in historia scriptorum Florentinorum.

Frater Coelestinus Sinagra de Atella, sacrae Theologiae Magister, fuit celebris concionator, prior S. Augustini Neapolis, et provincialis Terrae Laboris. Florebat saeculo 17. Nominatur etiam a Nicolao Toppio, atque a Christiano Jocher. Typis evulgavit librum, cui titulus: *Il Giob, opera spirituale, ed altre prediche panegiriche etc.*

Frater Columbanus Humpel, Bavarus, sacrae Theologiae Magister, laudatur apud Ossinger cum a scientia, tum a vitae probitate. Non solum Monachiense coenobium, verum etiam totam provinciam administravit. Vivis defuit anno 1708. Praelo mandavit: I. *Problemata selecta ex universa Theologia.* 2. *Tractatum de fide, spe, et caritate.* 3. *Conclusiones Theologicas.*

Frater Corbinianus Maurer, Bavarus, non solum Philosophiam, Theologiam, et Mathesim, verum etiam linguam graecam, hebraicam, et gallicam optime calluit. Ivit illuc quo plures abierunt anno 1787. Praelo subjecit: *Novum horologium universale, seu analemma sciatericum.* Ex nostrate Ossinger.

V. Cosmas a Praesentatione, V. Thomae de Jesu germanus frater, ex illustri familia de Andrada in Lusitania ortus, in juvenili aetate, ut scribit noster Thomas Herrera, abnegavit non tantum quod habebat, sed etiam, quod perfectius est, abnegavit seipsum; nam reliquit omnia, et se-

Digitized by Google

cutus est Christum in Religione Augustiniana, in qua pro divitiis, quas possidebat, paupertatem, pro dignitatibus, in quibus aliis imperare potuisset, obedientiam, et pro lubricis mundi deliciis castitatem elegit. Omnes ejus praeclarum ingenium, modestiam, atque sacram et profanam eruditionem admirabantur. A Gregorio XIII in Germaniam ad regularem disciplinam instaurandam missus, ubi Bononiam pervenit, ibidem pretiosam justorum mortem oppetiit anno 1580 aetatis suae 36. A Didaco Barbosa inter Lusitaniae scriptores recensetur.

Frater Daniel Schonaver, Austriacus, fuit celebris concionator, qui totum se haereticorum conversioni mancipavit, quo in officio uberem Domini benedictionem accepit; nam inter caeteros D. Baronissam de Zwengau cum duabus filiabus ad catholicam Ecclesiam perduxit. Extremum diem morte confecit anno 1718. Praelo mandavit plures orationes panegyricas et funebres, prout videre est apud nostratem Ossinger.

Frater Didacus de Loya, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, alumnus provinciae Castellae, prius Salamanticae studiorum Regens, ac postea in conventu Hispanorum Neapolitano sub titulo S. Mariae de Spe quater Vicarius generalis, in Regio Neapolitano Athenaeo sacrorum Bibliorum interpres, ac demum moralis ethicae oeconomicae et politicae professor, suam vastissimam eruditionem omnibus ostendit per ingens opus latinum, impressum Neapoli sub titulo: *Quinque porticus morales ad probaticam piscinam mysticae sanctitatis, ubi plura de Philosophia morali, hieroglyfica, symbolica, enigmatica, emblematica, proverbiali, poetica, etc. tom.* 2 *in fol.* Extat in nostra Bibl. Angelica.

Frater Didacus de S. Michaele, Lusitanus, vir integerrimae vitae, magnae prudentiae, ac pietatis, nec non sacrarum litterarum scrutator indefessus, ut eum vocat Ossinger, fuit Lusitaniae Provincialis. Typis evulgavit sermone pa-

Digitized by Google

trio anno 1634 explanationem Regulae S. P. Augustini. Memoratur etiam a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Didacus Velez a Guevara, Hispanus, Cardinalis Francisci Sfortiae theologus, anno 1618 typis evulgavit librum hispano idiomate exaratum, in quo continentur discursus morales cum vita et martyrio S. Laurentii Levitae, necnon explanatio psalmi 16. Mentionem de illo facit Nicolaus Antonius Hispalensis.

Frater Dionysius de Anios, natione Lusitanus, alumnus Provinciae Lusitaniae, vixit saeculo 17. Vir facundissimi ingenii, et rarae experientiae in rebus agendis, necnon divinarum, humanarumque litterarum indagator accuratissimus, Episcopus Algarbiae denominatus est, verum die 24 Novembris anno 1654 fatis cessit. Aliqua opera S. P. Augustini ex idiomate latino in patrium vertit. Ita Ossinger. Laudatur etiam a Christiano Jocher.

Frater Dionysius Savelli, Bononiensis, sacrae theologiae Magister, vir fuit scientiarum ornatu, vitaeque integritate illustris. Patrium S. Jacobi coenobium prioris nomine gubernavit. Posteris reliquit *Praxim resolutoriam obligationum, munerum, et indultorum magis practicabilium Praelati regularis conventus, ejusque officialium etc. imp. anno* 1692.

Frater Dominicus Ghigi, Florentinus, sacrae theologiae Magister, vir fuit divinis humanisque litteris egregie excultus, atque versificandi laude in primis celebris. Erat decanus in Florentina Universitate. Reliquit: I. *Orationem funebrem in laudem nostratis eximii sacrae theologiae Doctoris Leonardi Coquaei, imp. anno* 1656. 2. *Primam centuriam annalium Ordinis nostri elegiaco carmine descriptam.* Nominatur a Julio Negri in scriptoribus Florentinis.

Frater Dominicus Rodriguez, Lusitanus, fuit celebris pictor, qui floruit saeculo 17. Laudatur in Dictionario encyclopedico linguae hispanicae impresso Matriti ab anno 1853 ad 1855.

Digitized by Google

Frater Dominicus Scifelli, Romanus, sacrae Theologiae Magister, atque in Romana Sapientia publicus divinarum Scripturarum explanator, vir fuit singulari cum sacra tum profana eruditione instructus. Praelo subjecit anno 1732. dissertationem chronologicam de quarta aetate Mundi italico sermone exaratam.

Frater Donatus Kenedi, Hibernus, propter catholicae fidei praedicationem ab haereticis circa medietatem saeculi decimi septimi laqueo interemptus fuit. Ex Sanguinea Eremo martyrum Hiberniae Ord. Erem. S. P. Augustini.

Frater Dominicus Tagliaferri, Sigillensis, alumnus Provinciae Umbriae, et sacrae Theologiae Magister, typis edidit italice anno 1688 sacrum diarium indulgentiarum Sodalitati Cincturatorum concessarum.

Frater Dominicus Treccius, Vicentinus, dicitur ab Ossinger vir humanis literis excultus et celebris poeta. Praelo tradidit 1611 tragoediam, cui titulus *Cristo penoso, e moriente.* Mentionem de illo facit Franciscus Xaverius Quadrius in sua Poesis historia, tom. 3. pag. 79.

Frater Donatus Screnan, Hibernus, musarum atque virtutum egregius cultor, dum iniquam catholicorum cum haereticis transactionem oppugnat, quod Pontificis et Ecclesiae libertatem constringeret, ex pessimo more verae fidei poenas dedit. Ita praefata Sanguinea Eremus.

Frater Edmundus Ballack, Hibernus, vir omni instructus virtute, et scientia, ab ipso solis occasu advolavit, ut laboranti fidei subveniret, sed haereticorum vigilantia ad patria littora appellere prohibitus, in Hispaniam descensionem facere coactus fuit. Ex laudata Sanguinea Eremo.

Frater Edmundus Ferlinz, Germanus, alumnus Provinciae Austriae, sacrae Theologiae Magister, claruit pietate ac doctrina. Mortalem vestem deposuit anno 1718. Typis evulgavit disputationem ethicam juxta consuetam disputandi methodum in mille conclusiones concinnatam, con-

Digitized by Google

tinentem generalia quaedam praecepta tripartitae Philosophiae moralis, idest monasticae, oeconomicae, et politicae etc.

Frater Edmundus Ryan, nobilis Hibernus, causa fidei in Hispaniam exulans, indidem ad aeternam patriam transivit. Ex praefata Sanguinea Eremo.

Frater Edmundus Tobyn, Hibernus, cum haereticis in arenam descendit, et quamvis omnium longe victor, ne publici doloris oculos ferat, pro lauro, exilio mulctatur. Ex eadem Sanguinea Eremo, quae refert ea, quae Augustinenses circa medietatem saeculi 17 ab haereticis passi sunt.

Frater Emmanuel ab Assumptione, Lusitanus, sacrae Theologiae Lector, ac Prior Eborensis, typis tradidit sermone patrio Viridarium sacrum de B. Maria Virgine in quatuor partes distinctum, anno 1736. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Emmanuel ab Assumptione, Lusitanus, diversus ab alio, fuit rector missionis S. Nicolai de Tolentino in Regno Bengalae, ubi incolarum linguam ita didicit, ut catechismum doctrinae christianae per modum dialogi indico sermone conscriptum typis evulgarit Ulyssipone anno 1743. Laudatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Emmanuel Cabral, Lusitanus, unus fuit e praecipuis suae aetatis theologis. Anno 1612 erat Lusitaniae provincialis. Decessit anno 1641 aetatis suae 86. Reliquit M. SS. plures tractatus theologicos. Commendatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Emmanuel Caldeira, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, inter viros suae aetatis eruditiores adnumeratus fuit. Suae Provinciae primatum obtinuit. Fatis concessit Ulyssipone anno 1662. Laudatur a Georgio Cardoso, atque a Didaco Barbosa Machado. Reliquit M. SS. I. *Catalogum virorum illustrium Ordinis nostri, qui suo tempore florebant.* 2. *De Sacramentis in genere* 3. *De contractibus.*

Digitized by Google

Frater Emmanuel de Durango, Hispanus, vir pietate ac doctrina conspicuus, anno 1655 typis evulgavit librum hispanicum sub titulo *Vida del cielo en esta vida mortal.* Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, atque a Christiano Jocher.

Frater Emmanuel Leal, Lusitanus, dicitur ab Ossinger vir variarum artium notitia clarus, qui magna scientiae historicae laude floruit. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, Georgio Cardoso, et Christiano Jocher. Per praelum publici juris fecit anno 1674 librum sermone patrio exaratum de successione continuata Ordinis nostri a S. P. Augustino.

Frater Emmanuel de Lima, Lusitanus, vir fuit Rethoricae admodum peritus, atque concionandi arte excellens. Cursum suae peregrinationis complevit anno 1728. Mentionem de illo facit Didacus Barbosa Machado. Scripsit sermone patrio, typisque mandavit: I. *Ideas sacras*, *tom.* 2. 2. *Varios sermones panegyricos.* 3. *Politicam religiosam, seu literas patris ad filium, qui vult fieri religiosus.*

Frater Emmanuel Pacheco, Lusitanus, anno 1663 publici juris per praelum fecit librum patrio sermone exaratum sub titulo: *Thesaurus peccatorum, sive zona S. P. Augustini.*

Frater Emmanuel Pousam, Lusitanus, laudatur tamquam egregius Musicae magister, quem propterea Joannes IV insignis musicorum mecoenas magnopere existimavit. Claruit etiam singulari vitae integritate, atque religiosae observantiae zelo; quapropter novitiorum institutor creatus fuit. Decessit Ulyssipone anno 1683, aetatis suae 90. Commendatur a Didaco Barbosa Machado. Reliquit I. *Librum passionum, et eorum, quae a Dominica Palmarum usque ad Sabbatum Sanctum cantari solent, imp. Lugduni anno* 1676. 2. *Missam defunctorum, et alia ad Musicam pertinentia.*

Frater Emmanuel Quevedo, Hispanus, prior Conventus Madrigalensis, et rector regalis collegii Complutensis,

Digitized by Google

anno 1727 typis evulgavit hispanice librum de origine Confraternitatis Cincturatorum.

Frater Emmanuel a Resurrectione, Lusitanus, vir fuit magnae eruditionis historicae, qui circa finem saeculi decimi septimi cum Romae moraretur elegans opus concinnavit, cui titulus: *Elenchus Cardinaliun Portugalliae.* Nominatur a Gerardo Ernesto de Franckenau in bibl. Hispanica.

Frater Emmanuel Rodriguez, Hispanus, fuit insignis poeta, atque Antuerpiae publicus poeticae artis professor. A Jo. Francisco Foppens dicitur scholarum Antuerpiensium Praefectus, atque Poeseos, et melioris litteraturae cognitione excellens. Floruit saeculo 17. Per praelum publici juris fecit: I. Dramma tragicum de infanticidio sub titulo: *Herodes saeviens.* 2. Comoediam cui titulus: *Rodericus fatalis, idest de infelicitate Rodemysticorum, sive labyrinthus cryptographicus, quo sibi mutuo ejus artis periti occultos animi sui conceptus per literas omni suspicione carentes multifariam, tute, secrete, atque fideliter significare possunt, imp. anno* 1639.

Frater Emmanuel a S. Josepho, Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, humanioribus litteris ac Poesi excelluit, fuitque eloquentissimus verbi Dei praeco. Quamobrem ex Angrae priore in suum concionatorem a Philippo IV Hispaniarum Rege assumptus fuit anno 1655. Reliquit M. SS. tractatum de juramento, aliquem sermonem de B. Maria Virgine, et quaedam poetica, quae habentur inter opera poetarum Lusitanorum impressa per Josephum Lopez Ferreira Ulyssipone anno 1716.

Frater Emmanuel a SS. Trinitate, Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit in quo pietas cum doctrina concertavit. A nostrate Ossinger dicitur Prior Eborensis, Qualificator S. Officii, et Consultor Bullae Cruciatae. Sermone patrio scripsit, praeloque tradidit novendia S. P.

Digitized by Google

Augustini et S. Matris Monicae. Florebat anno 1740. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Erasmus Liebre, Bohemus, sacrae Theologiae Baccalaureus, laudatur insignis concionatoris nomine, quippe qui mira eloquentia praestabat. Vivis defuit anno 1725. Praelo tradidit conciones in Dominicas totius anni idiomate germanico conscriptas.

Frater Eugenius Fabrinus, Pisaurensis, sacrae Theologiae Magister, fuit Regens Romanus, Marchiae Anconitanae Provincialis, atque Guidonis Ferrerii Vercellensis Cardinalis theologus. Interfuit Concilio Tridentino, in quo sua eloquentia, atque perorandi gratia prae caeteris sacris oratoribus refulsit. Testis est ejus oratio habita ad Patres Dominica tertia Adventus anno 1561, quae impressa est Brixiae anno 1563, et in actibus ejusdem Concilii. Item durante Concilio, uti refert ex Pamphilo Ossinger, quadragesimales conciones ad populum habuit celeberrimas, et gratissimas. Anno 1575 a Gregorio XIII Episcopus Smirnensis, ac Veliternorum Pro-Praesul creatus fuit. Obiit Velitris anno 1580. Praeter laudatam orationem reliquit alia ingenii sui monumenta M. SS. uti notat noster Gandolphus.

Frater Eusebius Herrera, Hispanus, dicitur ab Ossinger perfectus philosophus, et insignis theologus. Anno 1623 praelo subjecit decisiones morales de statu religionis lingua hispanica exaratas. Mentionem de illo faciunt Nicolaus Antonius Hispalensis, et Christianus Jocher

Frater Augustinus a Gratia, origine Lusitanus, sed patria Goensis, alumnus Vicariatus ejusdem nominis, vir fuit litteris, ac pietate conspicuus, ut ejus scripta testantur; nam plura opuscula ascetica Lusitano idiomate exarata praelo tradidit, nimirum *Speculum devotionis pro singulis diebus*, item *Manuale devotionis*, atque *caeremoniale alphabeticum de cultu divino, Missis, processionibus, etc.* Florebat anno 1728. Memoratur a Didaco Barbosa Machado.

Digitized by Google

Frater Felix a Jesu, Lusitanus, post emissam in Lusitania professionem ad orientales Indias profectus fuit, ibique, ut ait Ossinger, totum se investigandis notitiis sui Ordinis sacravit, quare multorum annorum labore confecit opus Mss. patrio sermone exaratum, cui titulus: *Chronica de origine et progressu Augustinianae Congregationis Indiarum ab anno* 1572 *usque ad* 1637. Hanc mortalem vitam finivit in conventu Goano anno 1640. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Ferdinandus Keller, Metelburgensis, excellens poeta et rhetor, atque insignis extemporaneus concionator, postquam in vinea Domini cum ingenti animarum foenore strenue laborasset, non sine perspicuis sanctitatis signis ex hac vita migravit anno 1735 aetatis suae 40. Reliquit Mss. librum concionum in omnes anni Dominicas. Laudatur a nostrate Antonino Hohn in chronologia Provinciae Rheno-Svevicae.

Frater Ferdinandus Bezera, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir doctus, sapiens, et clarus ingenio. Fuit Prior in insulis Philippinis. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Florebat saeculo 17. Typis evulgavit hispanice vitam et mortem BB. MM. Ferdinandi de S. Josepho et Nicolai Melo Ordinis nostri. Reliquit etiam Mss. historiam martyrii nostri V. Petri de Zuniga, qui passus est in Japonia anno 1622.

Frater Ferdinandus Dorfner, Bavarus, fuit concionator eruditus, atque mirabilis eloquentiae. Plures in sua Provincia prioratus gessit. Mortalem vestem exuit anno 1719. Per praelum ad posteros transmisit octo orationes panegyricas sermone germanico conscriptas.

Frater Ferdinandus de Valverde, Hispanus, alumnus Provinciae Peruanae, sacrae Theologiae Magister, atque in Limensi Universitate S. Scripturae interpres, vir fuit divinis, humanisque litteris egregie excultus. Florebat saeculo 17.

Digitized by Google

Mentionem de illo faciunt Nicolaus Antonius Hispalensis, Aegidius Davila, Hippolytus Marraccius, Christianus Jocher, et alii externi. Posteris reliquit: *Poema heroicum de Sanctuario Dominae nostrae de Copacabana in Regno Peruano celeberrimo, imp. hispanice anno* 1641. 2. *Vitam Christi item imp. hispanice* 1657. 3. *Volumen de Trinitate, et alia.*

Frater Fidelis Gottelli, Genuensis, sacrae Theologiae Magister, et celebris sua aetate concionator, pluries fuit Provincialis. Anno 1675 typis evulgavit volumina duo sermonum italicorum, unum de passione Christi, et alterum de Matris Virginis dolore. Item anno 1677 aliud volumen sermonum praelo tradidit sub titulo: *Le afflizioni de' moribondi*. Nominatur ab Augustino Oldoino in Athenaeo Ligustico.

Frater Franciscus de Acosta, Hispanus, vir rarae et exquisitae eruditionis, typis evulgavit hispanice anno 1648 vitam prodigiosam et heroicas virtutes V. Mariae de Jesu carmelitae excalceatae. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi in bibl. hispanica.

Frater Franciscus de Azevedo, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, atque in eadem Universitate S. Scripturae professor, fuit etiam suae aetatis poeta celebris. Ad meliorem vitam transivit anno 1680. Memoratur a Didaco Barbosa Machado. Reliquit librum epigrammatum, quem propria manu scripsit. Ita Ossinger.

Frater Franciscus Baptista, Lusitanus, annos suos impendit addiscendae Musicae, in qua celeberrimum Antonium Pinheiro instructorem, et magistrum habuit, atque in hac arte tantos fecit progressus, ut multa opera composuerit, quae in bibliotheca regia sunt, et in indice Ulyssipone per Petrum Craesbeeck 1649 impresso inveniri possunt. Ita Ossinger. Florebat saeculo 17. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Franciscus Borzonus, Genuensis, vir integerrimae vitae, et magnae pietatis, ad excitandam fidelium de-

Digitized by Google

votionem composuit italice, typisque mandavit anno 1666 vitam S. Defendentis martyris ex legione Tebaeorum. Mentionem de illo faciunt Jo. Maria Mazzuchellius, Augustinus Oldoinus, et Christianus Jocher.

Frater Franciscus Brandam, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, dicitur ab Ossinger vir tenacissimae memoriae, acuti ingenii, linguae latinae peritissimus, et in SS. Patribus versatissimus, qui multos annos in frequentibus missionibus peragendis consumpsit. Memoratur a Didaco Barbosa Machado. Anno 1634 typis mandavit libellum sermone patrio exaratum ad promovendum SS. Cordis Jesu cultum.

Frater Franciscus de Brito, Lusitanus, Prior Ulyssiponensis, claruit insignis concionatoris fama. Ex hac vita migravit anno 1726. Laudatur a Didaco Barbosa Machado. Praelo tradidit varias orationes funebres et panegyricas patrio sermone conscriptas, atque novendium in honorem SS. Trinitatis.

Frater Franciscus de Carvalho, Lusitanus, fuit insignis theologus, qui Scripturas atque SS. Patres optime callebat. Postrema ejus vitae dies fuit 25 Maji 1703. Nominatur a Didaco Barbosa Machado. Reliquit Mss. varios tractatus theologicos, nimirum de Deo uno, et trino, de Incarnatione, praedestinatione, etc.

Frater Franciscus Cabrera, Hispanus, vir sacris profanisque litteris egregie doctus, Poesim tam latinam quam vernaculam feliciter exercuit, ut ait Ossinger, atque in studio genealogico ante omnes eluxit, cujus rei variarum illustrium familiarum stemmata, et iconismi testimonium praebuerunt. Ivit illuc quo priores abierunt anno 1649. Praelo subjecit librum hispanice exaratum, cui titulus: *Remedia spiritualia, et temporalia contra pestem.* Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi, Henningo Witte, Christiano Jocher, aliisque externis.

Digitized by Google

Frater Franciscus de Castanneda, Hispanus, concionator suae aetatis praecipuus, florebat saeculo 17. Loquuntur de illo Nicolaus Antonius Hispalensis, Petrus de Alva, et Christianus Jocher. Scripsit hispanice, praeloque tradidit: I. *Tractatus super Evangelia Dominicarum, et festa Sanctorum.* 2. *De Adventu, et Paschate.* 3. *De purissima Conceptione B. Mariae Virginis.*

Frater Franciscus Coronel, Hispanus, Alumnus Provinciae Insularum Philippinarum, insignis fuit missionarius, qui in convertendis infidelibus magnum zelum ostendit. Scripsit idiomate Pampango, praeloque subjecit catechismum doctrinae christianae. Florebat saeculo 17. Mentionem de illo faciunt Nicolaus Antonius Hispalensis, et Christianus Jocher.

Frater Franciscus de Corte, Belga, vir historica eruditione commendabilis, typis edidit Antuerpiae: I. *Vitam S. Nicolai de Tolentino cum descriptione sanguinis ex ejusdem brachiis exorti.* 2. *Syntagma de annulis.* Florebat anno 1706. Laudatur a nostratibus Tombeur, et Ossinger.

Frater Franciscus de Ganie, Hispanus, doctrinam cum pietate conjunxit. Anno 1687 hispanice typis evulgavit vitam B. Ritae de Cascia.

Frater Franciscus Hontiveros, Hispanus, rector Collegii Complutensis, dicitur ab Ossinger vir incomparabilis ingenii, divina, humanaque sapientia clarissimus et mirifica perorandi, docendique facultate commendabilis. Anno 1663 typis evulgavit hispanice conceptus praedicabiles politicos, et morales etc. Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Franciscus Laurentius, Pistoriensis, sacrae Theologiae Doctor, atque Bononiae ad S. Jacobum studiorum Regens, anno 1649 typis evulgavit latine: I. *Cursum philosophicum ad sententiam fundatissimi Aegidii Columnae Ord. Erem. S. P. Augustini resolutum.* 1. *Argenteas columnas fer-*

Digitized by Google

culum veri Salomonis Christi Domini fulcientes, id est encomia SS. Petri et Pauli, atque fundatorum Ordinum religiosorum, 1646. 3. *Flores geniales scholasticos, morales, politicos etc. idest varia hujusmodi dubia resoluta.*

Frater Franciscus Maria Ferragatta, Pedemontanus, sacrae Theologiae Magister, et Ordinis Secretarius, dicitur ab Ossinger in Scripturis sacris egregie eruditus, et concionator celeberrimus. Laudatur ab Andrea Rossoto in Syllabo scriptorum Pedemontanorum, necnon a Christiano Jocher. Typis evulgavit italice varias orationes panegyricas, necnon discursum academicum de siti Christi. Floruit saeculo 17.

Frater Franciscus Nunnez de Avendano, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, atque publicus in Academia Tarraconensi, et Valentina artium professor, claruit potissimum philosophicarum rerum scientia. Vixit saeculo 17. Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi. Scripsit *Compositionem totius artis dialecticae.*

Frater Franciscus Pauwens, Belga, sacrae Theologiae Doctor, multos annos Lovanii cathedram theologicam rexit. Praeterea fuit Prior Bruxellensis. Cessit vita anno 1725. Praeter varias theses typis evulgavit binas orationes funebres.

Frater Franciscus Pereira, Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, tantae extitit eloquentiae, ut Paulus V Pontifex Maximus eum concionatorem sibi elegerit. Anno 1602 erat apud Ordinem Assistens generalis, et 1609 Lusitaniae Provincialis. Fuit etiam Episcopus Mirandensis, ac deinde Lamecensis in Lusitania. Decessit anno 1621. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi. In lucem emisit tractatum de rebus ab Augustinianis in Oriente gestis.

Frater Franciscus de Ribera, Hispanus, ab alio diversus, alumnus regii coenobii S. Philippi Matritensis, et sacrae Theologiae Doctor, anno 1684 praelo mandavit vitam S. P. Augustini hispanice exaratam.

Digitized by Google

Frater Franciscus de S. Maria, Lusitanus, ab Emmanuele de Souza apud Ossinger laudato hisce iisdem verbis describitur: *Vir doctissimus utpote qui est totius antiquitatis ecclesiasticae peritissimus, ut praeteream romani sermonis, latinaeque poeseos elegantiam, et ubertatem, qua mirifice praestat.* Anno 1728 erat rector Collegii Conimbricensis, et 1740 suam Provinciam regebat. Memoratur etiam a Didaco Barbosa Machado. Praelo tradidit quosdam sermones patrio idiomate conscriptos, necnon quaedam epigrammata, et alios versus latinos, multaque reliquit manuscripta, quae notantur apud nostratem Ossinger.

Frater Franciscus de Terranova, Calaber, sacrae Theologiae Magister, anno 1658 scripsit: I. Tomum unum in duos libros distinctum, cui titulus: *Brevis et ampla methodus pro morbis humani corporis in particulari curandis, imp.* 2. Poema heroicum in duodecim cantus distinctum, cui titulus: *Victoria navalis.* 3. *Considerationes in Symbolum Apostolorum, et alia.* De illo mentionem faciunt Nicolaus Toppius et Christianus Jocher.

Frater Franciscus Sequeyros, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, Catholicae Majestatis Caroli II. concionator, atque in Complutensi Universitate cathedrae D. Thomae moderator, anno 1683 praelo submisit librum latinum cui titulus: *Eurythimia Pontificalis adversus Euroclydam Cleri gallicani de ecclesiastica potestate declarationem, simulque dissertatio super Cap.* Unam Sanctam etc. *utrum Summus Pontifex tamquam Christi Vicarius omnibus et in omnibus, sive temporalibus, sive spiritualibus dominetur, et praesit.*

Frater Franciscus Vinckels, Belga, vir nobilibus moribus, ac vivaci subtilique ingenio ornatus, nobis reliquit libellum cui titulus: *Simia Dei.* Ita fere Ossinger. Floruit saeculo 17.

Frater Franciscus Westermayr, Bavarus, sacrae Theologiae Magister, bis coenobium Monachiense, atque bis etiam

Digitized by Google

totam Bavariae Provinciam moderatus fuit. Apoplexi de medio sublatus fuit anno 1751. Transtulit in germanicum idioma vitam S. Nicolai de Tolentino a nostro Petro de Bretagne gallice descriptam. Haec versio typis edita fuit anno 1724.

Frater Fulgentius Alghisius, Pedemontanus, alumnus Provinciae Insubricae, fuit insignis theologus, et concionator. Nominatur etiam a Christiano Jocher. Typis evulgavit italice vitam S. Nicolai de Tolentino anno 1647.

Frater Fulgentius de Arienzo, Neapolitanus, fuit rhetor egregius, atque rara eloquentia ornatus. Ingenii sui, atque artis rhetoricae exemplum reliquit orationem de Verbi Dei incarnatione impressam anno 1723. Mentionem de illo faciunt Jo. Maria Mazzuchellius, et Nicolaus Toppius.

Frater Fulgentius de Cacamo, Siculus, alumnus Congregationis Centorbiensis, quam multo tempore Vicarii generalis nomine administravit, vir fuit doctrina atque pietate spectabilis. Reliquit summarium vitae V. Andreae de Castro Joannis fundatoris praefatae Congregationis, qui ad Superos evolavit anno 1627. Opus italicum typis editum anno 1677 cura et studio P. Caroli de Regalbuto ejusdem Congregationis Vicarii generalis. Commendatur ab Antonio Mongitor in bibliotheca Sicula.

Frater Fulgentius la Fosse, Gallus, vir theologicis, aliisque disciplinis impense eruditus, anno 1672 praelo tradidit Theologiam secundum genium S. P. Augustini in tribus tomulis. Laudatur a nostrate Ossinger.

Frater Fulgentius del Giudice, Salernitanus, sacrae Theologiae Magister, fuit celebris concionator, et vir valde studio addictus; quare tantum nomen sibi comparavit, ut plures ei Episcopatus oblati fuerint, quos tamen ipse admittere noluit. Scripsit, teste Nicolao Toppio, tomos duos de rebus philosophicis, et tres super doctrina nostri Aegidii Columnae.

Digitized by Google

Frater Fulgentius Jordan, Hibernus, vir ad miraculum eloquens, non invitus in catenas detrahitur e suggestu. Jussus aut fidem, aut vitam abjicere, cervicem securi, securius caput coronae obtulit. Ex Sanguinea Eremo martyrum Hiberniae Ord. S. P. Augustini.

Frater Fulgentius Passaretti, Neapolitanus, Prior S. Joannis ad Carbonariam, Notarius Apostolicus, atque in Regno Neapolitano S. Inquisitioni addictus, vir fuit magnae eruditionis, qui saeculo 17 florebat. Mentionem de illo faciunt Nicolaus Toppius, et Antonius Teissier. Reliquit M. SS. I. *Librum cui titulus*: Chronistoria Carbonaria, *in qua agit de sua S. Joannis ad Carbonariam Congregatione*. 2. *Tractatum pro examine confessariorum*. 3. *Tractatum contra lusores*. 4. *Miscellanea, et alia*.

Frater Fulgentius Schautbeet, Belga, dicitur ab Ossinger vir praestanti pollens ingenio, et in philosopbicis atque theologicis litteris perfecte versatus. Huic saeculo valedixit anno 1701. Praelo mandavit: I. *Philosophiam, seu controversias philosophicas inter scholasticorum principes D. Thomam, Scotum, et nostratem Gregorium Ariminensem* 2. *Primam partem Theologiae ad difficiliores quaestiones contractae* 3. *Tria opuscula, quorum primum praescribit modum tuendi sanitatem, secundum antidotum contra linguae vitia, et tertii titulus est:* Miles christianus.

Frater Gabriel Augustinus de Rius, Hispanus, religiosus, ut ait Ossinger, non minus virtutibus, quam scientiis, praesertim theologicis praestans, atque in Tarraconensi Metropolitana professor theologus, anno 1646 typis evulgavit hispanice *Speculum Catalauniae*, in quo ad tollendos rebellionis praetextus Philippi IV Regis perpetuum in Catalauniae Principatum dominium confirmat. Fuit etiam totius Aragonensis Provinciae judex censorius. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, atque a Christiano Jocher.

Digitized by Google

Frater Gabriel Foschi, Anconitanus, sacrae Theologiae Magister, amoenarum litterarum notitia claruit, ac praesertim eloquentia pergami. Fuit variarum Academiarum socius, atque praeceptor et amicus nostratis celebratissimi Angelici Aprosii. Honestabatur etiam amicitia litteratorum sui temporis. Apud Ordinem Secretarii munus obivit. A nostrate Gandolpho laudatur in suis Floribus poeticis quippe qui etiam Poesis peritia excelluit. Inter vivos degebat anno 1650. Reliquit disputationes in quatuor libros Mag. Sent. ad mentem nostratis Aegidii Columnae, et volumen unum orationum panegyricarum.

Frater Gabriel Metermans, Belga, vir ingeniosus, doctus, ac pietate conspicuus, in lucem emisit vitam S. Thomae de Villanova. Florebat saeculo 17. Ex nostrate Ossinger.

Frater Gabriel de Morales, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir solidae doctrinae, multiplicis eruditionis, et spectatae pietatis. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, Hippolyto Marraccio, et Petro de Alva. Typis edidit hispanice: 1. *Visitationem generalem Regis supremi Domini in omnes suos subditos rationales.* 2. *De immaculata Virginis Conceptione.* 3. *Horologium excitatorium animae fidelis, seu divisionem horarum diei, et noctis in exercitia spiritualia.* 4. *Sermones de passione Domini, et alia.* Florebat post medietatem saeculi 17.

Frater Gaspar de Amorim, Lusitanus, vir doctrina ac pietate commendabilis, fuit Vicarius generalis Provinciae Indiarum Orientalium, atque in illis regionibus S. Inquisitionis Deputatus. Mundo perpetuo valedixit anno 1646. Celebratur a Didaco Barbosa Machado. Per praelum publici juris fecit tres orationes varii argumenti sermone patrio exaratas.

Frater Gaspar a S. Francisco, Hispanus, vir magnae erga Deiparam devotionis, anno 1618 typis evulgavit sermonem

Digitized by Google

de pura et immaculata ejusdem Conceptione. Nominatur etiam ab Hippolyto Marraccio, atque Petro de Alva.

Frater Gaspar Manzebon, Hispanus, uti refert Nicolaus Antonius Hispalensis, scripsit hispanice: 1. *Vitam V. Melchioris de Arazil, qui in eodem Valentino çoenobio intra annum probationis decessit vitae sanctitate insignis.* 2. *Vitam nostratis B. Joannae Guillen, imp.* Obiit Majoricae anno 1625. Ab Ossinger dicitur patria Oriolensis, alumnus Provinciae Aragoniae, filius coenobii Valentini, atque vir a doctrina, et virtutibus mediocriter laudandus. Laudatur etiam a nostratibus Thoma Herrera, Philippo Elssio, et aliis.

Frater Gaspar Martinez, Hispanus, anno 1707 patrio sermone exaravit, praeloque tradidit librum cui titulus: *Trentenario de S. Augustin con un breve compendio de la fundacion del conbento de Caller etc.*

Frater Gaspar Paganus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in variis suae Religionis Academiis sacram Theologiam summa cum laude professus est. Verbi Dei declamator quoque eximius evasit. Dum Romanam Provinciam pro suo Ordine moderabatur, in Urbis Areopago cathedram S. Scripturae anno sexto ultra millesimum sexcentesimum consequutus fuit. Reliquit concionum celeberrimarum volumen. Ita Prosper Mandosius in Bibliotheca Romana.

Frater Gaspar de los Reyes, Hispanus, visu oculorum orbus, sed ingenio admodum perspicax, musicus ac poeta non vulgaris, atque felicissima memoria praeditus, floruit saeculo 17. Typis evulgavit hispanice: 1. *Thesaurum conceptuum divinorum* 2. *Poema de Christi passione.* Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Georgius Rues, Germanus, alumnus Provinciae Austriae, et sacrae Theologiae Doctor Viennensis, fuit in eadem civitate ter Augustiniani coenobii Prior, et publicus Theologiae professor, necnon semel suae Provinciae moderator, atque insuper S. Inquisitionis Hispaniarum consultor,

Digitized by Google

et qualificator. Ad peregrinationis suae terminum pervenit anno 1748. Praelo tradidit quasdam resolutiones collectas ex libris nostratis Aegidii Columnae.

Frater Georgius Salomons, Belga, sacrae Theologiae Bacc. et ejusdem facultatis professor, vir doctus ac eruditus anno 1700 flandrice typis evulgavit vitam S. Hilduardi patroni urbis Teneramontanae.

Frater Gerardus Fenell, Hibernus, Salamanticae nostro Ordini nomen dedit. Postea in Hiberniam profectus fuit, fidem calamo lingua, ac pectore propugnaturus. Ast ab haereticis in carcerem conjectus, ibidem post biennium extremum diem obiit. Ex Sanguinea Eremo.

Frater Gerardus Melyn, Belga, vir eloquentia, variisque scientiis clarus, qui florebat circa annum 1730, praelo subjecit tres orationes in variis occasionibus recitatas.

Frater Germanus Cortade, sacrae Theologiae Doctor, vir fuit in Gallia inter concionatores sui aevi fere primus, et cultu, ac devotione erga Deiparam nulli secundus. Typis evulgavit gallice: I. *Mariale, seu orationes panegyricas pro omnibus festivitatibus B. Mariae Virginis.* 2. *Item orationes panegyricas de variis Sanctis.* Florebat anno 1668.

Frater Gregorius Schoonerts, Belga, sacrae Theologiae Licentiatus, vir humanis, divinisque litteris instructus typis edidit anno 1719: *Examen confessariorum per universam Theologiam moralem facillima methodo deductum.*

Frater Guilelmus Anselmi, e Montefalco, S. Theologiae Magister, anno 1609 typis evulgavit librum italice exaratum, in quo habentur quinque conciones de virtutibus suae conterraneae B. Clarae de Montefalco. Nominatur etiam a Jacobillo, Mazzuchellio, atque Marraccio.

Frater Guilelmus Comerfort, Hibernus, post foedi ergastuli perpessionem e patria propter fidem ejectus, carceris squallore debilitatus, in Hispania martyr occubuit. Ex Sanguinea Eremo.

Digitized by Google

Frater Guilelmus Curnyn, Hibernus, vir modestia, innocentia, ac singulari morum candore praeditus, quamvis veneranda canities omnem illi reverentiam exposceret, tamen ab haereticis propter fidem e patria exulare coactus fuit. Ex praefata Sanguinea Eremo.

Frater Guilelmus Molavil, Hibernus, celebris verbi Dei praeco, multas calamitates propter fidem ab haereticis perpessus, tandem in Domino requievit. Ex eadem Sanguinea Eremo.

Frater Guilelmus Tasselon, Bruxellensis, sacrae Theologiae Doctor Lovaniensis, dicitur ab Ossinger vir praestantia ingenii paucis aequandus, et in enodandis quaestionibus scholasticis longe acutissimus. Obiit Bergomi a Capitulo generali redux anno 1649. Laudatur etiam a Jo. Francisco Foppens. Typis edidit: I. *Theologiam Augustinianam, sive conclusiones theologicas de Deo uno et trino, angelis et primo homine.* 2. *Conclusiones e Theologia universa.*

Frater Guilelmus Vertechius, Fulginas, sacrae Theologiae Magister, vir Theologiae ac Philosophiae scientia, teste Ossinger, necnon sacris litteris egregie instructus, bis electus fuit Procurator generalis, nempe anno 1608, et 1620. Fuit etiam in Romana Sapientia publicus Sacrae Scripturae expositor. Res humanas deseruit anno 1623. Laudatur a Ludovico Jacobillo, et Christiano Jocher. Edidit conclusiones, doctas orationes, et varia opuscula.

Frater Gundisalvus de Salazar, Hispanus, celebris fuit Episcopus Jucatan in Mexico, (1608) qui in illis regionibus viginti millia idolorum destruxit, atque quindecim hominum millia ad Christum convertit. Ex Encyclopedia ecclesiastica, quae nunc editur Venetiis italico sermone ad verbum Jucatan.

Frater Henricus Canisius, Belga, sacrae Theologiae Doctor, fuit excellens sui temporis concionator, qui divinarum litterarum peritiam cum caeteris scientiis conjunxit.

Digitized by Google

Florebat anno 1685. Typis edidit: I. *Librum concionum latinarum, cui titulus:* Pax et charitas. 2. *Manipulum orationum.* Celebratur a nostrate Ossinger.

Frater Henricus de Mendoza, nobilis Hispanus, sacrae Theologiae Magister, florebat saeculo decimo septimo. Praelo subjecit librum hispanice exaratum, cujus titulus: *Privatus Christianus.* Commendatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christianus Jocher.

Frater Hermannus Schmauchler, Hungarus, fuit poeta celebris, et rhetor egregius. Officium concionatoris, et parochi aliquandiu exercuit. Fatis concessit anno 1740. Typis inter alia evulgavit: *Poema cui titulus:* Omne trinum perfectum, triplex nimirum gloria Augustissimi Caroli Hispanorum, Pannonumque tertii, Romanorum vero sexti Monarchae etc.

Frater Hiacynthus de Brito, Lusitanus, vixit saeculo 17. Reliquit M. SS. I. *Tractatum de visione beatifica* 2. *Tractatum de Trinitate.* Memoratur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Hieronymus Ebenaver, Bohemus, sacrae Theologiae Doctor, atque in Pragensi Athenaeo ejusdem facultatis professor, sacrarum litterarum eruditione potissimum claruit. Dicitur ab Ossinger Bohemiae Proceribus acceptissimus fuisse. Decessit anno 1694, postquam tum Prioris, tum Provincialis munera exercuisset. Praelo tradidit Theologiam scholasticam in discursus 50 distributam. Consule nostratem Ossinger.

Frater Hieronimus de Gratis, Augustinianus Congr. Insubriae, theologus et concionator perquam egregius, vivebat anno 1611. Ita Franciscus Arisius in Cremona literata tom. 3. pag. 97. Praelo tradidit opusculum cui titulus: *Scala del Paradiso per le anime divote, desiderose di salire a quella patria con brevità.*

Frater Nicolaus Ceppi, Romanus, sacrae Theologiae Magister, ex Assistens generalis, claruit peculiari erga D.

Digitized by Google

Nicolaum Tolentinatem devotione. Typis edidit italice: 1. *De sanguine prodigioso S. Nicolai de Tolentino.* 2. *De tercentis et uno miraculis ejusdem.* 3. *Stimulos Mabillonios ad excitandos religiosos ad studia.* 4. *Scholam Mabilloniam, in qua agitur de studiis, quae ecclesiasticis convenire possunt.* 5. *Epitomem Logicae.* Florebat anno 1725.

Frater Hieronymus Nicolius, Romanus, sacrae Theologiae Lector, et in Romana Curia suae Insubricae Congregationis Procurator generalis, necnon Ecclesiae nostrae S. Mariae de Populo Parochus, vir fuit, ut ait Ossinger, in utroque jure clarissimus. Florebat anno 1700. Typis evulgavit: 1. *Lucubrationes utriusque juris ad theoriam et praxim quatuor librorum institutionum moralium conformes, in duos tomos distributas.* 2. *Flosculos, sive notabilia practica ex utroque jure, probatisque auctoribus, ac theoriae praesertim fontibus libata ad juridicam praxim in unum collecta, et methodo alphabetica disposita.* Vide praefatum Ossinger.

Frater Hippolytus Bonavoglia, de Bario, anno 1651 praelo tradidit vitam S. Nicolai de Tolentino anagrammatibus contextam. Memoratur a Nicolao Toppio.

Frater Jacobus Alberici Bergomensis, dicitur ab Ossinger vir historicis et aliis litteris suo tempore egregius. Apud suam Insubricam Congregationem fuit variorum coenobiorum Prior, postea Procurator generalis, ac demum Vicarius item generalis. Debitum naturae persolvit anno 1610. Mentionem de illo faciunt Henningus Witte, Jo. Maria Mazzuchellius, Hippolytus Marraccius, Christianus Jocher, aliisque externi. Typis edidit italice: 1. *Catalogum brevem illustrium Venetorum scriptorum.* 2. *Monita ad peregrinos, qui cupiunt visitare loca sancta.* 3. *Vitam B. Clarae de Montefalco.* 4. *Historiam SS. Virginis Mariae de Populo in alma urbe Romae latine.* 5. *Vitam S. Nicolai de Tolentino a nostrate Ambrosio Frigerio editam auxit, et illustravit.* 6. *Quadragesimale nostri Ludovici Barile reimprimi curavit.*

Digitized by Google

Frater Jacobus Fiorelli, Venetus, sacrae Theologiae Magister, et Provincialis, anno 1672 praelo mandavit librum cui titulus: *Detti, e fatti memorabili del Senato, e Patrizi Veneti*. Habentur etiam binae illius epistolae italicae ad Antonium Magliabechium.

Frater Jacobus Bollinus, Mediolanensis, sacrae Theologiae Magister, dicitur a Philippo Argelati vir eximiae majestatis, et venerationis, ingentis animi, et maximae auctoritatis. Prior fuit patrii coenobii S. Marci. Mortalis vitae cursum complevit anno 1610. Scripsit: I. *Tractatum de anima*. 2. *De elementorum formis*.

Frater Jacobus van Bossuit, Belga, sacrae Theologiae Doctor Lovaniensis, dicitur ab Ossinger vir tum divinis, tum humanis disciplinis perpolitus. Fuit Provincialis, et Praefectus Apostolicus Missionis Hollandicae. Adhuc inter vivos degebat anno 1727. Praelo mandavit Theologiam moralem duobus tomulis contentam.

Frater Jacobus Ferrer, Hispanus, latine scripsit vitam, atque traduxit conciones quadragesimales nostratis V. Augustini Antonii Pasqual, quae typis mandavit cum aliquot additionibus Joannes Facundus Clemente sacrae Theologiae Magister anno 1744.

Frater Jacobus Fulles, Germanus, in Coloniensi Universitate sacrae Theologiae professor, vocatur ab Ossinger vir magnae auctoritatis, sapientiae, et doctrinae. Suae Coloniensis Provinciae clavum tenuit. Fatis concessit anno 1730. Correxit praeloque tradidit Summam casuum conscientiae P. Samuelis de Sublino Ordinis Praedicatorum.

Frater Jacobus Talbot, Hibernus, equitis aurati filius, gentilitium illud aurum pulcherrimis gemmis, hoc est virtutibus, exornavit. Ob virtutes eximias, supremo Catholicorum consilio, is unus visus fuit, qui subsidiarias undique Fidei et Regno copias conscriberet. Copioso exinde commeatu, integro belli apparatu, novaque classis mole compa-

Digitized by Google

ratis, labore extinctus fuit, unica tunc redeuntis et quasi reviviscentis spes Regni, longiori dignior vita. Ex praefata Sanguinea Eremo.

Frater Jacobus Willemaert, Belga, sacrae Theologiae Bacc. fuit sui temporis excellens concionator, qui suam eruditionem posteris etiam ostendit in sequentibus lucubrationibus, quas typis mandavit. Florebat anno 1685. Praelo itaque subjecit: 1. *Historiam sacram B. Mariae de Regula.* 2. *Lectiones evangelicas in Dominicas, et ferias Quadragesimae cum meditationibus in passionem Domini, et sermonibus paschalibus.*

Frater Jacobus Zevecotius, Gandensis, jurisconsultus, et poeta laureatus, juvenis in patria studiorum suorum initia fecit, et ingenii, ac judicii praecocitate pares inter excelluit. Lovanii data Philosophiae, ac Jurisprudentiae opera, statumque vitae religiosum in Ordine S. Augustini amplexus, composuit tunc varii argumenti poemata, semel iterumque cum multorum applausu, et citra noxam Religionis orthodoxae in lucem edita, nimirum tragoedias duas, *Mariam graecam, et Rosimundam*, tragicomoediam *Esther*, elegiarum lib. 3, et silvarum librum singularem. Romam anno 1624 profectus, cum non ex animi sui sententia iter successisset, in reditu deflexit ad Batavos, factus excucullatus etc. Ex Francisco Foppens.

Frater Ignatius Albertus Swerts, Belga, sacrae Theologiae Doctor Lovaniensis, philosophus, et theologus primae notae, uti eum vocat Ossinger, florebat saeculo 18. Typis evulgavit anno 1732 Synopsim quaestionum theologicarum in sacrae Theologiae prolegomena, et primam partem Summae D. Thomae.

Frater Ignatius Dycherius, Belga, sacrae Theologiae Doctor, dicitur a Francisco Foppens vir exactae eruditionis. Fuit pluries Prior, Commissarius generalis, et postea Pro-

Digitized by Google

vincialis. Obiit Gandavi anno 1661. Memoratur etiam a Francisco Swertio, et Christiano Jocher.

Frater Ignatius de la Zerda, Hispanus, Episcopus Aquilae in Vestinis, cum opinione sanctitatis obiit Reate anno 1702. Ejus corpus Aquilam honorifice translatum fuit. Ex nostrate Jo. Bapt. Cotta in vita B. Antonii Turriani.

Frater Innocentius a S. Felice de Jano, sacrae Theologiae Bacc. cum mortis suae hora illi divinitus innotuisset post praemissam confessionem vehementiori fervore Missam celebravit, qua peracta ministro dixit: *Haec mea ultima Missa est.* Et revera post actas juxta morem Deo gratias in cubiculum secessit, ibique paullo post apoplexi correptus in osculo Domini expiravit anno 1690. Ex nostrate Jo. Baptista Cotta in vita B. Antonii Turriani.

Frater Innocentius Maria Bastelli, Apulus, anno 1717 typis edidit librum cui titulus: *Sermoni della novena del S. Natale, e panegirici sacri.* Sunt numero vigintiduo.

Frater Joannes Aguillar, Hispanus, celebris concionator, sermone patrio duas orationes concinnavit, unam in laudem S. P. Augustini, et alteram de S. Theresia, imp. anno 1645.

Frater Joannes Emons, Germanus, praeclarum fuit evangelicae paupertatis exemplar. A fratre sibi inserviente jam morti proximus, prout ipse jusserat, humi super stramineum lectum positus, ibidem senex in osculo Crucifixi pie obiit anno 1722. Post novem annos ejus corpus incorruptum, et integrum repertum fuit. Ex nostrate Antonio Hohn.

Frater Joannes Antonius Rivarola, Hispanus, ex Genuensibus Patritiis oriundus, divinis humanisque litteris egregie excultus, florebat saeculo 17. Nominatur ab Augustino Oldoino, et Christiano Jocher. Praelo subjecit vitam B. Ritae de Cascia hispanice conscriptam.

Frater Joannes Augustinus de Languilia, Ligur, vir fuit de Moncadensi (hispanica) nobilissima stirpe optime meritus; nam patrio sermone typis edidit anno 1657 egregium opus

Digitized by Google

cum elegantibus aeri incisis iconibus, cujus titulus: *Ritratti degli Eroi della casa di Moncada.* Nominatur a Gerardo Ernesto de Franckeneau, Hieronymo Sosa, et Stephano Corbera.

Frater Joannes Augustinus Mari, Neapolitanus, fuit fervidus venerator B. Mariae Virginis de Consolatione, ejusque sodalitatis studiosissimus promotor. Laudatur a Nicolao Toppio, et Christiano Jocher. Praelo mandavit librum de cingulo S. P. Augustini, et S. M. Monicae.

Frater Joannes Baptista Gallimbertus, Mediolanensis, vir non infimae integritatis, et doctrinae laude commendabilis, uti eum vocat Philippus Argelati, fuit prius apud suam Insubricam Congregationem magister novitiorum, et postea prior in coenobio Mediolanensi SS. Mariae Coronatae. Hanc mortalem vitam finivit anno 1728. Reliquit M. SS. I. *Memoriale confessariorum, et pro concionatoribus examinandis.* 2. *Gemmea fragmenta, scilicet utriusque testamenti pretiosissima et fulgentissima verba, necnon SS. Patrum, aliorumque auctorum veluti sidera selectissima dicta, et monita ad concionandum utilia, et alia, quae legi possunt apud praefatum Philippum Argelati.*

Frater Joannes Baptista Vander Cruycen, Belga, laudatur ab eruditione historica, et bonarum litterarum peritia. Vixit saeculo 17. Scripsit: I. *Genealogiam Patriarcharum.* 2. *Librum de pueritia Mundi.* Consule nostratem Ossinger.

Frater Joannes Bonus Haydt, Vindelicus, alumnus Provinciae Bavaricae, fuit celebris concionator, qui floruit initio saeculi 18. Typis evulgavit germanice: I. *Mariale Augustinianum, sive brevem descriptionem plusquam sexaginta imaginum B. Virginis Mariae, quae in nostra Religione ut thaumaturgae coluntur.* 2. *Palmam triumphalem, idest 24 orationes panegyricas de S. Sebastiano.* 3. *Psalterium decachordum cum decem chordis, idest decem orationibus panegyricis pro quolibet festo B. Mariae Virginis.* 4. *Compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.*

Digitized by Google

Frater Joannes Burgensis, Hibernus, dum Christi oviculas longe ejectas, et lue affectas verbis et ope pascit, gregis contagio correptus, suae caritatis victima occubuit. Ex laudata Sanguinea Eremo.

Frater Joannes a Burgo, ex Vicecomitibus Hiberniae, admodum adolescens clam parentes ad Augustinianam Eremum confugit. Fratres igitur ut illum abducant, claustrum armato milite cingunt. Obvium illis se praebet Joannes habitu Ordinis indutus, mediis gladiis se ingerit, omniumque in se arma provocat; at primus et ultimus belli ictus osculum fuit. Primam autem hanc victoriam novum bellum excepit; nam sanctus juvenis ab haereticis ad necem quaeri coepit. Exulavit itaque primo in Galliam, ac postea in Belgium, ibique duos et viginti annos natus pretiosam in conspectu Domini mortem oppetiit. Ex Sanguinea Eremo.

Frater Joannes Butbach, Germanus, alumnus Provinciae Belgicae, fuit insignis concionator, atque acerrimus acatholicorum oppugnator. Vixit saeculo 17. In lucem emisit anonymum opusculum sub titulo: *Oxirodium Maresianae, caeterorumque religionis reformatae ministrorum phrenesi praeparatum.*

Frater Joannes Crabbius, Belga, strenuissimus fuit Catholicae Fidei defensor, cujus rei causa, sub perduelli Lumeio, ut ait Ossinger, tetri carceris squallorem gravibus compedibus onustus per integros duos annos sustinere debuit. Postea vero e custodia dimissus, Lovanium se contulit, ibique majori alacritate pristinum Religionis patrocinium suscepit. Fuit multos annos Prior, et bis Provincialis. Ex hoc saeculo transiit anno 1598. Celebratur a Ludovico Moreri, Auberto Miraeo, et Christiano Jocher. Scripsit: I. *Diarium controversiarum, quas cum haereticis habuit.* 2. *Tractatus de Sacramento Eucharistiae, de cultu Sanctorum, et de Ecclesia Romana.* 3. *Librum de hispanico Imperio.*

Digitized by Google

Frater Joannes Creyterius, Belga, sacrae Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger vir admirabilis eloquentiae, et ad stuporem facundus, necnon in libris S. P. Augustini versatissimus. Typis evulgavit anno 1713 conciones sub hoc titulo: *S. Augustinus praedicans, seu conciones praeter sacras litteras ex solo fere Augustino concinnatas.*

Frater Joannes Estrix, Belga, vir fuit magna rerum agendarum dexteritate praeditus; quamobrem nedum variorum coenobiorum priorem, verum etiam in Austria Commissarium generalem egit. Florebat anno 1660. Transtulit in linguam patriam librum de aerumnis Christi nostratis V. Thomae a Jesu, et vitam nostri S. Thomae de Villanova.

Frater Joannes Freyra, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, et in eadem Universitate ejusdem facultatis professor, fuit etiam graecis, et hebraicis litteris eruditus. Decessit anno 1670 aetatis suae 52. Reliquit tractatus theologicos et hymnos in laudem Sanctorum Ordinis nostri, typisque mandavit vitam nostrae B. Veronicae de Binasco sermone patrio exaratam. Nominatur a Didaco Barbosa Machado in bibl. Lusitana.

Frater Joannes Henriquez, Hispanus, Theologiam moralem optime calluit. Commendatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Typis evulgavit hispanice anno 1650 librum de casibus moralibus.

Frater Joannes de Hollander, Belga, vixit saeculo 17. Fuit missionarius Groeningae, suique zeli monumentum reliquit librum inscriptum: *Doctrina christiana bene credendi, vivendi, et moriendi.* Celebratur a nostrate Nicolao de Tombeur in Provincia Belgica Augustiniana.

Frater Joannes Maria Benassai, sacrae Theologiae Magister, et Congregationis Perusinae Vicarius generalis, vir fuit in quo pietas cum doctrina contendit. Ad meliorem vitam transivit anno 1602. Celebratur a Jo. Maria Mazzuchellio. Praelo mandavit: I. *La devotissima rappresentazione di*

Digitized by Google

S. Maria Maddalena specchio di penitenza. 2. *Il mortorio di Cristo.*

Frater Joannes Leenheer, Belga, vir ob singularem doctrinam, et humaniorum litterarum peritiam celebris, typis evulgavit: I. *Librum cui titulus:* Theatrum stultorum. 2. *Mariam emblematicam.* Florebat anno 1681. Consule nostratem Ossinger.

Frater Joannes Linkaeus, Hibernus, familia, theologicis disciplinis, et eloquio clarissimús, errabundus in patria propter fidem, in castro gentilitio obiit. Ita praefata Sanguinea Eremus.

Frater Joannes a Nazareth, Lusitanus, vir fuit eloquentia praestantissimus, qui aliquot orationes panegyricas patrio sermone concinnatas typorum ope publici juris fecit. Florebat anno 1698. Memoratur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Joannes a S. Facundo Raulin, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, atque Hispaniarum, Indiarumque Assistens generalis, dicitur ab Ossinger vir singularis eruditionis, et praestantis doctrinae. Praelo tradidit anno 1745 insigne volumen cujus titulus: *Historia Ecclesiae Malabaricae cum Diamperidana Synodo apud Indos Nestorianos S. Thomae Christianos nuncupatos coacta ab Alexio de Menezes Augustiniano anno* 1599 *nunc primum ex idiomate Lusitano in latinum versa, cui accedunt tum liturgia Malabarica, tum dissertationes variae, omnia perpetuis animadversionibus illustrata.*

Frater Joannes a S. Josepho, Lusitanus, circa annum 1560 scripsit. 1. *Nostri Augustiniani Ordinis chronicon.* 2. *Vitam nostri B. Gundisalvi de Lagos.* 3. *De indulgentiis, et excellentia S. Cinguli, imp.* Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Joannes a S. Maria, Gallus, sacrae Theologiae Magister, magnam doctrinam cum singulari erga Deiparam devotione conjunxit. Dicitur ab Ossinger fervidissimus defensor immaculatae ejusdem V. Mariae Conceptionis. Praelo

Digitized by Google

mandavit anno 1649 opusculum cui titulus: *Libellus supplex Innocentio X. Pontifici Maximo cum decretis Summorum Pontificum et Sacrosancti Concilii Tridentini etc. additis S. Scripturae, et SS. Patrum testimoniis pro immaculata B. Mariae Virginis Conceptione contra opusculum fr. Petri de Vicentia, seu potius Vincentii Bandelli.*

Frater Joannes Schmit, Germanus, praecelluit insigni virtute in daemones, quos ab obsessis expellebat, quin spiritus nequam quidpiam mali possent sanctissimo viro objicere. Decessit anno 1697. Ex praefato Hohn.

Frater Joannes Soto, Matritensis, sacrae Theologiae Magister, atque poeta haud vulgaris hispanice composuit, praeloque tradidit: I. *Expositionem paraphrasticam Psalterii.* 2. *Laudem Dei, ejusque Sanctorum juxta Ecclesiae cantica.* 3. *Obligationes uniuscujusque status cum remediis et consiliis efficacioribus pro salute spirituali, et generali morum reformatione.* 4. *Compendium summae Cardinalis Toleti.* Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi. Florebat saeculo 17.

Frater Joannes de Tolosa, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, atque in Oscensi Academia Sacrae Scripturae interpres, vir fuit excellentis ingenii, atque mirae eloquentiae, qui tam in cathedra, quam in suggestu magnam laudem sibi comparavit. Ab Ossinger dicitur non minus vita quam eruditione venerabilis. Memoratur etiam a Nicolao Antonio Hispalensi, Francisco Didaco de Ainsa in historia Oscensi, Christiano Jocher, aliisque externis. Typis edidit hispanice: I. *Discursus praedicabiles praecipue ab Adventu usque ad Epiphaniam.* 2. *De indulgentiis S. Zonae S. P. Augustini.* 3. *Opus valde celebratum a Leonardo Lupercio de Argersola celebri poeta, cui titulus:* Aranjuez del alma. Hoc idem opus attribuitur nostro Augustino de Tolosa a praefato Nicolao Antonio Hispalensi. Florebat hic Joannes de Tolosa anno 1584.

Frater Joannes van der Elst, Belga, dicitur ab Ossinger bonarum artium amator, et cultor insignis, ac praecipue

Digitized by Google

Musices. Patrio idiomate composuit, typisque mandavit anno 1662 *Fundamenta Musices.*

Frater Josephus Cainez, Hispanus, qui propter doctrinae praestantiam, morumque integritatem prius ad Calopensem, ac deinde ad Accitanam Episcopalem infulam promotus fuit, anno 1645 typis evulgavit sermonem de Immaculata Deiparae Conceptione. Nominatur ab Hippolyto Marraccio, et Petro de Alva.

Frater Josephus Danzer, Viennensis, alumnus Provinciae Austriae, fuit excellens sui temporis concionator. Hanc mortalem sarcinam deposuit anno 1731. Typis evulgavit germanice plures orationes panegyricas, nimirum SS. Sebastiani Martyris, Gregorii Magni, Ignatii, Leopoldi, B. Mariae Virginis de Consolatione, Immaculatae Conceptionis etc.

Frater Josephus Ferreyra, Lusitanus, totam vitam, ut ait Ossinger, lectioni librorum, et muneri oratoris evangelici dedit, quo in munere omnium plausum sibi comparavit. Debitum naturae persolvit anno 1727. Memoratur a Didaco Barbosa Machado. Praelo subjecit varios sermones patrio idiomate concinnatos.

Frater Josephus Gallo, Hispanus, vir integerrimis moribus, et sacra eruditione clarus, florebat adhuc anno 1652. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Per praelum publici juris fecit hispanice paraphrasim, et illustrationem obscurissimi phophetae Jobi.

Frater Josephus Lainez, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, vir omni disciplinarum genere clarus, anno 1635 factus fuit regius Philippi IV. concionator, et postea anno 1642 Episcopus Solsonensis in Catalaunia. Supremum diem obiit anno 1667. Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi, Henningo Witte, atque Christiano Jocher. Typis edidit hispanice: I. *Sermones quadragesimales.* 2. *Sermones varios.* 3. *Librum cui titulus*: Josue praeclarus dux victor regum et gentium. 4. *Duos status Ninives captivae et liberae ex*

Digitized by Google

libro Jonae Prophetae desumptos: 5. *Privatum christianum descriptum ex vitis Joseph, et Danielis.*

Frater Josephus Otto, Germanus, alumnus Provinciae Rheno-Svevicae, fuit Sacerdos insignis sanctitatis, qui in simplicitate cordis sui ambulavit usque ad vitae suae terminum, qui fuit anno 1735 aetatis suae circiter 60. Ex nostrate Antonino Hohn.

Frater Josephus Sicardus, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir undecumque doctissimus, ac omnium litterarum eruditione clarissimus, qui ob praeclaras animi dotes ad Archiepiscopatum Sassaritanum promotus fuit. Florebat circa initium saeculi 18. Typis evulgavit hispanice vitam nostrae B. Ritae de Cascia.

Frater Josephus Talhamer, Germanus, sacrae Theologiae Magister, vir doctrina, ac rerum agendarum dexteritate praestans, fuit saepius Prior, pluries Provincialis, ac demum Assistens generalis totius Germaniae. Fato concessit anno 1736. Typis evulgavit tractatum de Deo uno. Ex nostrate Ossinger.

Frater Josephus a Villanova, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, atque in regali Complutensi Collegio ejusdem facultatis professor, dicitur ab Ossinger vir in disserendo de quaestionibus theologicis longe acutissimus. Praelo tradidit anno 1670 Promptuarium divinae Providentiae, seu de praescientia, qua Deus cognoscit contingentia, possibilia, et futura conditionata, et absoluta.

Frater Isidorus Perusinus, Philosophiae ac Theologiae Magister, fuit Perusini coenobii Prior, in quo decessit anno 1669. Praelo mandavit vitam S. Thomae de Villanova italice expositam. Memoratur ab Augustino Oldoino, et Christiano Jocher.

Frater Julius Accetta, Pedemontanus, insignis fuit Mathematicae professor, quam 22 annos in Taurinensi Athenaeo summa cum laude docuit. Astronomiam etiam ita calluit,

Digitized by Google

ut celeberrimae Parisiensi scientiarum Academiae aggregari meruerit. Florebat circa medietatem saeculi 18. Praelo tradidit: I. *Opus cui titulus:* Gli elementi di Euclide a migliore, e più chiara maniera ridotti etc. premessi gli elementi dell'Algebra. 2. *Orationem italicam, quam in Academia Apatistarum recitavit.*

Frater Julius Bandini, a Cuneo in Pedemontio, sacrae Theologiae Magister, praelo mandavit dissertationem historico-canonicam de tumulo S. P. Augustini, et dissertationem canonicam de vita communi Regularium, utramque latino sermone exaratam. Florebat anno 1698.

Frater Lambertus Naverius, Belga, sacrae Theologiae Baccalaureus, dicitur ab Ossinger historicus celebris, et concionator eloquens, ac pietate conspicuus. Obiit Trajecti anno 1633 peste infectis ex caritate inserviens. Praelo tradidit vitam nostratis B. Augustini Novelli.

Frater Leo Marotte, Belga, vir ingenio, pietate, prudentia, et regendi dexteritate clarus, qui tum Gandavi, tum Bruxellis egregie prioratum gessit, anno 1709 scripsit lingua flandrica, praeloque mandavit Regulam tertii Ordinis Eremit. S. P. Augustini in tres partes divisam.

Frater Leo de Morano, Neapolitanus, dicitur ab Ossinger singularis orator, et e suggestu in declamando verbum divinum eloquentissimus, ac sublimium litterarum cognitione praestans. Floruit saeculo 17. Laudatur etiam a Nicolao Toppio. Reliquit Quadragesimale, et tractatum super Rhetoricam.

Frater Leonardus Raggius, Patritius Genuensis, alumnus Congr. S. Mariae de Consolatione, sacrae Theologiae Magister, fuit insignis verbi Dei praeco. Apud praefatam Congregationem tum Provincialem, tum Vicarium generalem exercuit. Florebat anno 1680. Nominatur ab Augustino Oldoino. Reliquit M. SS. conciones quadragesimales.

Digitized by Google

Frater Leonardus van Roy, Belga, sacrae Theologiae professor, vir fuit, teste nostrate Nicolao de Tombeur, in quo scientiae, eloquentiae, atque pietatis dona simul eminebant. Ab Ossinger dicitur fuisse magnus quietis et solitudinis amator, in cathedra, et suggestu facundus, atque in disputationibus solidus. Paullo post ejus obitum anno scilicet 1702 haec illius opera typis mandata fuerunt: I. *Theologia moralis* 5 *tomis comprehensa*. 2. *Praxis poenitentialis*.

Frater Leonardus Valentini, Caesenas, Ordinis Procurator generalis, typis edidit: I. *S. Arduinum caecorum illuminatorem*. 2. *Librum cui titulus:* Septem Angeli praecincti zonis aureis. Memoratur a nostrate Ignatio Dycherio lib. 3 suorum epigrammatum, atque a Dominico Antonio Gandolpho.

Frater Leopoldus Schinko, Bohemus, sacrae Theologiae Doctor, vir doctrina, morumque probitate spectabilis, fuit Provincialis, necnon utriusque Germaniae Assistens generalis. Floruit saeculo 18. Praelo mandavit. I. *Manuale spirituale*. 2. *Calendarium exhibens methodum bene moriendi*.

Frater Leonardus Tuffarelli, Neapolitanus, anno 1610 in lucem emisit vitam nostratis Bernardi de Rogliano fundatoris Congregationis Coloritensis in Calabria Citeriori. Vide nostratem Ossinger.

Frater Lucas de Corduba, Hispanus, laudatur potissimum ob spectatissimae vitae probitatem. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Typis edidit anno 1588 vitam S. Guilelmi.

Frater Lucas Menelli, Neapolitanus, theologus, atque antiquitatum indagator celeberrimus, reliquit opus M. SS. cui titulus: *La Lucania illustrata*. Florebat saeculo 17. Mentionem de illo facit Nicolaus Toppius.

Frater Lucretius Borsati, Cremensis, sacrae Theologiae professor, vir ingenio praestans, et in disputando acutus, anno 1613 typis evulgavit: *Felices progressus S. Ursulae virginis et martyris, ac sociarum*.

Digitized by Google

Frater Ludovicus Hemmert, Belga, alumnus Neapolitanae S. Joannis ad Carbonariam Congregationis, sacrae Theologiae Magister, et professor Cajetae, vir valde eruditus, et egregius theologus, anno 1661 praelo subjecit quaestionem de Magorum historia, et apparitione stellae, an scilicet tredecim tantum a nativitate Christi diebus absoluta fuerit. Memoratur a Nicolao Toppio, et Christiano Jocher.

Frater Ludovicus de Azevedo, Hispanus, fuit celebris concionator, qui in habendis sermonibus ad populum, ut scribit Ossinger, omnibus palmam praeripuit. Ex hac vita migravit anno 1600 aetatis suae 38. Typis evulgavit hispanice: 1. *Discursus morales in festis B. Mariae Virginis.* 2. *Vitas S. Thomae de Villanova, et V. Ludovici de Montoja.* Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Ludovicus Barile, Bergomas, fuit Ducis Mantuani theologus et confessarius. S. Carolus Borromaeus, ut scribit Ossinger, eum summopere aestimavit, et anno 1565 Episcopo Brixiensi socium adjunxit, ut in locis suae jurisdictionis disponeret canones circa celebrationem Missarum, et administrationem Sacramentorum, quod negotium cum magna prudentia, atque doctrina peregit. Fuit etiam variorum coenobiorum Prior, et Archiepiscopi Mediolanensis Gasparis Vicecomitis theologus et consultor. Exorta Cremonae inter nostram, et aliam religiosam familiam haud levi de re litteraria contentione, decretum fuit ut quaestio, proposito vincenti magno praemio, coram Episcopo in Cathedrali Ecclesia publice discuteretur. Ex nostris in arenam descendit iste Ludovicus Barile, qui ita egregie se gessit, ut et victoriam et praemium retulerit. Mortalem tunicam exuit anno 1597. Celebratur a Joanne Maria Mazzuchellio, et Christiano Jocher. Praelo tradidit Quadragesimale in quo unicuique Evangelio praeter ipsius expositio-

Digitized by Google

nem speciales tractatus apponuntur, quibus veritates catholicae comprobantur, et haereses contrariae confutantur.

Frater Ludovicus a S. Antonio, Lusitanus, vir integerrimae vitae, et singularis devotionis erga B. Virginem sine labe conceptam, anno 1638 typis edidit sermonem de ejusdem Conceptione. Nominatur ab Hippolyto Marraccio, et Petro de Alva.

Frater Ludovicus Tallian, Hungarus, vir fuit eximiae integritatis, prudentiae, pietatis, et eloquentiae, qui varia munera egregie obivit, nimirum concionatoris, parochi, et prioris. Fatis concessit in coenobio Fluminensi anno 1730. Typis evulgavit sequentes orationes panegyricas, quarum primae hic est titulus: *Moyses Pannonicus Ladislaus utpote orthodoxae fidei propugnator gloriosus, Pannoniae Rex Augustus, tutor, indevictusque heros.* Alterius autem: *Scutum inexpugnabile innocentiae Marianae contra hostes immaculatam ejus Conceptionem impugnantes.*

Frater Marcus Forstal, Hibernus, alumnus Provinciae Austriae, sacrae Theologiae Doctor Viennensis, aliquandiu apud Praemonstratenses eamdem facultatem docuit. Anno 1659 Viennae Provincialis renuntiatus fuit. Anno autem 1672 in patriam revertitur, ibique ad Episcopatum Kildariensem evectus fuit. Obiit Dublini anno 1683. Typis evulgavit gratiae Dei enchiridion ad sex ultimas quaestiones primae secundae etc.

Frater Marcus Antonius Viani, Bononiensis, hac de causa potissimum mentionem meretur, quod cum esset Summo Pontifici Gregorio XV, quem ante Pontificatum noverat, valde acceptus, ab eodem confirmationem impetravit omnium ac singularum indulgentiarum a variis suis praedecessoribus Confraternitati Cincturatorum concessarum, quas Paulus V. ad paucas tantummodo reduxerat. A praefato Gregorio XV. anno 1622 Subsacrista, ac non multo post Abbas constitutus fuit. Praelo tradidit: I. *Summarium*

Digitized by Google

reliquiarum nostrae Ecclesiae S. Jacobi Bononiae. 2. *Ordinis arborem pulchre delineatam.* Vide nostrates Crusenium, et Elssium.

Frater Martinus de Buschere, conventus Augustinianorum Gandavensium religiosus, scholarum rector, et elegans poeta, edidit indicem divinorum operum ex SS. Eucharistiae Sacramento erga populum christianum, symbolis latinis, ac vernaculis quintupliciter partitum, imp. anno 1686. Ita Jo. Franciscus Foppens.

Frater Martinus Cornejo, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir non minus propter vitae integritatem, quam propter doctrinam praesertim historicam, semper in pretio habitus. Laudatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Praelo tradidit anno 1623 librum hispanice exaratum de vita S. P. Augustini, deque origine et fundatione Eremitani Ordinis.

Frater Martinus Droscher, Germanus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit humanis, divinisque litteris egregie doctus, qui claruit etiam peculiari quadam morum suavitate, agendi prudentia, animique candore. Anno 1737 suae Rheno-Svevicae Provinciae praefectus fuit. Praelo tradidit tractatum de creata libertate in ordine ad actus tam naturales, quam supernaturales.

Frater Martinus Niger, Gallus, vir fuit non minus litteris, quam pietate venerabilis, qui totum se, ut ait Ossinger, doctrinae asceticae dedit. Floreat saeculo 17. Scripsit 1. *Tabulam compendiosam hominis interioris etc. imp. gallice Rothomagi anno* 1605. 2. *Navigationem a littore mortis ad vitae portum*, *imp.* 1628. 3. *Lib. I. de adventu Antichrist.* 4. *Sermones de quatuor novissimis.* 5. *De jubilaeo, et indulgentiis.* 6. *De peste fame, et bello.*

Frater Martinus a S. Monica, Lusitanus, patria Eborensis, vir ad artem musicam insigniter instructus, per praeclara hujus generis scripta, quae in bibliotheca regia repo-

Digitized by Google

sita fuerunt, nomen suum posteritati commendavit. Excelluit etiam vitae probitate, nam magister novitiorum in coenobio Dominae nostrae de Gratia constitutus fuit. Florebat saeculo 17. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Matthaeus Ciotti, Lucensis, ita pie, sancteque vixit, ut horam exitus sui fratribus praenuntiare potuerit. Obdormivit in Domino anno 1659. Cotta in vita B. Antonii Turriani pag. 65.

Frater Matthaeus Giberti, Venetus, sacrae Theologiae Magister, et praedicator generalis, florebat anno 1668. Typis edidit italice: I. *Vitam nostrae B. Clarae de Montefalco.* 2. *Discursus super praecipua Christi Domini passionis mysteria.* 3. *Librum cui titulus:* Il mistico quadro delle bellezze, prerogative, ed eccellenze di Maria Vergine.

Frater Matthaeus Lottieri, Neapolitanus, vir humanis, divinisque litteris instructus, qui suam Neapolitanam Provinciam moderatus fuit, anno 1626 praelo tradidit librum de privilegiis, gratiis, atque indulgentiis Cincturatorum italice exaratum. Nominatur a Nicolao Toppio.

Frater Matthias Agolla, Belga, dicitur ab Ossinger vivum omnis virtutis exemplar, et propagator fidei catholicae ferventissimus, qui in Brabantia 24 annos Missionarium egit. Florebat saeculo decimo septimo. Scripsit: I. *Conciones et sermones in omnes Dominicas, et festa totius anni.* 2. *Meditationes de passione Christi, ac in festa Ordinis nostri.* 3. *Conciones pro Adventu, et Quadragesima.* Adeas nostratem Ossinger.

Frater Matthias Chefneux, Leodiensis, sacrae Theologiae professor, fuit etiam facundus concionator, atque saepius in patrio coenobio prior. Prae humilitate academicos gradus recipere noluit. Florebat circa annum 1670. Celebratur a Jo. Francisco Foppens. Opera ejus sunt: I. *Explanatio in psalmos.* 2. *Speculum chronographicum Ecclesiae catholicae ab origine Mundi usque ad Christum, imp.* 3. *Spe-*

Digitized by Google

reliquiarum nostrae Ecclesiae S. Jacobi Bononiae. 2. *Ordinis arborem pulchre delineatam.* Vide nostrates Crusenium, et Elssium.

Frater Martinus de Buschere, conventus Augustinianorum Gandavensium religiosus, scholarum rector, et elegans poeta, edidit indicem divinorum operum ex SS. Eucharistiae Sacramento erga populum christianum, symbolis latinis, ac vernaculis quintupliciter partitum, imp. anno 1686. Ita Jo. Franciscus Foppens.

Frater Martinus Cornejo, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir non minus propter vitae integritatem, quam propter doctrinam praesertim historicam, semper in pretio habitus. Laudatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher. Praelo tradidit anno 1623 librum hispanice exaratum de vita S. P. Augustini, deque origine et fundatione Eremitani Ordinis.

Frater Martinus Droscher, Germanus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit humanis, divinisque litteris egregie doctus, qui claruit etiam peculiari quadam morum suavitate, agendi prudentia, animique candore. Anno 1737 suae Rheno-Svevicae Provinciae praefectus fuit. Praelo tradidit tractatum de creata libertate in ordine ad actus tam naturales, quam supernaturales.

Frater Martinus Niger, Gallus, vir fuit non minus litteris, quam pietate venerabilis, qui totum se, ut ait Ossinger, doctrinae asceticae dedit. Floreb at saeculo 17. Scripsit 1. *Tabulam compendiosam hominis interioris etc. imp. gallice Rothomagi anno* 1605. 2. *Navigationem a littore mortis ad vitae portum*, *imp.* 1628. 3. *Lib. I. de adventu Antichrist.* 4. *Sermones de quatuor novissimis.* 5. *De jubilaeo, et indulgentiis.* 6. *De peste fame, et bello.*

Frater Martinus a S. Monica, Lusitanus, patria Eborensis, vir ad artem musicam insigniter instructus, per praeclara hujus generis scripta, quae in bibliotheca regia repo-

Digitized by Google

sita fuerunt, nomen suum posteritati commendavit. Excelluit etiam vitae probitate, nam magister novitiorum in coenobio Dominae nostrae de Gratia constitutus fuit. Florebat saeculo 17. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Matthaeus Ciotti, Lucensis, ita pie, sancteque vixit, ut horam exitus sui fratribus praenuntiare potuerit. Obdormivit in Domino anno 1659. Cotta in vita B. Antonii Turriani pag. 65.

Frater Matthaeus Giberti, Venetus, sacrae Theologiae Magister, et praedicator generalis, florebat anno 1668. Typis edidit italice: I. *Vitam nostrae B. Clarae de Montefalco.* 2. *Discursus super praecipua Christi Domini passionis mysteria.* 3. *Librum cui titulus:* Il mistico quadro delle bellezze, prerogative, ed eccellenze di Maria Vergine.

Frater Matthaeus Lottieri, Neapolitanus, vir humanis, divinisque litteris instructus, qui suam Neapolitanam Provinciam moderatus fuit, anno 1626 praelo tradidit librum de privilegiis, gratiis, atque indulgentiis Cincturatorum italice exaratum. Nominatur a Nicolao Toppio.

Frater Matthias Agolla, Belga, dicitur ab Ossinger vivum omnis virtutis exemplar, et propagator fidei catholicae ferventissimus, qui in Brabantia 24 annos Missionarium egit. Florebat saeculo decimo septimo. Scripsit: I. *Conciones et sermones in omnes Dominicas, et festa totius anni.* 2. *Meditationes de passione Christi, ac in festa Ordinis nostri.* 3. *Conciones pro Adventu, et Quadragesima.* Adeas nostratem Ossinger.

Frater Matthias Chefneux, Leodiensis, sacrae Theologiae professor, fuit etiam facundus concionator, atque saepius in patrio coenobio prior. Prae humilitate academicos gradus recipere noluit. Florebat circa annum 1670. Celebratur a Jo. Francisco Foppens. Opera ejus sunt: I. *Explanatio in psalmos.* 2. *Speculum chronographicum Ecclesiae catholicae ab origine Mundi usque ad Christum, imp.* 3. *Spe-*

Digitized by Google

culum a Christo usque ad nos, imp. 4. *Concinnavit etiam seriem chronologicam virorum sanctorum, quos Christus omni tempore suscitavit, quo nova aliqua surrexit haeresis.* 5. *Chronicon gentium infidelium ad fidem adductarum quando aliae ab Ecclesia catholica defecerunt.*

Frater Michael Hardi, Gallus, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger vir suae aetatis eloquentissimus, et rhetor insignis. Typis edidit anno 1725 duas orationes, quas in capitulis provincialibus recitavit, unam nempe pro eligendo Praesule, et alteram in laudem fratrum defunctorum, ut etiam nunc apud nos moris est.

Frater Michael de Canto, Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, postquam multos annos Augustinianam juventutem sacras scientias docuisset, anno 1737 suae Provinciae primatum obtinuit. Praelo mandavit. I. *Examen theologico-morale de scandalosa praxi quorumdam confessariorum, qui poenitentes interrogant de nomine, et habitatione complicum, et alia quae referuntur a nostrate Ossinger cum pluribus ejusdem manuscriptis.* Laudatur etiam a Didaco Barbosa Machado.

Frater Michael Mareschl, Bohemus, sacrae Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger vir immortali memoria dignus, cujus praeclarissimas laudes, et merita digne describere difficillimum foret. Fuit quater Provincialis, et insuper utriusque Germaniae Assistens generalis. B. Mariae Virginis cultum impense promovit. Vitam cum morte commutavit anno 1749. Typis evulgavit germanice: I. *Libellum de prodigiosa imagine B. Mariae V. Roczoviensis.* 2. *Libellum de gratiis B. V. Mariae de Bono Consilio Pragam translatae.* 3. *Libellum exercitiorum.*

Frater Michael de S. Maria, Lusitanus, vir singularis ingenii, egregie calluit poesim, historiam, philosophiam, ac theologiam praesertim polemicam. Fuit socius Academiae regiae, prior coenobii Irenopolitani, et suae provinciae his-

Digitized by Google

toriographus. Decessit anno 1728. Typis edidit dissertationem historicam de primo Evangelii praedicatore in Lusitania, totaque Hispania, in qua probat quod S. Paulus, et non Jacobus Major in Hispania Evangelium Christi praedicaverit. Nominatur a Didaco Barbosa Machado.

Frater Michael Morellus, Mediolanensis, alumnus Congregationis Insubricae, vir pietate, ac litteris spectabilis, anno 1691 typis edidit librum cui titulus: *Campo di Marte, ovvero le tre potenze atterrate politiche e morali.* Memoratur a Philippo Argelati in bibl. scriptorum Mediolanensium.

Frater Michael Schmid, Austriacus, sacrae Theologiae Bacc. haud obscurus suae aetatis concionator, multos annos Priorem egit. Fatis concessit anno 1747 aetatis suae 60. Typis evulgavit quatuor sermones, duos nempe de defunctis, tertium de S. Matthia, et quartum de Pentecoste.

Frater Michael van Heckius, Belga, sacrae Theologiae Doctor, fuit, teste Jo. Francisco Foppens, sui aevi per Belgium concionator eloquentissimus. A Clemente IX. ad primam in Collegio Romano Sapientiae cathedram assumptus, ab Innocentio XI. in Congregationem de Propaganda fide adscitus et in gravissimis Ecclesiae causis consultus fuit. Obiit Romae anno 1687. Nominatur a praefato Jo. Francisco Foppens in bibl. Belgica.

Frater Nicolaus Augustinus Straforelli de Unelia, Ligur, sacrae Theologiae Magister, anno 1679 praelo tradidit librum cui titulus: *Theoremata theologica Aegidianae scholae conformia*

Frater Nicolaus de Camiis, Cremonensis, alumnus Congregationis Insubricae, dicitur a Francisco Arisio concionator egregius, ac poeticis musis italicis apprime doctus. Florebat anno 1725. Reliquit: 1. *Tres musicales concentus, quibus titulus:* La fede trionfatrice contro l'idolatria per lo glorioso martirio di S. Catterina V. e M. 2. *Varias orationes panegyricas, et conciones quadragesimales.*

Digitized by Google

Frater Nicolaus Donellanus, Hibernus, anno 1640 haereticorum persecutionem fugiens, in Austriam se contulit, atque illi Provinciae aggregatus fuit. Anno 1644 in Viennensi Universitate doctorales infulas accepit, ac postea ibidem facultatis theologicae professor, et decanus evasit. Quippe qui vir erat magni consilii, omnis virtutis, ac singularis prudentiae cum pari doctrina conjunctae a Ferdinando III. Imp. anno 1655 in suum consiliarium assumptus fuit. Nec caruit intra Ordinem conspicuis muneribus; nam tum Viennensem Priorem, tum Provincialem, tum demum Vicarium generalém exercuit. Peste occubuit Viennae anno 1679. Typis evulgavit manuale parochorum, sive institutiones, et praxes tum vitae, tum officii pastoralis. Consule nostratem Ossinger.

Frater Nicolaus Gircken, Germanus, sacrae Theologiae Magister, et professor in Coloniensi Universitate, fuit etiam in praefata civitate examinator synodalis, et suae Provinciae Praefectus. Dicitur ab Ossinger philosophus acutus, et magnus theologus. Vivis defuit anno 1717. Nominatur a Josepho Hartzheim in bibl. Coloniensi. Typis edidit Theologiam scholasticam quatuor tomulis comprehensam.

Frater Nicolaus Juliani, Umber, sacrae Theologiae Bacc. et monasterii B. Ritae de Cascia confessarius, vir scientia, ac pietate conspicuus, anno 1691 typis evulgavit italice sacram historiam poenitentis B. Ritae de Cascia cum oratione, disticis, epigrammatibus, odibus, etc.

Frater Nicolaus Magri, Siculus, dicitur ab Antonio Mongitore poeta, et historicus. Florebat anno 1640. Typis edidit carmine latino: I. *Triumphum gloriosae virginis S. Catharinae Rotarum.* 2. *De origine civitatis Liburnii, italice.*

Frater Nicolaus Marasca, nobilis Mediolanensis, et Caroli Caesaris Marasca item ejusdem nostri Ordinis germanus frater, laudatur tum a doctrina, tum a probitate morum, et singulari zelo, quo fervebat in animarum salute

Digitized by Google

concionibus, et confessionum auditione procuranda. Obiit anno 1688. Reliquit duo volumina concionum italicarum, et latinarum M. SS. Ex Philippo Argelati.

Frater Nicolaus de S. Maria, Hispanus, dicitur ab Ossinger vir omnibus non solum moralibus virtutibus, sed etiam perorandi gratia ornatus. Florebat anno 1645. Typis evulgavit hispanice: I. *Librum de origine et antiquitate SS. imaginis N. Dominae de Regula.* 2. *Tractatum quo probat gloriosos martyres SS. Liberatum, Bonifacium, Rusticum, Rogatum etc. esse Ordinis S. P. Augustini.*

Frater Nicolaus Augustinus de Placentia, Regens Panormitanus, anno 1658 ex hac vita migravit relictis non levibus sanctitatis indiciis; siquidem tanta erga proximum exarsit caritate, ut inter caetera propriam quoque tunicam vendiderit, ut cuidam e suis studentibus opem ferret. Hinc dum sepulturae ipsius cadaver mandaretur, ingens hominum multitudo, ac piarum mulierum tunicam ejus ac cingulum religionis ergo minutatim recidit, capillos et barbam evulsit, aliaque hujusmodi pietatis signa erga religiosum virum ostendit. Ex Ordinis archivio.

Frater Nicolaus Robinus, Gallus, vir integerrimae vitae, atque haud vulgaris scientiae, anno 1692 gallice typis edidit vitam S. Joannis a S. Facundo.

Frater Nicolaus Roppo, Carmaniolensis, floruit sanctitate, et doctrina. Obiit Carmaniolae in Pedemontio anno 1749. Nominatur inter Augustinenses sanctitate claros a nostrate Jo. Laurentio Berti in suo Breviario historiae ecclesiasticae. Extat in nostra bibliotheca Angelica oratio italica a nostro Roppo in laudem Generalis Fulgentii Bellelli concinnata, typisque impressa anno 1729.

Frater Nicolaus Thomas Scivetti a Juvenatio sacrae Theologiae Doctor, atque in Abellinensi Seminario ecclesiasticae historiae professor, latine typis edidit: I. *Duos tomos historiae ecclesiasticae usque ad saeculum quintum.*

Digitized by Google

2. *Propositiones historicas, criticas, et polemicas de rebus in quinto Ecclesiae saeculo gestis.* Florebat anno 1745.

Frater Octavianus Epifani, Bononiensis, alumnus Congregationis Insubricae, et sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger virtutum summus amator, vitiorumque hostis acerrimus, atque omnium, quos Italia tunc protulit, concionatorum nobilissimus. Floruit saeculo 17. Reliquit manuscripta sex volumina sermonum, et lectionum spiritualium.

Frater Octavius Manfredi, Cremonensis, appellatus Simoninus, fuit theologus et orator magni nominis tum apud Italos, tum apud Gallos. Erat, verba sunt Ossinger, Prior coenobii Lugdunensis, et in toto Galliarum Regno Vicarius generalis, ac Visitator, et Parisiis notissimus utpote Mariae Mediceae Regis Henrici IV. uxoris a sacris confessionibus. Pro comitiis generalibus habendis anno 1620 Romam adivit, unde expeditus iterum remigravit in Galliam, ubi vivere desiit. Inter ejus opera est oratio funebris in laudem praefati Henrici IV., quae e lingua gallica latine traducta est, praeloque tradita. Ex Francisco Arisio in Cremona litterata.

Frater Patritius Comerfort, Hibernus, a puero futurae virtuti praelusit, dum in scholis semper audiret: *Nil mediocre futurus es, o puer.* Postquam Bruxellis philosophica praelegisset, ad infulam Waterfordiensem evocatur, omnium, praeter sua, votis. Hic dum se gregi totum impendit, ab haereticis sede exigitur, non invitus onus se multo maximum, infulam, abjecisse, ut proinde saepe repeteret aequiori sibi animo patriam, quam exilium eripi. Non tamen pro grege excubare desiit, dum haereticos libris conditis oppugnat. Aerumnis confectus Nanneti discessit, exilium gravissimum mundum arbitratus. Ita Sanguinea Eremus pene iisdem verbis.

Digitized by Google

Frater Patritius Lusitanus, relicta aula Emi Card. Montalti, Romae ad S. Mariam de Populo Augustinianum habitum sumpsit. Postea vero majoris observantiae studio ad nostratem Ilicetanam Congregationem transivit, atque in coenobio S. Annae reliquos vitae dies in jejuniis, caeterisque voluntariis corporis castigationibus transegit. Pie obiit anno 1625. Nominatur a Didaco Barbosa Machado, atque Nicolao Antonio Hispalensi. Praelo tradidit opusculum carmine elegiaco scriptum de variis imaginibus in 42 tabellis depictis cum multis documentis, et cohortationibus ad virtutes amplectendas, et vitia vitanda.

Frater Patritius Baw, alumnus Provinciae Austriae, fuit in Viennensi Universitate publicus sacrae Theologiae professor, qui theses ex universa Philosophia praelo mandavit, atque plura insuper nostri Aegidii Columnae opuscula typis excudi fecit. Fatis concessit Romae anno 1646.

Frater Patritius Scharinger, Viennensis, alumnus Provinciae Austriae, saepius fuit variorum coenobiorum prior, aliaque id genus munia exercuit. Fuit etiam concionator. Debitum naturae persolvit anno 1750. Auxit, ut scribit Ossinger, publicavitque libellum, quem P. Mag. Joannes Baptista Ininger Monachii anno 1737 in publicum prodire fecit in lingua germanica sub inscriptione: *Tolentinas miraculorum Sol etc.*

Frater Paulus Aemilius Barbarussa in oppido Trivillii natus Eremitarum Institutum in Congregatione Lombardiae suscepit. In praecipuis Italiae urbibus summo plausu conciones habuit. Eum Federicus Cardinalis Borromaeus Archiepiscopus Mediolanensis in primis dilexit, ejusque opera in gravissimis suae Dioecesis negotiis usus est. Seriis studiis amoena quoque permiscuit, poesim praesertim, atque historiam. Per varios honorum gradus ad Vicarii generalis Congregationis suae officium ascendit, electus ad id muneris in comitiis habitis anno 1612 in coenobio Mediolanensi S. Mariae Coronatae. Religiosis virtutibus claruit, facundia, co-

Digitized by Google

mitate, et oris majestate conspicuus. Obiit Trivillii die 14 Decembris anno 1614. Ita Philippus Argelati.

Frater Paulus Caprinus de Aquila, sacrae Theologiae Doctor, atque peracutus disputator, typis edidit: *Tractatum de Sacrificio Missae*. Florebat anno 1670. Ex Nicolao Toppio.

Frater Paulus Coutinho, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, fuit insignis theologus et poeta. Florebat saeculo 17. Scripsit quatuor comoedias, unam de S. Clemente, alteram de S. Laurentio, tertiam de B. Rita de Cascia, et quartam de victoria Septae obtenta. Vide nostratem Ossinger.

Frater Paulus Luchini, Pisaurensis, Ordinis nostri Generalis, typis impressa posteris reliquit: I. *Methodum Capitulorum, et Congregationum Ord. Erem. S. Augustini*. 2. *Methodum visitationis faciendae per Rm̃um P. Generalem*. Decessit anno 1654 aetatis suae 66.

Frater Paulus Saccus, Savonensis, dicitur ab Augustino Oldoino vita honestus, liberalibusque studiis et ecclesiasticis disciplinis mirifice ornatus. Floruit saeculo 17. Latine scripsit sermones dominicales, uti habent Joannes Verzellinus, et Raphael Sopranus. Ita Augustinus Oldoinus.

Frater Paulus Salomon de Aventino, Italus, vir in S. Scriptura, et SS. Patribus admodum versatus, fuit excellens sui temporis concionator. Typis edidit italice anno 1651 sermones pro cunctis Dominicis, et festis mobilibus.

Frater Paulus a S. Catharina, Avenionensis, vir in omni scientiarum genere, ac praecipue in S. Scriptura, et SS. Patribus versatus, singularique pietate erga B. Virginem illustris, typis evulgavit: I. *Tractatus sacros super Evangelia, quae tempore Quadragesimae in Ecclesia leguntur*. 2. *Librum cujus titulus*: Victricis Mariae Deiparae epinicia etc. Florebat anno 1660. Nominatur ab Hippolyto Marraccio in append. ad bibliothecam Marianam.

Digitized by Google

Frater Paulus Wutschinigg, Germanus, alumnus Provinciae Austriae, sacrae Theologiae Magister, et concionator, necnon in Viennensi Universitate publicus theologicae facultatis professor, et decanus, dicitur ab Ossinger vir excellentissimi ingenii non tantum in disciplinis theologicis, sed etiam in declamandis concionibus. Mortalem vestem exuit anno 1718. Reliquit sermonem de S. Joanne a S. Facundo, imp. et commentaria manuscripta in quinque libros Decretalium.

Frater Pelagius de Ribera, (vulgari transmutatione Pajus) Ferdinandi Ducis de Alcalà Proregis Neapolitani filius, Episcopus Guatemalensis, deinde Mechoacanensis, ac demum Mexicanus, praelo mandavit hispanice tractatum pro immaculata Virginis Conceptione anno 1653. Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, Hippolyto Marraccio, et Christiano Jocher.

Frater Peregrinus de Aderno, Siculus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit pietate, et doctrina conspicuus. Anno 1644 typis edidit italice librum de vera devotione erga Deiparam, et de ejus titulo *de Succursu* revelato nostrati B. Nicolao Bruno.

Frater Petrus Brufferi, natione Germanus, alumnus Provinciae Coloniensis, vixit saeculo 17. Vir in lectione S. P. Augustini plurimus typis evulgavit: *Tractatus tres de meditationibus, soliloquio, et manuali S. P. Augustini.* Ita Ossinger. Florebat anno 1660.

Frater Petrus Clenaertus, Belga, sacrae Theologiae Doctor, Lovanii plurimis annis non sine magno applausu cathedrae theologicae praefuit. Ita Ossinger. Florebat saeculo 17. Praeter theses plurimas typis edidit libellum, cujus titulus: *Susanna innocens de avita depositorum Regularium praxi.*

Frater Petrus de Campo, Granatensis, anno 1637 typis edidit hispanice: I. *Summarium indulgentiarum S. Cinguli*

Digitized by Google

2. *Historiam generalem Eremitarum S. P. Augustini anno* 1640. Laudatur a Nicolao Antonio Hispalensi.

Frater Petrus Damianus Coninck, Belga, sacrae Theologiae Doctor Lovaniensis, Prior Bruxellensis, et Provincialis, vir incomparabilis ingenii, atque in theologicis disciplinis admodum versatus, praelo tradidit anno 1754: 1. *Certamen bonum nostri B. Alphonsi de Orosco.* 2. *Certamen amoris.* 3. *Quodlibeta nostri Aegidii Romani.* 4. *Tractatum de Sacramento Confirmationis nostri Basilii Pontii ab erroribus correctum, anno* 1646. Ex nostrate Ossinger.

Frater Petrus Feroci, sacrae Theologiae Magister, et concionator, anno 1713 typis evulgavit italice brevem narrationem apparitionis imaginis B. Mariae Virginis de Bono Consilio.

Frater Petrus Gerardi, Brabantus, Eremita Augustinianus, vir pie doctus, e D. Augustini operibus florilegium collegit precum, quod inscripsit: *Altare thymiamatis suavissimum Deo odorem spirans, imp. anno* 1631. Ex Jo. Francisco Foppens.

Frater Petrus Hoyndonck, Belga, sacrae Theologiae Doctor, Lovanii studiorum Regens, et postea Prior Antuerpiensis, vir praeclari ingenii, typis edidit: 1. *Tubam Jubilaei.* 2. *Vitam S. Nicolai de Tolentino ex latino in sermonem flandricum transtulit.* Debitum naturae persolvit anno 1725. Ex nostrate Ossinger.

Frater Petrus Jacobus Borsa, Cremonensis, fuit S. Theologiae et Philosophiae publicus Lector, necnon egregius concionator, qui 40 annorum spatio in primoribus Italiae suggestibus verbum Dei praedicavit. Fatis concessit anno 1724 postquam patrii coenobii prioratum tenuisset. Memoratur a Jo. Maria Mazzuchellio, atque a Francisco Arisio. Typis evulgavit italice: 1. *Libellum in laudem S. Joannis a S. Facundo occasione solemnis illius canonizationis.* 2. *Orationem panegyricam de immaculata Deiparae Conceptione.*

Digitized by Google

3. *Aliam in laudem B. Facii civis Cremonensis.* Reliquit etiam M. SS. alias multas orationes panegyricas, et conciones evangelicas.

Frater Petrus Loy, Germanus, sacrae Theologiae Licentiatus, Ordinis Eremitarum S. P. Augustini, et conventus Coloniensis quondam Prior, reliquit: 1. *Additiones manuscriptas ad Anastasim Augustinianam nostri Thomae Gratiani.* 2. *Historiam, seu necrologiam conventus Coloniensis.* Obiit Coloniae anno 1658. Ita Josephus Hartzheim Jesuita in bibliotheca Coloniensi.

Frater Petrus Malon de Chaide, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger excellens poeta, et egregius theologus. Fuit in Caesaraugustana Universitate cathedraticus, atque in ejusdem urbis coenobio prior. Memoratur a Nicolao Antonio Hispalensi, Christiano Jocher, aliisque externis. Florebat circa annum 1600. Typis evulgavit hispanice: 1. *Librum de S. Maria Magdalena, qui continet ejus statum peccati, poenitentiae, et gratiae.* 2. *Scripsit quoque duos tractatus, alterum de S. Petro, et alterum de S. Joanne Apostolis.*

Frater Petrus Manso, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor Salmanticensis, atque in eadem Academia S. Thomae cathedrae moderator, florebat circa initium saeculi 18. Praelo tradidit varia opera latina, quae sunt: 1. *Augustinus sui interpres.* 2. *Augustinus S. vocationis exaltator.* 3. *Augustinus gratiae sufficientis assertor.* 4. *Augustinus gratiae efficacis propugnator.* 5. *De virtutibus infidelium ad mentem Augustini.* 6. *Disput. theol. ad mentem Augustini etc. tom.* 2. 7. *De peccato originali tom.* 2. *et alia.*

Frater Petrus de Otalora, Hispanus, vixit saeculo 17. B. V. Mariae amator, et cultor insignis typis mandavit sermonem pro immaculata Conceptione ejusdem B. V. Mariae anno 1633. Ita Ossinger. Nominatur ab Hippolyto Marraccio, et Petro de Alva.

Digitized by Google

Frater Petrus Ranterus, natione Germanus, patria Belga, alumnus Provinciae Gallo-Belgicae, filius coenobii Hyprensis, vixit saeculo 17. Vir bonarum litterarum cognitione conspicuus in lucem publicam emisit: I. *Thesaurum devotionis Marianae.* 2. *Eustachium patientem.* Ita fere Ossinger ex Nicolao Tombeur.

Frater Petrus Salguero, Hispanus, alumnus Provinciae Peruanae, vir magna scientia, ac spectata vitae ratione praeditus, typis evulgavit hispanice vitam nostratis V. Didaci Besalanque anno 1664.

Frater Petrus Simanca, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, atque publicus ejusdem facultatis in Granatensi Universitate professor, vir multa theologica scientia instructus, atque insigni morum probitate praeditus, summa erga immaculatam Deiparae Conceptionem pietate omnes in sui admirationem convertit. Praelo mandavit anno 1640. I. *Opusculum de immunitate B. V. Mariae a peccato originali, et a debito illud contrahendi.* 2. *Alterum* 1645 *ad Innocentium* X. *circa idem objectum, hispanice.* Laudatur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Petrus de Vos, nobilis Batavus, vir fuit pietate, moribus, ac doctrina spectabilis, qui soli coelo, choro, et cellae vixit. Pluries priorem egit, et provincialem, atque annos 12 Missionis Hollandicae praefectum. Ad meliorem vitam transivit anno 1678, aetatis suae 73. Recensuit, ac simul reimprimi curavit anno 1643 opera omnia Jeremiae Drexelii Societatis Jesu, 2 tomis in folio. Ex Jo. Francisco Foppens.

Frater Philippus Abreu, nobilis Lusitanus, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger philosophus insignis, excellens theologus, et historicus accuratus. Obiit Conimbricae anno 1659 aetatis suae 59. Nominatur a Didaco Barbosa Machado, atque a Christiano Jocher. Scripsit: I. *Commentarium de scala Jacob, in quo memorabilia Portugalliae*

Digitized by Google

exposuit. 2. *De adoratione, et dotibus gloriosis.* 3. *Opusculum cui titulus:* David princeps perfectus.

Frater Philippus de la Gandara, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, fuit Regnorum Legionis, atque Galleciae historiographus generalis regius, qui sermone patrio plurima elucubravit opera praesertim historica, atque genealogica. Sunt autem: I. *Palmae, et triumphi ecclesiastici Regni Gallaeciae.* 2. *De nobilitate, armis, triumphis, gestis heroicis etc. ejusdem Regni.* 3. *Memoriale genealogicum domus de Caldero, et alia, quae notantur apud nostratem Ossinger.* Laudatur etiam a Nicolao Antonio Hispalensi, Christiano Jocher, atque Gerardo Ernesto de Frankenau.

Frater Philippus a Petrillo, Calaber, S. Theologiae Bacc. anno 1649 obiit cum opinione sanctitatis. Is postquam plures annos rerum divinarum contemplationi, orationibus, jejuniis, humilitati, ac patientiae sedulam operam dedisset, tandem cum decumberet proximus morti, et qui ei assistebant ad animae commendationem somno correpti fuissent, inventus est obtectus tunica ante Crucifixi imaginem in genua provolutus, atque rosarium manibus tenens. Ex Ordinis registris.

Frater Pomponius Rozzonus, Bergomensis, dicitur a nostrate Ossinger vir summae auctoritatis, et virtutis, in SS. Patrum lectione plurimus, praestantia ingenii paucis aequandus, in disserendo de scholasticis quaestionibus longe acutissimus, et ad stuporem facundus. Decessit anno 1597. Laudatur etiam a Philippo Argelati. Typis edidit opus cui titulus: *Contemplatio in divinam, et symbolicam visionem rotarum Ezechielis Prophetae.*

Frater Prosper Antonius Rossi, Parmensis, eximius fuit amoenarum litterarum cultor, ac praesertim poesis. Quamobrem praecipuorum sui temporis litteratorum amicitia honestatus fuit. A Ranuccio Farnesio Duca Parmensi Rhetoricae praeceptor in oppido Burgi Vallis Tari constitutus,

Digitized by Google

ibidem Academiam *Accensorum* instituit. Claruit etiam insignis concionatoris fama, fuitque socius Academiae *Apatistarum* Florentiae, et *Vigilantium* Genuae. Florebat anno 1682. Reliquit quaedam poetica, quae videri possunt apud nostratem Gandolphum in suis Floribus poeticis.

Frater Prosper Cherle, Bavarus, fuit theologus, et historicus magni nominis. Plurics Monachii priorem egit, atque insuper illius Provinciae primatum obtinuit. Vivis defuit anno 1686. Typis edidit germanice: 1. *Eremum thaumaturgam S. P. Augustini, idest brevem synopsim historiae S. Patris, et fundati ab ipso Ordinis cum vitis aliorum Sanctorum, ac Beatorum utriusque sexus ejusdem Ordinis.* 2. *Manuale miraculorum thaumaturgae statuae B. V. Mariae, quam nostrates in nostra Monachiensi Ecclesia venerabantur.*

Frater Remigius Simon, Gallus, quem noster Maigretius e Ducatu Barensi, et ex oppido Salmenensi oriundum facit, cum e suggestu multa acriter in haeresim dixisset, ab haereticis propterea ad publicam de fide disputationem contra quemdam Jo. Baptistam Chattelet provocatus fuit. Certamen non extimuit fortissimus Christi miles, atque ubi in arenam descendit, ita adversarium devicit, ut quidam hujus consanguinei ejus ignominiam aegre ferentes hujusmodi maculam victoris sanguine detergendam esse putarint. Quamobrem insontem coenobitam (1614) vulneribus opprimunt, ac impiissimis gladiis perimunt. Ex nostrate Crusenio in Monastico.

Frater Richardus Stang, Hibernus, sacrae Theologiae Doctor, variis apprime linguis eloquens, et eapropter oppressus in Hibernia moritur. Tergemina Provinciae dignitas, et libri innumeri gloriosi senis innocentiam loquuntur. Ita iisdem verbis Sanguinea Eremus.

Frater Romondus O'Malis, Hibernus, legioni a sacris erat, hac fusa, et profligata pro grege succedanea victima mactatur. Nam ab haereticis comprehensus lacerato corpore interemptus fuit. Ex praefata Sanguinea Eremo.

Digitized by Google

Frater Sebastianus Ammianus, Fanensis, Ordinis Secretarius, qui florebat post medietatem saeculi 16. typis evulgavit: 1. *Quatuor tomos sermonum praedicabilium quibus italice docetur modus quo christianus vivere debeat.* 2. *Doctrinam christianam et catholicam.* 3. *Christianam institutionem virtutum et vitiorum.* Duo haec postrema opera habentur latine. Singula sunt praedicatoribus utilia.

Frater Sebastianus a Campodorato, Calaber, obiit anno 1651 cum fama, et odore sanctitatis. Ex registris Ordinis.

Frater Sebastianus Garzia, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, atque in Valentina Academia publicus ejusdem facultatis professor, fuit etiam qualificator S. Officii, atque visitator bibliothecarum Valentiae, Aragoniae, et Catalauniae. Dicitur ab Ossinger graecae, hebraicae, et latinae linguae peritissimus. Somnum mortis cepit anno 1633. Praelo tradidit duas orationes in laudem Philosophiae. Celebratur a Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Sebastianus Manriquez, Lusitanus, qui multos annos in regionibus orientalibus missionarium egit, cum Romae suae Provinciae procurator degeret praelo tradidit patrio sermone Itinerarium missionum in India orientali cum summaria relatione magni, et opulenti Mogolis Imperii, et aliorum Regnorum, in quibus missionarii nostri Ordinis degebant. Ex hac vita migravit anno 1669 cum Londinum versus iter faceret. Nominatur a Didaco Barbosa Machado, Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Sebastianus de Portillo, Hispanus, sacrae Theologiae Magister, Studiorum moderator, ac prior in coenobio Salmanticensi, examinator synodalis, atque Ordinis chronologus, circa medietatem saeculi 17 scripsit hispanice vitas Sanctorum, Beatorum, et Venerabilium totius Ordinis nostri, opus in quatuor tomos divisum, quod anno 1731 praelo mandavit noster P. Mag. Franciscus de Avila Hispaniarum, atque Indiarum Assistens generalis.

Digitized by Google

Frater Severinus de Bohemia, fuit egregius pictor. De hoc ita legitur apud nostratem Antoninum Hohn: Circa hoc tempus (1684) P. Severinus e Provincia Bohemiae ad nos veniens artificioso penicillo Sanctos Ordinis pingit, quas imagines adhuc in peristylio Herbipoli appensas, qui vident, admirantur.

Frater Sigismundus Buttner, Germanus, alumnus Provinciae Rheno-Svevicae, sacrae Theologiae Magister, vir clarus meritis, ac doctrina anno 1734 electus fuit Provincialis. Ad posteros per praelum transmisit. I. *Dissertationem de peccato originali.* 2. *De Hierarchia ecclesiastica.* 3. *Tractatum contra quosdam, qui sententiam nostram de attritione cum benevolo amore initiali conjuncta impugnabant.*

Frater Simon de Castelbranco, Lusitanus, vir S. Scripturae scientia clarus, rhetor insignis, et concionator suae aetatis eloquentissimus, patrio sermone typis mandavit vitam S. Joannis a S. Facundo anno 1669. Nominatur a Didaco Barbosa Machado, Nicolao Antonio Hispalensi, et Christiano Jocher.

Frater Simon de Florentia commendatur apud Julium Negri cum propter raram doctrinam, tum propter insignem probitatem. Interfuit Concilio Tridentino cum nostrate Cardinali Seripando, atque ibidem immortale sibi nomen comparavit. Ad meliorem vitam transivit anno 1568. Habentur impressae binae illius orationes, una latina, et altera italica, quas in praefato Concilio recitavit.

Frater Simon a Gratia, Lusitanus, alumnus Provinciae Indiarum Orientalium, fuit Lector, atque Prior coenobii Goensis. Decessit anno 1682. Nominatur a Didaco Barbosa Machado. Scripsit patrio sermone: I. *Sermones panegyricos* 13 *de variis Sanctis, imp.* 2. *Conciones quadragesimales imp.* 3. *De origine, extensione, et propagatione Augustinianae Religionis per Indias Orientales.*

Frater Simon Sixtus, Neapolitanus, sacrae Theologiae Magister, floruit saeculo 17. Typis evulgavit librum, cui ti-

Digitized by Google

tulus: *Trattato del Cielo di Maria Vergine Madre di Dio ecc.* Nominatur a Nicolao Toppio, et Christiano Jocher.

Frater Simplicianus Watzel, Bohemus, sacrae Theologiae Magister, vir fuit in S. Scripturae lectione egregie versatus, atque insignis sui temporis concionator. Decessit anno 1755. Scripsit germanice: I. Dominicale et festivale sub titulo: *Augustinus praedicans*, quem titulum ideo operi suo praefixit, quia praeter S. Scripturae textus nonnisi sententias S. P. Augustini dictae conciones in se continent. 2. *Orationes panegyricas*, *quae praelo jam paratae erant*, *easque publici juris fecisset, si morte non fuisset surreptus.* Ita Ossinger.

Frater Spiritus Lazarini, Perusinus, sacrae Theologiae Magister, vir doctrina, atque pietate erga Deiparam maxime clarus, florebat saeculo 17. Typis edidit italice: *Bilancium Conceptionis B. Mariae, intactae virginitatis fecundae, Maternitatis immaculatae, necnon roboris pacifici, et bellici.* Nominatur ab Augustino Oldoino, et Hippolyto Marraccio.

Frater Stephanus Arbinoti, Florentinus, doctrinae nomine celebratur a Joanne Cinellio, Antonio Magliabecchio, atque Julio Negri. Anno 1609 typis tradidit elegantem orationem latinam in laudem Ferdinandi Medicei III. Hetruriae Ducis.

Frater Stephanus Fachinelli, Venetus, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger concionator famosissimus, atque theologus celeberrimus. Typis evulgavit italice librum orationum panegyricarum anno 1717.

Frater Stephanus de Lancier, Belga, non minus doctrina, quam pietate resplenduit saeculo 17. Praelo tradidit anno 1634 opus cui titulus: *Origo magnitudinum Majestatis Reginae Coelorum, seu Matris Dei, et divinae misericordiae.* Memoratur etiam a Jo. Francisco Foppens.

Frater Stephanus Musotti, Bononiensis, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger insignis humanista, poeta, et rhetor, qui praelo tradidit varias elegantes orationes, et quaedam carmina cum latina tum italica. Florebat saeculo 17.

Digitized by Google

Frater Thaddaeus Benedictus de Foro Sempronii, alumnus Provinciae Anconitanae, florebat doctrina atque pietate saeculo 17. Typis edidit meditationes super sacrificio Missae.

Frater Thaddaeus de Bononia, alumnus Congregationis Insubricae, sacrae Theologiae Magister, dicitur ab Ossinger vir moribus, disciplinis theologicis, et perorandi arte conspicuus, qui duas elegantes typis edidit orationes, unam nempe in laudem Emi Card. Alexandri Riarii imp. anno 1585 et alteram de Emo Card. Montelbaro imp. anno 1590. Nominatur etiam a Joanne Maria Mazzuchellio.

Frater Theodosius de Cunha, Lusitanus, sacrae Theologiae Doctor Conimbricensis, in eadem Universitate anno 1718 erat expositor S. Scripturae, et 1726 professor publicus theologicae facultatis. Fuit etiam Provincialis. Obiit anno 1742 aetatis suae 80. Nominatur a Didaco Barbosa Machado. Scripsit: 1. *Prooemialia Theologiae universae.* 2. *Tractatus de Incarnatione, de adoratione, deque resurrectione, et alia*

Frater Theodoricus Fizen, Belga, sacrae Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger vir singulari magnitudine ingenii, morumque integritate praeditus, ac in SS. Patrum lectione plurimus. Anno 1631 erat Prior Leodiensis, et professor in Abbatia ad S. Jacobum. Scripsit commentaria in Jonam Prophetam.

Frater Theodoricus Degen, Germanus, alumnus Provinciae Bavaricae, vitae probitatem cum litterarum studio conjunxit. Hanc reliquit lacrymarum vallem anno 1637. Praelo tradidit Martyrographiam Augustinianam nostratis Georgii Maigretii a se ipso in linguam germanicam translatam.

Frater Thomas de Antillon, Hispanus, sacrae Theologiae Doctor, atque Caesaraugustae professor publicus, praeter theologicam scientiam claruit etiam insignis concionatoris fama. Fuit Aragoniae Provincialis. Circa annum 1614 e lingua lusitana traduxit in hispanicam typisque mandavit tractatus quadragesimales Fr. Antonii Feo Dominicani.

Digitized by Google

Nominatur a Nicolao Antonio Hispalensi, Vincentio Blasco, et Christiano Jocher.

Frater Thomas Bouges, Gallus, alumnus Provinciae Tolosanae, sacrae Theologiae Magister, typis edidit gallice: 1. *Dissertationem historicam, et polemicam de septuaginta Danielis hebdomadibus.* 2. *Historiam ecclesiasticam, et civilem civitatis, et dioecesis Carcassonis.* Florebat initio saeculi 18.

Frater Thomas Cervioni de Monte Alcino, Hetruscus, sacrae Theologiae Magister, qui fuit Archiepiscopus Lucensis, postea Episcopus Faventinus, ac tandem Sacrarii Pontificii Praefectus, et Episcopus Porphyriensis, typis edidit italice: 1. *Orationem cui titulus*: La dilazione del premio fatta argomento del merito. 2. *Tragoediam cui titulus*: Il Manasse. 3. *Poemata varia.* Decessit anno 1741.

Frater Thomas Ortiz, Hispanus, Provincialis in insulis Philippinis, anno 1740 typis evulgavit Catechismum doctrinae christianae lingua tagala, atque hispanica exaratum.

Frater Thomas Plantullus, Neapolitanus, sacrae Theologiae Bacc. vir litteras politiores egregie doctus, inter oratores sui temporis primatum habuit. Reliquit sexdecim orationes panegyricas de Sanctis Augustinianis impressas Neapoli anno 1701 sub hoc titulo: *Il primo mobile con più cieli inferiori etc. riscontrato ne'Santi Agostiniani.*

Frater Thomas de Simeonibus, a Monte-Leone, sacrae Theologiae Magister, ac Aemiliae Provincialis, anno 1692 typis edidit latinam dissertationem historicam de non confundenda Anicia Faltonia Proba, et Valeria Faltonia Proba.

Frater Tiburtius Massainus, Cremonensis, dicitur ab Ossinger celeberrimus suae aetatis musicus, atque Rudolpho Imperatori acceptissimus. Fuit praefectus Musices in nostra Romana Ecclesia S. Mariae de Populo. Quae typis evulgavit, sequentia sunt prout apud praefatum Ossinger notantur, nimirum: I. *Sacri modulorum concentus, qui impressi fuerunt Senis, et Venetiis anno* 1592. 2. *Musica super threnos*

Digitized by Google

Jeremiae in quinque vocibus, imp. Venetiis 1599. 3. *Quartus liber Madrigalium, imp. Venetiis* 1594. Laudatur a Francisco Arisio in Cremona litterata, atque a Georgio Draudio in Bibl. classica.

Frater Tiburtius Mercati, Florentinus, laudatur a Julio Negri, atque a Joanne Cinellio in numero scriptorum saeculi 17. Habetur typis edita ejus oratio anniversaria in funere illustris, et admodum rev. D. Miniatis presbyteri Miniatensis latino sermone exarata. Nominatur etiam a nostrate Ossinger.

Frater Vincentius du Pre, Belga, sacrae Theologiae Doctor, anno 1644 typis edidit librum cui titulus: *Flammulae amoris B. Clarae de Montefalco in fornace Dominicae passionis succensae etc.* Ex Elssio.

Frater Vincentius a Porretta, Pistoriensis, in ejiciendis spiritibus nequam ab obsessis, et curandis eorum maleficiis mirificus fuit. Obiit Liburnii anno 1653.

Plures recensentur in Bibliotheca Augustiniana nostratis Joannis Felicis Ossinger, quae extat Romae in nostra Angelica, atque apud alios auctores.

CATALOGUS PRIORUM GENERALIUM

Anno 1661 Paulo Luchini de Pisauro Romae successit Petrus Lanfranconius de Ancona.

1667. Item Romae Religionis gubernaculum commissum fuit Hieronymo Valvasorio Mediolanensi, cui Patres ibidem congregati anno 1673 suffecerunt Nicolaum de Oliva Senensem.

1685. Comitia generalia pariter Romae habita ad supremum Ordinis fastigium evexerunt Fulgentium Travalloni de

Digitized by Google

Montelparo, cujus locum anno 1693 (Romae) obtinuit Antonius Pacini de Ravenna.

1699. Bononiae eligitur Nicolaus Serani de Aquila, post quem anno 1705 Ordinis regimen suscepit (Romae) Adeodatus Nuzzi ab Alto-Muro.

1711. Romae electus fuit Adeodatus Summanticus a Foggia, cui ad Episcopatum S. Severi in Apulia evecto anno 1717 Vicarii Apostolici nomine successit V. Franciscus Maria Querni Ligur.

1720. V. Querni Ordinis habenas sponte dimisit, easque Vicarii Apostolici titulo iterum recepit praefatus Adeodatus Nuzzi, in cujus locum anno 1721 Romae suffectus fuit Thomas Cervioni de Monte Alcino.

1727. Perusiae Patres elegerunt Fulgentium Bellelli de Buccino, eique anno 1733 successit (Romae) Nicolaus Antonius Schiaffinati Neapolitanus.

1739. Arimini universi Ordinis cura demandata fuit Felici Leoni a Juvenatio, cui Bononiae 1745 successit Augustinus Gioja electus ad vitam.

1751. Post mortem Augustini Gioja Ordinis regimen Vicarii generalis nomine suscepit Franciscus Xaverius Vasquez Peruanus, qui Bononiae anno 1753 in officio confirmatus fuit ad vitam, vixitque usque ad annum 1785.

SACRARII PONTIFICII PRAEFECTI

Anno 1655 Thaddaeo Altini, qui jam ab anno 1652 Fescenniae, atque Hortae Episcopus constitutus fuerat, abdicante, Sacrarii Pontificii Praefecturam obtinuit Ambrosius Landucci Senensis, Prior S. Augustini de Urbe, et Vicarius generalis Congregationis Ilicetanae, ab Alexandro VII eodem anno Episcopus Porphyriensis inauguratus.

Digitized by Google

1669. Landuccio vita functo successit Joseph Eusani Aquilanus, insignis theologus et concionator, Vicarius generalis Congregationis Perusinae, Procurator generalis Ordinis, atque in Romano Athenaeo S. Scripturae professor, qui a Moronio dicitur vir plenus modestia, probitate, et doctrina. A Clemente IX electus fuerat Episcopus Elenopolitanus, quam tamen infulam anno 1672 jubente Clemente X, cujus erat confessarius, cum Porphyriensi commutavit.

1692. Mortuo Josepho Eusani Innocentius XII Sacrarii Pontificii curam commisit Petro Lamberto le Drou Belgae, cui etiam Porphyriensem infulam tradidit.

1712. Lamberto le Drou abdicante Clemens XI Sacristam elegit propinquum suum Nicolaum Augustinum Olivieri de Pisauro, S. Augustini de Urbe Priorem, atque insignem concionatorem, quem anno 1714 creavit Episcopum Targensem. Postea vero factus fuit Episcopus Porphyriensis, atque Canonicus Lateranensis.

1731. Nicolao Augustino Olivieri vita functo, ex Archiepiscopo Lucensi a Clemente factus fuit Sacrista atque Episcopus Porphyriensis Thomas Cervioni de Monte Alcino, qui decessit anno 1741, eique a Benedicto XIV suffectus fuit Silvester Merani Genuensis, qui etiam inauguratus fuit Episcopus Porphyriensis. Vixit usque ad annum 1764.

CARDINALES, PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI AUGUSTINIANI, QUI FLORUERUNT QUINTO SAECULO POST UNIONEM.

Adeodatus Summanticus a Foggia Ep. S. Severi in Apulia 1717.
Alphonsus Dominguez Hispanus Ep. Monopolis 1704.
Alvarus Venavente Hispanus Ep. Ascalonensis et Vic. Gen. Apost. in provincia Kiangsi Imperii Sinarum 1696.

Digitized by Google

Angelus Maria Marculli de Gravina Ep. Civitatis Ducalis 1742.
Antonius Botado Hispanus Ep. Hipponensis, et Suff. Bracarensis 1704.
Antonius ab Incarnatione de Olinda Ep. S. Thomae Meliaporensis in Indiis Orientalibus 1745.
Antonius a S. Josepho Lusitanus Ep. S. Ludovici de Maragnano in Indiis Orientalibus 1756
Apollinaris Peruzzini de Foro Sempronii Ep. ejusdem civitatis 1755.
Augustinus de Eura Hispanus Ep. Orensis 1738.
Barnabas de Castro Hispanus Arch. Brundusii 1704.
Bernardinus Ciani Senensis Ep. Montis Alcini 1727.
Bernardinus Rodriquez Hispanus Ep. Accitanus 1652.
Christophorus Almeyda Lusitanus Ep. Targensis 1669.
Christophorus Sylveria Lusitanus Arch. Goanus 1669.
Coelestinus Brunus Neapolitanus Ep. Boviani 1664.
Coelestinus Labonia Ep. Montis-Marani in Regno Neapolitano 1704.
Didacus Fermin Castellanus Ep. Popayanensis 1733.
Dominicus Valvasorius Mediolanensis Ep. Gravinae in Apulia 1689.
Emmanuel Terzero Hispanus Ep. Icosii in Africa 1728.
Emmanuel Franciscus de Zuniga Lusitanus Ep. Civitatis Roderici 1704.
Felix Leoni a Juvenatio Ep. Abellini et Friquenti 1745.
Ferdinandus Sanchez de Cuellar Ep. Agrigenti 1653.
Franciscus de Figueroa Hispanus Ep. Tropeae in Calabria 1684.
Franciscus Hipensa Hispanus Ep. Ilerdae 1716.
Franciscus de Gamboa Ep. Cauriensis in Hispania 1660.
Franciscus Lopez de Urraca Hispanus Ep. Bosae in Sardinia 1670.
Franciscus Ortega, Hispanus, Epis. Novae Caceres in Philippinis 1601.
Franciscus de Rocha Troes Indus Orientalis Ep. Pechini 1726.

Digitized by Google

Franciscus Zamudio, Hispanus, Epis. Novae Caceres 1693.
Fulgentius Arminius Monfortis Neapolitanus Ep. Nuscensis 1669.
Gaspar Molina Hispanus Cardinalis et Ep. Malachae 1737.
Gaspar de Molina y Rocha Hispanus Ep. Almeyrae 1741.
Guilelmus Guirialons Hispanus Ep. Ilerdae in Catalaunia 1704.
Henricus Noris Veronensis Cardinalis 1695.
Hiacynthus le Blanc Gallus Ep. Joppes 1728.
Hieronymus a S. Josepho Lusitanus Ep. Tipasae et Suff. Eborensis 1752.
Hieronymus Valvasorius Mediolanensis Ep. Pisauri 1677.
Ignatius de Padilla Mexicanus Arch. insulae S. Dominici 1743.
Ignatius de la Zerda Hispanus Ep. Aquilae 1682.
Joannes Baptista Sicardus Hispanus Ep. Boni Aeris 1705.
Joannes Chrysostomus Bianchi Neapolitanus Ep. Nazarenus 1726.
Joannes de Arguellas Ep. Panamae in Peruvia 1704.
Josephus Guerrero de Torres Hispanus Ep. Cajetanus in Regno Neapolitano 1704.
Josephus Lainez Ep. Solsonensis in Catalaunia 1667.
Josephus de Olivera Lusitanus Ep. Angolae in Africa 1704.
Josephus Sicardus Hispanus Arch. Sassaritanus, et Primas Sardiniae 1704.
Laurentius Ibannez Hispanus Ep. Tropcae in Calabria 1696.
Marcus Forstal Hibernus Ep. Kildarae 1676.
Marcus Rama Ep. Cotronensis in Regno Neapolitano 1704.
Martinus de Ixar Ep. Conceptionis in regione Cilensi 1704.
Michael de Tavora Lusitanus Ep. Eborensis 1739.
Nicolaus Antonius Schiaffinati Neapolitanus Ep. Insulae Aenariae 1738.
Nicolaus Oliva Senensis Ep. Cortonae 1677.
Paulus Naldini Patavinus Ep. Civitatis Novae in Istria 1704.
Pelagius de Ribera Hispanus Ep. Guatimalensis, postea Mechoacanensis, ac tandem Arch. Mexicanus 1672.

Digitized by Google

Petrus de Foyos Lusitanus Ep. Rodiensis, et Suff. Ulyssiponensis 1704.

Petrus Lanfranconius Anconitanus Ep. Interamnae 1667.

Petrus Muligan Hibernus Ep. Ardaghensis 1733.

Philippus Vicecomes Mediolanensis Ep. Catacensis in Regno Neapolitano 1657.

Placidus Bayles Hispanus Ep. Oscae 1738.

Sebastianus de Foronda, Hispanus, Episc. Calydoniensis, et Administrator Dioecesis Nominis Jesu in Philippinis 1718.

Sebastianus Varella Lusitanus Arch. Goanus 1678.

Thaddaeus Altini Camers Ep. Fescenniae, et Hortae 1656.

Thomas Cervioni de Monte Alcino Arch. Lucensis 1731.

Thomas de Pareres Hispanus Ep. Claudiopolitanus, et Suff. Granatensis 1660.

SANCTIMONIALES AUGUSTINIANAE, QUÆ HOC QUINTO SAECULO EREMITARUM ORDINEM SANCTITATIS GLORIA HONESTARUNT.

V. Agnes de Cruce, Hispana, claruit insigni orationis spiritu, atque singulari amore castitatis; quamobrem pluribus coelestibus deliciis atque visionibus dignata fuit. Frequenter in ecstasim rapiebatur, ac ipsum Christum Dominum modo in Deiparae sinu, modoque in eucharisticis speciebus palam intueri promeruit. Ob specialem praerogativam puritatis adhuc vivens coelestem quemdam odorem e suo corpore exhalabat. Fuit praeterea exemplar patientiae, atque poenitentiae, quas heroicas virtutes jam inde a puera omni studio sectari coepit. Praecepta Dei custodiendi adeo sollicita fuit, ut votum emiserit nulla omnino peccata quamvis venialia deliberate perpetrandi; quae sane eximia nostrae Agnetis vitae sanctitas divino Sponso ita placuit, ut inter

Digitized by Google

coetera gratiarum munera etiam suorum cruciatuum participem illam reddiderit. Tandem prophetiae dono illustris ad supernam patriam evolavit anno 1631. Ex Diario Sanctorum nostratis Augustini Arpe.

V. Barbara Mosqui, Polona, natalium splendorem cum singulari pietate conjunxit. Cum Maria Archiducissa ipsius nepte in Moscoviam profecta, ibidem a nostrate V. Nicolao de Melo martyre Augustinianum habitum accepit, ac deinde propter fidei confessionem variis modis a schismaticis exagitata, atque in Persidem exulare coacta, tandem Astracani comprehensa, invicta martyr cremari maluit, quam catholicam fidem deserere, anno 1615. Ex nostrate Georgio Maigretio.

Catharina de Medicis, Ferdinandi I. Magni Hetruriae Ducis filia, et Ferdinandi Gonzagae Ducis Mantuani uxor, cum in ipso conjugali statu austeriorem religiosae vitae tenorem secuta fuisset, post viri obitum Senis inter Augustinianas se recepit, ibique sancto fine quievit anno 1629.

V. Catharina de Trinitate, Hispana, fundavit, rexitque 18 annos monasterium Benigamin prope Valentiam, in quo tam arcto charitatis vinculo ita se Deo conjunxit, ut nulla unquam ratione ab hujusmodi sui intima cum Deo unione avelli potuerit. Summopere virginitatem dilexit; ac proinde saepe promeruit ut cum a Christo Jesu, tum a Deipara Virgine visitata, atque coelesti consolatione recreata fuerit. In ecstasim aliquando rapta praevidit sui monasterii futurum splendorem, simulque divinitus agnovit omnes et singulas sibi subjectas moniales scriptas esse in libro vitae. Quadam die Christus Dominus apparens ei dixit: *Catharina praebe mihi cor tuum, quoniam in illo sunt deliciae meae.* Praeterea coelestis sponsus in signum amoris donavit illi ut suae passionis dolores in suis membris experiretur, eique etiam permisit, ut ex aperto sui lateris vulnere fluenta aquae salientis in vitam aeternam potaret. Ad regias Agni

Digitized by Google

dapes tandem gloriosa migravit anno 1662. Ex praefato Diario Sanctorum nostratis Augustini Arpe.

Cornelia Adricomia, Batava, velata Ord. D. Augustini, generis nobilitate, et sacrae Poeseos studiis clarissima, psalmos davidicos carmine reddidit, aliaque pia scripsit poemata, cujus eruditum ingenium admiratus est Jacobus Faber Stapulensis. Ita fere Franciscus Swertius in Athenis Belgicis, ubi etiam affert hoc elegans epitaphium ab illa ad sui ipsius sepulcrum exornandum concinnatum:

Corpus humo, Superis animam Cornelia condo,
Pulverulenta caro vermibus esca datur.
Non lacrymas, non singultus, tristesque querelas,
Sed Christo oblatas jam precor umbra preces

V. Elisabetha de Neapoli, Mantellata Ordinis nostri, vitam innocenter, atque in summa austeritate traduxit. Aliquando etiam per plures hebdomadae dies ab omni prorsus cibo abstinebat. Vivens, ac post mortem miraculis coruscavit. Ad superos evolavit anno 1621.

V. Magdalena Ribera, Hispana, ita ab incunabulis usque ad decrepitam 87 annorum aetatem pie sancteque vixit, ut nullum unquam ne veniale quidem peccatum deliberate commiserit. Claruit scrutatione cordium, arcanis ecstasibus, supernisque visionibus, quas inter ipsum Christum Dominum in Eucharistia palam intueri promeruit. Ad haec instar B. Ritae de Cascia quavis feria sexta tormenta passionis Christi degustavit. Ad coelos evolavit anno 1705. Ex laudato Diario Sanctorum nostratis Augustini Arpe.

V. Mariana de S. Simeone, Hispana, adhuc in saeculo degens tantae extitit sanctitatis ut virginitatis florem Domino sacrarit, ab eoque vicissim sublimibus ecstasibus dignata fuerit. In monasterio autem evasit consororibus exemplar orationis et abstinentiae, ac caeterorum hujusmodi bonorum operum, cum votum etiam emiserit id semper faciendi quod magis perfectum esse, atque ad majorem Dei gloriam

Digitized by Google

conducens intelligeret. Hinc angelicis moribus vivens familiares quoque angelos habere promeruit. Tandem ad coelestem Sponsum migravit anno 1631 ante et post obitum miraculis illustris.

Valentina Pinella, Genuensis, monialis S. Augustini, in coenobio Hispalensi, quam non minus a scientiis, quam a pietate sanctisque moribus celebrare possemus, sine doctore doctissima, coelitus instructa anno primo praesentis saeculi (17) publicae luci (per praelum) commisit hispanice de laudibus S. Annae Parentis Matris Dei, Joachim S. conjugis, Deiparae, ac Josephi sponsi, ut testatur Raphael Sopranus in suo Syllabo, et Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica. Ita Augustinus Oldoinus in Athenaeo Ligustico. Testatur insuper laudatus Nicolaus Antonius Hispalensis quod etiam sacra carmina pangere solebat.

FINIS QUINTI SAECULI.

Digitized by Google

APPENDIX

DE ORIGINE VARIARUM AUGUSTINIANI ORDINIS CONGREGATIONUM

Augustiniana Religio, quae saeculo Ecclesiae decimotertio sub Pontifice Alexandro IV. ex compluribus inter sese regimine distinctis Congregationibus in unum magnum corpus sub uno tantum communi omnium capite collecta fuerat, decursu temporis cum jam copiosa ejus religiosa proles usque ad triginta circiter coenobitarum millia per omnes terrae plagas in coenobiis plusquam bis mille diffusorum mirum in modum excrevisset, in alias subinde Congregationes iterum dividi coepit, quae tamen contra antiquarum morem cum supremo totius Ordinis Moderatore, si Saxonicam excipias, unitatem regiminis perpetuo servarunt. Quoniam autem major istarum Congregationum pars propter iniquas temporum vicissitudines jam penitus evanuerunt; idcirco ne ipsa quoque illarum nomina oblivione conterantur, operae pretium existimavi earumdem saltem originem hic breviter adnotare. Itaque sit:

1. Celeberrima Ilicetana Congregatio, sic dicta a coenobio Iliceti in pago Senensi inter medios ilices sito, exordium sumpsit anno 1387 opera P. Rm̃i Generalis Bartholomaei Veneti, qui ejusdem primum Vicarium generalem constituit B. Nicolaum de Ceretanis nobilem Senensem. Haec Ilicetana Congregatio innumeros edidit viros sanctitate praestantes. Constabat coenobiis 8.

2. Congregatio S. Joannis ad Carbonariam sic appellata a Neapolitano hujus nominis coenobio, instituta fuit circa annum 1400 a B. Christiano Franco de Pedemontio,

Digitized by Google

qui hujusmodi opus inceptum a B. Matthaeo de Interrocrea ad complementum perduxit. Haec Congregatio adhuc viget. Illi remanent coenobia 4.

3. Congregatio Perusiae instituta fuit in Perusino S. Mariae Novellae coenobio anno 1419 per Augustinum de Favaronibus Romanum, Ordinis Generalem, qui eidem praefecit B. Matthaeum de Interrocrea. Recensuit coenobia 10.

4. Congregatio Insubriae, quae doctissimos alumnos enutrivit, exordium habuit Cremae circa annum 1440 jussu Rm̃i P. Generalis Gerardi de Arimino, atque opera B. Gregorii de Cremona, qui fuit primus illius Vicarius generalis, quique adjutores habuit BB. Joannem Rochum de Portiis nobilem Papiensem, atque Joannem de Novaria. Habebat coenobia circiter 70.

5. Congregatio de Observantia Hispaniae exorta est circa annum 1430 per B. Joannem de Alarcon in coenobio Nueblae quinque circiter milliaria ab urbe Vallisoleti dissito, cujus etiam civitatis coenobium paullo post novae Congregationi se adjunxit. Haec Congregatio anno 1505 iterum in Provinciam (Castellae) redacta fuit.

6. Congregatio Montis Ortoni anno 1436 erecta fuit prope Patavium in eo loco ubi insignis quaedam atque prodigiosa Deiparae imago inventa fuerat, per celeberrimum B. Simonem, alias Simonetum de Camerino, qui etiam primus fuit illius Vicarius generalis. Ejus coenobia fuerunt 6.

7. Congregatio de Saxonia, unde Martinus Lutherus prodivit, circa annum 1440 initium duxit a fr. Simone Lindner, licet postea nomen sumpserit a V. Andrea Proles, qui illam circiter quadraginta annos moderatus fuit. Haec Congregatio circa annum 1500 a Generalis jurisdictione se exemit.

8. Congregatio S. Mariae Consolationis de Genua, alias Baptistinorum, fundatorem habuit circa annum 1470 V. Joannem Baptistam Poggium Patritium Genuensem, qui etiam fuit primus illius Vicarius generalis. Haec Congregatio non

Digitized by Google

paucos protulit viros doctrina percelebres, inter quos potissimum eminent Joannes Baptista Cotta a Tenda, et Angelicus Aprosius de Vintimilio, licet hic postremus alibi errato dictus fuerit Congregationis Insubricae. Huic Congregationi obtemperabant coenobia 25.

9. Congregatio Dulcetana, sic nuncupata ab oppido Dulceti in Apulia, anno 1487 institutorem habuit V. Felicem de Curtiano Apulum, qui vir fuit non minus pietate quam doctrina illustris. Illi subjacebant coenobia 11.

10. Congregatio Zampanorum ortum habuit Zampani in Calabria circa annum 1500 per B. Franciscum de Zampano, qui Zampanense coenobium a fundamentis extruxit. Haec Congregatio per utramque Calabriam ita coenobiorum numero excrevit ut in binos Vicariatus partiri debuerit. Habuit coenobia circiter 40.

11. Congregatio Dalmatiae inchoata fuit a quibusdam piis nostratibus in coenobio Lesinae circa annum 1510. Constabat coenobiis 6.

12. Congregatio Coloritorum instituta fuit a fr. Bernardino de Rogliano in Calabria citeriori circa annum 1530. Habebat coenobia 3.

13. Congregatio Centorbii, alias Centum Urbium, instituta fuit in Sicilia circa annum 1590 a B. Andrea de Castro Joannis Siculo, cujus vitam, ac virtutes descripsit ejus successor fr. Fulgentius de Cacamo ejusdem Congregationis Vicarius generalis. Adhuc retinet coenobia 3.

Hoc autem ex praemissis videtur notatu dignum, quod nimirum Augustiniana religio, quae ex tredecim variis Congregationibus primitus in unum magnum corpus coaluit, postmodum in totidem Congregationes distributa fuerit, ut nimirum liquido appareat amplissimam Eremitanam Familiam bis (scilicet ante, et post unionem) tribuum Israel numerum exaequasse.

Digitized by Google

AUGUSTINIANI QUI INTERFUERUNT CONCILIO TRIDENTINO PROUT EXTANT IN CATALOGO EJUSDEM CONCILII.

Hieronymus Seripandus, Neapolitanus, Praesb. Card. Concilii Legatus.
Joannes Suarez, Lusitanus, Episcopus Conimbricae.
Joannes Jacobus Barba, Neapolitanus, Episcopus Interamnae.
Gaspar de Casal, Lusitanus, Episcopus Leiriensis.
Joannes de Munatones, Hispanus, Episcopus Segobricensis.
Christophorus Patavinus Ordinis Generalis.
Thaddaeus Perusinus theologus.
Joannes Paulus Recinetensis theologus.
Simon Florentinus theologus.
Cherubinus Lavosus de Cascia theologus.
Gabriel Duratelus Anconitanus theologus.
Ambrosius Veronensis theologus.
Jo. Baptista Burgos, Hispanus, theologus.
Antonius Mondulphensis theologus.
Aegidius Volaterranus theologus.
Eugenius Pisaurensis theol. et praedicator Concilii celeberrimus.
Adamantius Florentinus theologus.
Aurelius Corinaldensis theologus.
Balthassar Massanus theologus.
Sebastianus Fanensis theologus.
Christophorus de Sanctoriis, Hispanus, theologus.
Simon de Brazzolatis, Patavinus, theologus.
Angelus Ferrus, Venetus, theologus.
Petrus Lusitanus theologus.

Digitized by Google

SANATIO REPENTINA QUAE CONTIGIT CUIDAM PUELLAE DE MONTE SANCTO PICENI OPPIDO ME PRAESENTE HUJUS LIBRI AUCTORE.

Puella ista quae vocatur Rosa Spinaci, quaeque duodecim suae aetatis annos habet, duobus abhinc annis ita propter rachitidem ex cruribus laborabat, ut primis quidem mensibus quamdam dumtaxat gradiendi difficultatem pateretur, postremis autem quinque omni pedum usu destituta fuerit; tibiae enim altera alteri superpositae ita strictim inter sese haerebant, ut omnis adhibito artis remedio nullatenus disjungi potuerint. Quamobrem experti medici remediorum inutilitatem, de crurum emendatione desperare coeperunt. Quid autem tum? Spem omnem in coelesti medico reponendam censuit pius puellae pater. Paschales dies erant, et Dominica appropinquabat tertia post Pascha qua mos est Tolentini arca reserari, in qua pretiosae D. Nicolai reliquiae custodiuntur, sacraque Thaumaturgi brachia publicae venerationi exponi. Itaque sabato praedictam Dominicam praecedenti, die nempe 14 Maji praeteriti anni 1859 Antonius (hoc est patris puellae nomen) natam accipit in ulnas suas, eamque in rheda reponit, duabus ejusdem puellae institutricibus comitantibus, Tolentinum transvehendam. Ad Thaumaturgi templum circa solis occasum perveniunt, sacellum intrant, puellamque gradiendi impotentem super scamnum demittunt. At mirum! Protinus consolidatae sunt bases ejus, et plantae, et exsiliens stetit, et ambulabat, et vidit omnis populus eam ambulantem. Nam dicto citius hujus rei fama evulgata, statim Tolentinates ad Sanctuarium confertim confluxerunt, et videntes signum, quod fecerat D. Nicolaus, clamoribus exultationis templum repleverunt,

Digitized by Google

laudantes Deum, ac D. Nicolaum, qui nolens supplicum exauditionem in crastinum differre, praevenerat vota ipsorum. Quae autem scribo, ecce coram Deo quia non mentior; nam et ego unus fui ex adstantibus, et oculis meis vidi puellam ambulantem, et auribus audivi voces exultantium, et undique pressus fui impetu confluentium, puellamque gradientem videre cupientium. Quod siquis forte sit tardus ad credendum, eat quaeso Tolentinum, et tota civitas illi affirmabit se vidisse puellam emendatis cruribus per vicos et plateas libero gressu ambulantem; inde postea transeat ad oppidum Montis Sancti, indicabo iter, duodecim circiter milliaria ab urbe Maceratensi distat, ibique puellam interroget, quae aetatem habet, interroget chirurgum Franciscum Duccini, et medicum Philocolùm Martinelli, interroget orphanotrophii rectrices, interroget demum oppidanos universos, et discet ab omnibus quod puella prius incedere nequibat, et quod modo, postquam Tolentino reversa fuit, expedite incedit. Quod si haec omnia minime ei sufficiunt ut credat, videat quaeso ne forte unus ex illis sit, qui in Deum ipsum parum credunt; nam qui ita animo sunt comparati, quidquid supernaturale sapit libentius rejiciunt quam admittunt. Ego autem factum dumtaxat narravi, utrum vero miraculum sit necne ad Ecclesiam tantummodo pertinet judicare. Laudetur semper S. Nicolaus. Amen.

N. B. Pag. 30 pro arco leg. Marco, et pag. 99, linea prima legatur: et Episcopus Insulae Aenariae, ita egregie perfecit, etc.

Digitized by Google

SAECULUM SEXTUM

Ab anno circiter MDCCL. usque ad MDCCCLXII.

FF. Antoninus Hohn, et Antonius Hochkirchen.

Antoninus Hohn, Germanus, alumnus Provinciae Rheno-Svevicae, S. Theologiae Magister, atque Prior coenobii Herbipolensis, ab Ossinger dicitur vir in perquirendis atque indagandis illius Provinciae antiquitatibus indefessus. Obiit Wirceburgi anno 1758. aetatis suae 58. Scripsit latine, typisque tradidit : 1. *Chronologiam Provinciae Rheno-Svevicae Ord. Eremit. S. P. Augustini.* 2. *Explicationem Regulae ejusdem S. Patris lingua germanica exaratam.* 3. *Tractatum de Passione Domini a nostrate B. Jordano de Saxonia compositum ex idiomate latino in germanicum transtulit, eique praemisit vitam auctoris.* Eodem tempore, nimirum circa annum 1760. florebat item in Germania Fr. Antonius Hochkirchen, S. Theologiae Doctor, atque juris canonici Professor, qui fuit alumnus Provinciae Coloniensis, quique a praefato

Digitized by Google

Ossinger dicitur in jure canonico, aliisque disciplinis exercitatissimus. Praelo tradidit: 1. *Assertiones philosophicas paraphrastico-criticas.* 2. *Elementa juris pontificii, sive expositionem regularem juris canonici.* 3. *Dissertationem polemicam de jure naturali divino et humano.* 4. *Enchiridion urbanitatis nobilis et christianae.* 5. *Ethicam christianam, sive orthodoxam juris naturalis et gentium prudentiam, lib.* 2. 6. *Syntagma juris ecclesiastici universi, idest brevem limatam et perspicuam expositionem omnium titulorum, qui in quinque Decretorum libris continentur, tom.* 3. *in* 4.

Fr. Antoninus Merino.

Antoninus Merino, Hispanus, unus fuit e continuatoribus egregii operis hispanici, quod inscribitur *España Sagrada*, quodque incepit, perduxitque usque ad tomum vigesimum nonum noster P. Mag. Henricus Florez. Natus est noster Antoninus in oppido Ayuelae dioecesis Legionensis anno 1745. ex honestis, atque plusquam mediocris fortunae parentibus. Jam inde a puero praeclarum ingenium ostendit, atque haud communem quamdam ad actus religionis proclivitatem. Ad humaniores litteras in patrio oppido sub idoneo praeceptore jam satis instructus, aetatis suae anno decimo quinto a patre missus fuit Vallisoletum, ut ibidem philosophicis disciplinis operam daret. Interea sensit se ad ecclesiasticum statum a Deo vocatum, cui vocationi obtemperans annos natus undeviginti Augustinianae Familiae nomen dedit. Post peractum Vallisoleti Philosophiae cursum Salmanticam se contulit, ibique cum Theologiam, tum linguam graecam atque hebraicam didicit. Factus Lector apud nostrates Toleti cathedram Philosophiae tenuit, ac postea designatus fuit adjutor nostrati Emmanueli Risco in conti-

Digitized by Google

nuanda Hispania Sacra praefati nostri Henrici Florez, ejusque labores incipiunt a volum. 31. ejusdem operis. Post quatuor annos locatus fuit in nostro Matritensi D. Mariae de Aragonia collegio, ibique ecclesiasticae litteraturae atque Philosophiae studium sedulo promovit. Docendi studium emensus ad Riscum reversionem fecit, quocum varia itinera suscepit ad colligendas notitias pro Hispania Sacra conficienda. In S. P. Augustini doctrina admodum versatus fuit, atque ex illius operibus multa deprompsit ad diversas Theologiae partes spectantia, eaque anno 1800. typis mandavit septem tomis contenta. Praeterea recensuit atque illustravit opera nostratis celeberrimi theologi atque famosissimi poetae Ludovici Legionensis, eaque iterum praelo tradidit sex tomis distincta. Recognovit etiam quamdam paraphrasticam psalterii expositionem, quam putabat opus nostratis praedicti Legionensis, atque licet postea deprehenderit tam insigni auctori non esse attribuendam, eam tamen anno 1809. tribus tomis excudi curavit addita ad illam illustrandam de sua penu lectu digna praefatione. A Gallis e claustro egredi coactus hunc acerbissimum animi dolorem quodammodo temperavit curando novam editionem aerumnarum Domini nostri Jesu Christi, quod est aureum opus nostratis V. Thomae de Jesu. Gallis ex Hispania ejectis atque Ferdinando VII. restituto, ad claustrum rediens mansionem suam fixit in regali Matritensi S. Philippi coenobio, atque *Hispaniae Sacrae* continuationem reassumpsit una cum nostrate Josepho de la Canal, uti patet ex utriusque nomine in fronte volum. 43. et 44. inscripto. Fuit S. Theologiae Magister, atque S. Inquisitionis qualificator. Decessit anno 1830. aetatis suae 84. cum per biennium luminis orbitatem mira patientia tolerasset. Ex nostrate P. Mag. Josepho de la Canal in tomo 45. *Hispaniae Sacrae.*

Digitized by Google

Antoninus de Nostris.

V. P. Mag. Antoninus de Nostris, Panormitanus, Augustinianum habitum in patria indutus cito evasit insigne exemplar probitatis. Singularis fuit illius modestia, atque incomparabile orandi studium, ita ut die nocteque multas horas submissis genibus orando transigeret. Nec minus scientiarum studium colens adeo in sacris disciplinis profecit, ut magistralem lauream consecutus fuerit, atque disertissimi concionatoris nomen sibi compararit. Tantae extitit humilitatis ut quamvis virtutibus atque scientiis praeluceret, conaretur tamen absconditam vitam degere, cum stultus propter Christum videri mallet. Emicuit etiam in eo paupertatis studium, mundi, suique contemptus, in Deum et proximum caritas, in B. Virginem devotio, atque in Christi Domini cruciatus ferventissima contemplatio, nec non tam diligens castitatis custoditio, ut illibatum virginitatis florem usque ad obitum servasse credatur. Ad egenorum nuditatem contegendam vestes sibi saepe detraxit, atque inviolatae religiosae obedientiae specimina jugiter praebuit. Adeo erat poenitentiae addictus ut ferreis catenulis sibi lumbos constringeret, pectus pugnis duriter tunderet, humeros nodosis funiculis flagellaret, atque etiam caput SS. Crucis clavis data opera impingeret, ex quo vulnus aliquando fronti intulit. Praeter consueta Ordinis jejunia binas singulis hebdomadis in Deiparae honorem esuriales ferias agebat. Fuit incredibilis patientiae ac mansuetudinis, atque suae postremae aegritudinis dolores *palea leviores* esse dictitabat eo quod suum meritum non aequarent. Item fuit magna simplicitate atque angelicis moribus praeditus. Recessum adamabat, atque saepe in solitudinem se conferebat ut ibidem liberius cum Deo conversaretur. Obiit cum perspicuis sanctitatis indiciis Panormi anno 1733. aetatis suae 65. eique morienti

Digitized by Google

beatissima Virgo apparuisse creditur. Illius memoriam miraculorum patratione, ac singularium gratiarum largitione Dominus illustravit. Ex nostrate Bonaventura Attardi in suo Monachismo Siciliae.

Fr. Antonius Augustinus Giorgi.

Antonius Augustinus Giorgi unus fuit ex viris saeculi decimi octavi eruditissimis, ut ejus universalis fama, atque in lucem edita praeclara ipsius opera aperte testantur. Natus est in oppido S. Mauri prope Ariminum in Aemilia anno 1711. atque 16. suae aetatis anno Bononiae Augustinianam tunicam induit. Quippe quod juvenis erat raro ingenio praeditus, idcirco in ecclesiasticis studiis plurimum profectum fecit, adeo ut apud sapientissimum Bononiensium Antistitem Prosperum Lambertini, qui postea fuit Papa Benedictus XIV. magnam existimationem atque gratiam sibi comparaverit. Hic vere immortalis Pontifex, qui ad litteratos homines internoscendos nasum habebat rhinocerotis, postquam ad romanam Petri cathedram evectus fuit, Georgium nostrum Romam arcessivit, qui statim potuit apud hanc scientiarum magistram doctrinae suae amplitudinem omnibus palam facere; nam profundissimae rerum theologicarum cognitioni plurimam etiam graecae, hebraicae, caldaicae, samaritanae, siriacae, aliarumque orientalium linguarum peritiam adjungebat, qua nimirum multiplici eruditione pretiosa illa volumina elucubravit, quibus totam Europam in sui admirationem convertit. Quapropter nil profecto mirum si ex omnibus mundi plagis viri eruditiores hunc Augustinianum coenobitam de difficillimis quaestionibus consulebant, ejusque judicia ut peremptoria habebant. Accidit autem interea ut quidam hispani theologi haud exiguo praefati

Digitized by Google

Summi Pontificis dolore nostratis doctissimi Cardinalis Henrici Noris *Historiam Pelagianam* damnare praesumpserint, quare idem Pontifex ejusdem operis apologiam huic nostro Giorgi commisit; aequum enim erat ut Augustinianum doctissimum alter Augustinianus eidem doctrina minime impar ab iniquis detractorum calumniis defenderet. In quo quidem negotio perficiendo ita Augustinus noster expectationi Pontificis plene satisfecit ut hic illum inter viros doctiores adnumerarit, quos ad secum de rebus ad Religionem spectantibus discutiendum in suo palatio congregabat, atque insuper Bibliothecae Angelicae praefectum constituerit. Tanti viri fama longe lateque diffusa, illum Viennensis Academia in suum Theologiae professorem expetivit, quem tamen locum romanae mansioni minime praeferendum existimavit. Post mortem Benedicti XIV. totum se dedit notissimo operi elucubrando cui titulus: *Alphabetum Tibetanum missionum apostolicarum commodo editum*, ad quod sane perarduum opus perficiendum profunda qua pollebat undecim linguarum peritia multo illi adjumento fuit. De hoc egregio opere ita habet Nova Encyclopedia Popularis edita anno 1846. *Se posteriori scrittori ci hanno procurato sul Tibet nozioni più esatte che quelle raccolte dal Giorgi; pure sarebbe troppa ingratitudine sconoscere il merito che per sempre rimane al nostro Italiano di avere primo dischiusa una via intentata, e preparata alle dottrine orientalistiche una preziosa raccolta di cognizioni che non hanno nemmeno oggidì cessato di essere vere e preziose.* Hoc Alphabetum Tibetanum quod continet non ea tantum quae ad Tibetanorum linguam addiscendam pertinent, verum etiam ea quae historiam respiciunt illius regionis, chronologiam regum et *Magnorum Lamarum*, religionem, mores, cosmogoniam, geographiam etc. magna ex parte in linguam germanicam versum fuit in Bibliotheca historica Gatterer. Sed quid de hoc libro sentiendum sit perspicue testatur eruditissimus vir Joannes Winckelman Prae-

Digitized by Google

ses antiquitatum romanarum, et Bibliothecae Vaticanae scriptor, hujusmodi approbationem emittens: *Jussu Rm̃i P. Mag. S. Palatii Apostolici Thomae Augustini Ricchini perlegi rev. P. Augustini Georgii Eremitae Augustiniani Alphabetum missionum apostolicarum commodo editum. Opus arduum et a nemine unquam tentatum, in quo tam Religionis promovendae studio, quam plurium linguarum peritia insigne et pietatis et doctrinae documentum dedit auctor celeberrimus. Reclusit ille in hoc opere penetralia Tibetanorum scientiae, et idololatriae, viamque commonstravit iis, quibus provincia obtigerit veri Numinis cultum in his regionibus docendi, qua errores strenue profligare, et veram unicamque salutis doctrinam expeditius propagare possint. Eruditi vero merito ei plaudant, acceptamque ei referant variam utilemque multarum rerum notitiam, qua nisi ipse huic molimini subeundo par fuisset, forsitan caruerimus, nomenque illius Religioni et eruditioni sacrum posteritatis memoriae commendent. Quare publicae utilitatis commodo typis vulgandum censeo.* Cum esset multae apud nostrates auctoritatis, multoque etiam amore Augustinianum Ordinem prosequeretur, in id sedulo incubuit, ut nimirum regularem observantiam instauraret, scholas ad meliorem methodum revocaret, atque politiorum litterarum studium promoveret, praesertim eo tempore quo totius Ordinis Vicarii Generalis nomine primatum tenuit. Tanti viri praestantia ejusque doctrinae amplitudo morumque probitas clarius patebunt ex sequentibus verbis quae ad litteram transcribo ex epistola encyclica typis edita, quam post illius obitum Congregatio generalis totius Ordinis ad singulas Provincias transmisit. Haec autem sunt ipsissima ejusdem epistolae verba: *Augustinus Antonius Giorgi in oppido S. Mauri in Aemilia tunc dioecesis Ariminensis anno reparatae salutis* 1711. *piis honestisque parentibus ortus est. Transacta laudabiliter pueritia adolescens factus in coenobio S. Jacobi Majoris Bononiae Augustinianae Familiae nomen dedit, et expleto tyro-*

Digitized by Google

cinii anno solemnem emisit votorum professionem. Pietati, religiosaeque observantiae liberalium artium, rerumque theologicarum studium sedulo conjunxit, et quia maximo mentis acumine, tenacique praeditus erat memoria adeo proficiebat in scientiis ut omnibus magistris suis admirationi fuerit. Peracto exinde magna cum sui laude studiorum omnium curriculo jure merito Regentis charactere fuit insignitus, quod munus in Lycaeis Aquilano, Florentino, Mediolanensi, Patavino, et Bononiensi non sine Ordinis honore juvenumque progressu plurium annorum spatio exercuit. Tantam propterea sibi comparavit existimationem ut Romam vocatus fuerit in Sapientiae Archigymnasio Sacrarum Scripturarum interpres; et quoniam Hermeneutica ad apicem juris pollebat, ideoque plaudente Roma, auditoribus proficientibus suo semper functus est munere . . . . Aequum fuit igitur ut tanto viro digna merces in Ordine nostro rependeretur, ac ad honorificum altioremque Procuratoris generalis gradum promoveretur, quod munus octodecim annis laudabiliter, communique nostratium plausu exercuit, dum eodem tempore Angelicae Bibliothecae vigilans Praefectus erat. Contigit autem ut propter aegritudinem ac mortem Rm̃i P. Francisci Xaverii Vasquez Peruani bon. mem. primo Commissarius, dein Vicarius Generalis universi Ordinis designaretur; et quid toto Praefecturae suae tempore probus archimandrita commendabilius non praestitit? Omnibus compertum est quaenam ejusdem fuerit in negociis dexteritas, quae in curis vigilantia, quod in dubiis consilium quaeque in arduis prudentia, et in promovenda regulari observantia zelus et in restaurandis philosophicis studiis ardor. Quamvis supremus esset Ordinis Moderator nihil de vitae anterioris consuetudine permutavit. Parcus in victu, in vestitu pauper, hilaris vultu, omnibus urbanus, sincerus in dictis, in judiciis aequus, erga devios justus, in resipiscentes clemens . . . . Sed inter caeteras virtutes in eo praecipue eluxit humilitas, quam etsi quibuscumque in circumstantiis exer-

Digitized by Google

cuerit, majorem tamen ostendit cum ad fausta amicorum gratulantium auspicia quod Clemens XIV. Pont. Max. amplissimo Purpuratorum Senatui eum adscribere designaverit, vel ut nonnulli arbitrabantur adscripserit, summam animi perturbationem sincere passus fuit, quae et foras luculenter erupit. Omittimus pecuniarum contemptum, quem semper in corde gessit et opere, et liberalitatem maximam, qua Angelicam Bibliothecam auxit, dotavit, de theologo perenniter providit, et liberalitatem etiam in pauperum sinus effusam, quia obtenta ab iis, ad quos impertiri spectat, licentia, secreto inopes sublevavit, nudos cooperuit, dotem puellabus suppeditavit . . . . Verumtamen hunc Ordinis nostri fulgentissimum solem, hunc virum piissimum, parentem optimum, scientiarum fulcimen, philosophum, theologum, poetam, historicum, antiquitatum patrem, exoticae polygraphiae peritissimum, heu miseri! terque quaterque infelices amisimus. Postrema autem ipsius obeuntis momenta ita in praefata epistola describuntur: *Mense itaque Aprilis mox elapsi aegrotare coepit piissimus et nunquam satis laudibus celebrandus Rm̃us Georgius noster morbo qui pituita dicitur, et cum non tam gravis primo foret, ei non obsistebat quin litteris, divinisque laudibus diu noctuque vacaret. Verumtamen ingravescente languore, ac vires deficere sibi sentiens, supremum sibi superventurum diem praevidit. Hinc sacra praemissa exomologesi nono Kalendas Maji eucharistico petiit refici pane. Aderamus omnes nos, qui pro ejus anima preces Deo fundebamus, ipse vero divino aestuans amore, eaque qua solebat caritate flagrare cum quotidie caelestem sumeret cibum, divinum Redemptorem jam ori proximum humillima et flammis amoris plena oratione alloqui coepit, et tantus fuit in divendo fervor, ut nos cum adstantibus prae dulcedine lacrymas tenere non potuerimus . . . . Jacebat Rm̃us Pater supinus in lecto morbum licet nimis molestum imperturbato animo, atque invicta tolerans patientia, ita ut omnes adstantes, eique inservientes obstuperent quomodo*

Digitized by Google

inter dolorum acerbitatem vox nulla gemitus, questusque de ejus erumperet pectore, cum nil aliud audiretur ab ipso nisi vel divinae voluntati perfecta conformatio, vel divini Nominis religiosa expressio, vel psalmodia. Audiens interea adesse apud se supremum Ordinis Moderatorem, paucas, o mirum! collegit vires, quia jam agebat animam, et caput detegere conatus, ei manus osculatus est. Mortem jam proximam sentiens, nullam animi perturbationem est passus, sed mortem ipsam sereno aspexit oculo, cupiens cum Apostolo Paulo dissolvi et esse cum Christo. Voti compos effectus est. Nam IV. Nonas Maii qua die festum celebrabatur S. Matris Monicae, erga quam dum vixit maximam fovit devotionem, hora circiter decima integro aspectu et auditu, sana mente, oculis ad coelum versis adstantibus et orantibus fratribus, suum Deo commendans agonem, psalmosque recitans, plenus meritis, cumulatus virtutibus, in bona senectute placidissime ad Superos evolavit annos natus 86. Sepultus fuit in ecclesia S. P. Augustini Romae ubi ad sacellum S. Matris Monicae legitur illius epitaphium in marmoreo lapide insculptum. Doctissimi viri opera typis edita haec sunt: 1. *Praefatum Alphabetum Tibetanum missionum apostolicarum commodo editum.* 2. *Fragmentum Evangelii S. Joannis greco-copto-thebaicum saeculi IV. et liturgica alia fragmenta veteris Thebaidensium Ecclesiae in latinum versa et illustrata.* 3. *De arabicis interpretationibus veteris Testamenti epistola inserta in Specimen ineditae versionis arabico-samaritanae Pentateuchi etc.* 4. *De versionibus Syriacis novi Testamenti epistola.* 5. *Inscriptiones Palmyrenae Musaei Capitolini explicatae.* 6. *Judicium de Alexandri Sardii theogonia per epistolam ad Hieronymum Ferrium.* 7. *Fragmentum copticum ex actis S. Coluthi martyris erutum ex membranis vetustissimis saeculi V. ac latine redditum.* 8. *Antirrheticus adversus epistolas duas ab anonymo censore in dissertationem commonitoriam Camilli Blasii de festo SS. Cordis Jesu vulgatus. Est*

Digitized by Google

sub nomine Christotimi Ameristae. 9. *De miraculis S. Coluthi et reliquiis actorum S. Panesniu martyris thebaica fragmenta duo etc. Accedunt fragmenta varia notis inserta, omnia ex Musaeo Borgiano Veliterno deprompta et illustrata.* 10. *Adnotationes ad omnes locos S. P. Augustini citatos ab Adriano Cardinali in libro de vera Philosophia ex quatuor Ecclesiae Doctoribus.* 11. *Monitum ad Sacerdotes et Clerum S. Sorianae Ecclesiae, quod extat ante Breviarium feriale Syriacum SS. Ephrem et Jacob.* 12. *Epigramma graecum cum versione latina in dissert. historica Francisci Perezii Bayeri cui titulus: Damasus et Laurentius Hispanis asserti et vindicati.* 13. *Epistola ad clar. Bernardum de Rossi, quae inserta est in nova appendice corporis historiae Byzantinae.* 14. *Epistola Andreae Christiano Hoïdio de variis versionibus arabicis Sacrae Scripturae, praesertim de arabico-samaritana, et alia.*

FF. Antonius Guerrero, et Josephus Aguilera.

Antonius Guerrero, Hispanus, S. Theologiae Magister, fuit Castellanae Provinciae alumnus, in S. Gabrielis Vallisoletano collegio studiorum Regens, collegiorum Complutensis ac Matritensis (vulgo Dominae Mariae de Aragonia) rector, Provinciae visitator et definitor, in comitiis provincialibus vicarius generalis, atque demum apostolicus concionator. Anno 1742. ad provincialatum evectus pietatem atque regularem disciplinam maxime promovit praesertim libro pluries edito cui titulus: *Retiro espiritual y sus egercicios etc.* Typis tradidit etiam Theologiam moralem D. Augustini, quae constat tribus magnis voluminibus. Decessit circa annum 1754. Ex nostrate P. Mag. Vidal in opere de Augustinianis Salmanticensibus.

Digitized by Google

Josephus Aguilera, Salmanticensis, Comitis de Casasola filius anno 1694. in patrio S. P. Augustini coenobio solemnia vota emisit. A prima aetate mansuetudine, modestia, et spiritu timoris Domini mirum in modum praeditus, innocentiae stolam, quam in baptismate induerat, nullo suae peregrinationis tempore perdidisse suo confessario generalem illius exomologesim in ejus vitae fine audienti visus fuit. Quippe qui praeclaro excellebat ingenio Lectoris munus tum Compluti, tum Salmanticae atque Matriti ex obedientia exercens, perdocti atque seduli magistri nomen acquisivit, illustriorem tamen boni religiosi famam inde assecutus, quod in ipsis magnis civitatibus solitariam, atque ab omni mundano consortio alienam vitam duceret, litteris tantum atque precibus intentus. Post emensum legitimum docendi stadium Salmanticam reversus Ordinisque Magisterio insignitus, ut sibi soli Deoque viveret omne officium ultro renuntiavit. Ut mendacium summo odio habuit, sic veritatem non in moralibus modo, verum etiam in speculativis assequi totis viribus contendit, unde factum est ut relictis scholarum disputationibus, SS. Augustini et Thomae Aquinatis operibus pervolutandis totum se dederit. Jejunii paupertatis poenitentiae, ac regularis observantiae perpetuo usque ad obitum exemplar fuit. Diuturnis morbis ac praesertim emicrania patientissime toleratis, vicinam mortem praesentiens cum ad Sacramenta generali confessione se praeparasset, subita, sed non improvisa morte correptus est anno 1739. Praelo tradidit cursum philosophicum tribus voluminibus comprehensum, qui extat in nostra Bibliotheca Angelica. Ita fere noster Dominicus Olabarria ex nostrate Francisco Vidal in opere de Augustinianis Salmanticensibus.

Digitized by Google

FF. Augustinus Delfino, et Jacobus Botto.

Augustinus Delfino, Genuensis, illustris fuit alumnus Congregationis S. Mariae de Consolatione, atque vir multae orationis, magnae humilitatis, singularis poenitentiae, atque ferventissimae erga Deum et proximum caritatis. Harum virtutum praeclara exempla jugiter e claustro praebebat cum superveniente Gallorum incursione suam coenobiticam cellam deserere coactus fuit. Nolens autem piissimus vir, qui ex corde Mundo valedixerat, iterum ad seculum transire, petiit atque impetravit a Gubernio (viris enim sanctis nihil negatur) ut sibi cum quibusdam aliis ejusdem pietatis nostratibus in coenobio Sanctae Agathae extra moenia urbis Genuensis religiosam vitam ducere liceret. Itaque in praefato nostri Ordinis coenobio ex sago confecta tunica indutus inter consuetas vitae austeritates atque pietatis exercitia permansit usque ad annum 1814. quo plenus meritis cum magna opinione sanctitatis ex hac vita migravit. Demortui corpus ut publicae pateret venerationi plures dies supra humum servatum fuit, atque tertio ab obitu die ex incisa per chirurgicum scalpellum vena vivum sanguinem emisit, quem certatim fideles albis sudariolis excipiebant. Fertur etiam quidam presbyter per ejus intercessionem visum recuperasse. Claruit etiam spiritu prophetiae; nam ante obitum suum, tempore nimirum gallicae suppressionis, hoc de Ordine nostro triplex vaticinium pronuntiavit, ut ego ipse anno 1842. a cunctis nostratibus Genuae audiebam, nimirum 1. Ordinem fore iterum restituendum, 2. post aliquantulum temporis aliam suppressionem subiturum, 3. post hanc secundam suppressionem ad exactiorem observantiam iterum resurrecturum. Primum jam rei probavit eventus post devictum atque relegatum Napoleonem, alterum per Gubernium Subalpinum hisce nunc diebus executioni man-

Digitized by Google

datur; restat igitur ut postremum jure expectare possimus; nam binae vaticinii partes jam experimento probatae certo nobis indicio sunt Delphinum nostrum ex peculiari Dei afflatu haec fuisse locutum. Anno 1845. ejus corpus ad nostram B. M. V. de Consolatione ecclesiam translatum fuit, apposita tumulo hac inscriptione: *Hic jacet R. P. Augustinus Delphinus Ord. Erem. S. Augustini qui patientia invictus, humilitate strenuus, caritate ardentissimus obiit IV. Kalend. Martias anno* 1814. *Vixit annos* 67. *et die* 25. *Junii* 1845. *ex ecclesia S. Fructuosi translatus fuit, et conditus prope monumentum R. P. Jacobi Botto ne sejungerentur post mortem, qui jungebantur in vita.*

Fuit autem hic R. P. Jacobus Botto ejusdem Congregationis Genuensis alumnus, atque cum nostro Delphino ejusdem recessus incolatu, et paris sanctitatis professione conjunctus. Ad virtutum suarum praemium evolavit anno 1822. Jacet in praefato S. Mariae de Consolatione templo cum sequenti epitaphio: *R. P. Jacobo Botto eminenti virtutum laude notissimo, omnibus carissimo, vitae suae anno* 67. *defuncto moesta fratrum pietas dedicavit die* 2. *Aprilis* 1822. Reliquit manuscriptam paraphrasim officii B. Mariae Virginis, quam typis tradidit Interamnae anno 1833. noster eximius concionator P. Mag. Augustinus Barbieri nunc generalis Ordinis Assistens. Ex relatione mihi allata a nostrate P. Mag. Augustino Vesco Parocho S. Mariae Consolationis Genuae.

FF. Augustinus Gervasio, et Josephus Bertieri.

Augustinus Gervasio natus est Montorii in dioecesi Salernitana anno 1730. Factus Augustinianus mentis perspicuitate atque ingenii praestantia inter coaequales excelluit.

Digitized by Google

Magistrati laurea redimitus, celebris theologi nomen sibi comparavit; quapropter anno 1763. ab Imperatrice Maria Theresia publicus theologicae facultatis professor ad perantiquum Viennense Archigymnasium vocatus fuit, ibique summa cum laude docuit usque ad annum 1768. quo valetudinis causa dimissionem impetravit, annua 300. florenorum pensione, atque caesarei theologi titulo obtentis. Haec tamen pensio illi perduravit tantum usque ad annum 1770. quo ad Episcopatum Gallipolitanum evectus fuit. Anno 1784. a Rege Neapolitano designatus fuit Episcopus Melfitanus, quae tamen designatio ob quasdam cum Gubernio exortas controversias approbationem Pontificis non obtinuit. Demum anno 1792. factus fuit Archiepiscopus Capuanus, et Capellanus Major Ferdinandi IV. Vixit usque ad annum 1807. Praelo tradidit: 1. *Libros tres de legibus, de peccatis, et peccatorum poenis.* 2. *Libros quinque de Sacramentis Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, Ordinis, et Matrimonii.* 3. *De Verbo Dei incarnato lib. tres.* 4. *De Sacramentis in genere, ac de Baptismo, et Confirmatione lib. tres.* 5. *Orationem funebrem in laudem Francisci I. Imperatoris.*

Successor hujus P. Augustini Gervasio in cathedra Vindobonensi fuit noster P. Mag. Josephus Bertieri natus Cebae in Pedemontio anno 1734. qui in illa Universitate magno plausu Theologiam docuit usque ad annum 1789. idest annos circiter 19. Eodem anno per Imp. Josephi II. nominationem promotus fuit ad Episcopatum Comi, et 1792. Leopoldo II. curante translatus ad Papiensem Ecclesiam, ac proinde titulo Amasiensis Archiepiscopi insignitus. Decessit initio hujus saeculi 19. Typis evulgavit. 1. *Tria volumina in* 8.° *de rebus theologicis, nempe de Incarnatione, de Sacramentis, et de legibus.* 2. *Alterum volumen cui titulus: Theologiae dogmaticae in systema redactae pars altera.* Primam partem edidit P. Petrus Gazzaniga Dominicanus nostri Josephi collega in cathedra theologica.

Digitized by Google

Fr. Augustinus Moralia.

Augustinus Moralia, Ligur de Onelia, S. Theologiae Magister, claruit doctrina, zelo animarum, consiliorum prudentia, caritate erga proximum, apostolici concionatoris nomine, atque quod majus est, magnae sanctitatis fulgore. Anno 1798. cum Eugubio Canthianum quadragesimales conciones habiturus profectus fuisset, accidit eodem tempore ut illud Municipium Augustiniani coenobii una cum praediis potiri praesumpserit; quapropter noster evangelicus praeco in privata domo hospitium sibi quaerere coactus fuit. Verum quia propter coenobitarum absentiam tumultus fiebat in populo, idcirco oppidi Praeses nostrum Augustinum rogavit, ut vellet praefatum coenobium cum suis praediis recipere, in eoque suam mansionem statuere. Datam optionem minime respuit vir de Ordinis bono valde sollicitus, atque exinde coepit una cum aliis nostratibus illud coenobium incolere. Hic autem ejus incolatus oppidanis omnibus multae utilitati fuit; nam pauperes subsidium, fluctuantes consilium, moerentes solatium, aberrantes ducem, peccatores medicum, omnes patrem in illo reperiebant. Quinimmo ab ipsis etiam longinquis locis nobiles matronae Canthianum ad illum de rebus ad salutis aeternae negotium pertinentibus consulendum haud infrequentes concurrebant, quibus omnibus vir consiliorum prout cuique opus erat salutaria monita suppeditabat. Fertur etiam miras quasdam peccatorum conversiones sua industria procurasse. Quamvis in caeteris suis concionibus magno animarum zelo se totum succensum ostenderet, tamen ubi de animabus piacularibus flammis in Purgatorio addictis sermonem faciebat, seipso quodammodo major evadebat, atque incredibile dictu est quantam erga illas auditorum commiserationem excitarit. Testes sunt ipsimet Canthianensis ecclesiae parietes

Digitized by Google

qualiter eo pro animabus Purgatorii perorante ad lacrymas usque commoti fideles non solum affatim pecuniam, verum etiam inaures, annulos, atque horologia ad illarum subsidium in colligentium loculos mittebant. Anno 1808. omnibus coenobii bonis per Gallicum Gubernium expoliatus, hujusmodi jacturam patienter sustinuit, tulitque aequo animo caeteras omnes illius temporis amaritudines. Obtinuit tamen ut Canthiani pro illius ecclesiae ministerio posset permanere, sicut revera permansit usque ad extremum suae vitae diem, qui fuit 2. Julii 1817. Nam eodem anno quo tiphus Canthiani grassabatur, ab audienda cujusdam Sacerdotis confessione domum reversus, in eumdem lethiferum morbum incidit; quare Sacramentis rite receptis suae caritatis victima occubuit aetatis suae anno 62. Statim post mortem tamquam sanctus ab omnibus celebratus fuit. Corpus ejus in duabus capsis inclusum in ecclesia S. Mariae extra praefatum oppidum separatim tumulatum fuit, ibique remansit usque ad annum 1836. quo integrum atque incorruptum repertum ad ecclesiam Ordinis noster P. Mag. Paulus Semeria transferendum curavit. Refert noster P. Augustinus Moralia illius coenobii Prior quod etiamnunc illius sepulcrum ab oppidanis supplicibus frequenter invisitur. Caetera praeclara tanti viri merita facile dignosci possunt ex sequenti epitaphio a canonico Speranzini pro solemnibus illius exequiis confecto: *Augustino Moralia Oneliensi Ord. Erem. S. P. Augustini fratri emerito, qui per varios Religionis gradus ad Magisterium evectus, Ravennae Lector, Bononiae Regens, Caesenae Prior summa cum laude suis muneribus perfunctus est. Tum zelo animarum exardens verba vitae aeternae disertissimus praeco populis effudit, ac pro muro adstans in S. Inquisitionis officio errores acerrime oppugnavit. Demum Canthiani quam sibi sedem electam saepius divino pavit semine, clarissimoque virtutum omnium fulgore irradiavit, pauperum pater, pacis*

Digitized by Google

Fr. Augustinus Moralia.

Augustinus Moralia, Ligur de Onelia, S. Theologiae Magister, claruit doctrina, zelo animarum, consiliorum prudentia, caritate erga proximum, apostolici concionatoris nomine, atque quod majus est, magnae sanctitatis fulgore. Anno 1798. cum Eugubio Canthianum quadragesimales conciones habiturus profectus fuisset, accidit eodem tempore ut illud Municipium Augustiniani coenobii una cum praediis potiri praesumpserit; quapropter noster evangelicus praeco in privata domo hospitium sibi quaerere coactus fuit. Verum quia propter coenobitarum absentiam tumultus fiebat in populo, idcirco oppidi Praeses nostrum Augustinum rogavit, ut vellet praefatum coenobium cum suis praediis recipere, in eoque suam mansionem statuere. Datam optionem minime respuit vir de Ordinis bono valde sollicitus, atque exinde coepit una cum aliis nostratibus illud coenobium incolere. Hic autem ejus incolatus oppidanis omnibus multae utilitati fuit; nam pauperes subsidium, fluctuantes consilium, moerentes solatium, aberrantes ducem, peccatores medicum, omnes patrem in illo reperiebant. Quinimmo ab ipsis etiam longinquis locis nobiles matronae Canthianum ad illum de rebus ad salutis aeternae negotium pertinentibus consulendum haud infrequentes concurrebant, quibus omnibus vir consiliorum prout cuique opus erat salutaria monita suppeditabat. Fertur etiam miras quasdam peccatorum conversiones sua industria procurasse. Quamvis in caeteris suis concionibus magno animarum zelo se totum succensum ostenderet, tamen ubi de animabus piacularibus flammis in Purgatorio addictis sermonem faciebat, seipso quodammodo major evadebat, atque incredibile dictu est quantam erga illas auditorum commiserationem excitarit. Testes sunt ipsimet Canthianensis ecclesiae parietes

Digitized by Google

qualiter eo pro animabus Purgatorii perorante ad lacrymas usque commoti fideles non solum affatim pecuniam, verum etiam inaures, annulos, atque horologia ad illarum subsidium in colligentium loculos mittebant. Anno 1808. omnibus coenobii bonis per Gallicum Gubernium expoliatus, hujusmodi jacturam patienter sustinuit, tulitque aequo animo caeteras omnes illius temporis amaritudines. Obtinuit tamen ut Canthiani pro illius ecclesiae ministerio posset permanere, sicut revera permansit usque ad extremum suae vitae diem, qui fuit 2. Julii 1817. Nam eodem anno quo tiphus Canthiani grassabatur, ab audienda cujusdam Sacerdotis confessione domum reversus, in eumdem lethiferum morbum incidit; quare Sacramentis rite receptis suae caritatis victima occubuit aetatis suae anno 62. Statim post mortem tamquam sanctus ab omnibus celebratus fuit. Corpus ejus in duabus capsis inclusum in ecclesia S. Mariae extra praefatum oppidum separatim tumulatum fuit, ibique remansit usque ad annum 1836. quo integrum atque incorruptum repertum ad ecclesiam Ordinis noster P. Mag. Paulus Semeria transférendum curavit. Refert noster P. Augustinus Moralia illius coenobii Prior quod etiamnunc illius sepulcrum ab oppidanis supplicibus frequenter invisitur. Caetera praeclara tanti viri merita facile dignosci possunt ex sequenti epitaphio a canonico Speranzini pro solemnibus illius exequiis confecto: *Augustino Moralia Oneliensi Ord. Erem. S. P. Augustini fratri emerito, qui per varios Religionis gradus ad Magisterium evectus, Ravennae Lector, Bononiae Regens, Caesenae Prior summa cum laude suis muneribus perfunctus est. Tum zelo animarum exardens verba vitae aeternae disertissimus praeco populis effudit, ac pro muro adstans in S. Inquisitionis officio errores acerrime oppugnavit. Demum Canthiani quam sibi sedem electam saepius divino pavit semine, clarissimoque virtutum omnium fulgore irradiavit, pauperum pater, pacis*

Digitized by Google

auctor, consiliorum vir, morbo ex lue pestifera contracto decumbens, in bono Christi odore e vivis ereptus est.

Fr. Augustinus Morselli.

Augustinus Morselli, Gelae in Sicilia natus ab ipsa ineunte aetate Eremitanae Familiae nomen dedit, in qua inter caeteros coaequales statim excellere coepit cum ingenii acumine, tum morum innocentia. In studiis ita profecit ut per consuetos gradus ad Magisterium pervenerit, atque ab ipso Ordinis Generali P. Mag. Josepho Mistretta primus inter tunc florentes Augustinianos theologos reputari meruerit. Idem Rm̃us Pater illum Romam studiorum moderatorem agere invitavit, quem tamen honorem ipse humillime declinavit dicens se potius optare peccatorum suorum poenitentiam facere. Secessit itaque in nostrum Trojnae coenobium, ibique illius oppidi studiosam juventutem cum philosophicas tum theologicas disciplinas docere coepit, concionibus interea, piisque operibus jugiter operam navans. Mirabile auditu est quod de illius praedicatione narratur. Nam siquando Trojnenses aut pluvia, aut vicissim aeris serenitate indigerent, dummodo Augustinus e suggestu poenitentiam praedicaret, continuo voti compotes fiebant. Ex hac vita migravit cum opinione sanctitatis anno 1812. aetatis suae 74. Demortuo fideles frustatim lancinantes venerationis causa tunicam abstulerunt, ita ut ad illum sepeliendum alia iterum indui oportuerit. Sepultus autem fuit apud Basilianos in templo S. Silvestri, unde tamen anno 1854. ejus corpus intactum repertum solemni pompa nostrates ad ecclesiam Ordinis transtulerunt. Haec autem translatio peculiari signo non caruit; nam cum oppidani ob arvorum ariditatem ad illum clamarent: *P. Maestro fate venire la pioggia*, licet tunc

Digitized by Google

sudum esset coelum, tamen paullo post dum adhuc Missa funebris ad translationis complementum cantabatur peroptata pluvia supervenit. In Trojnensi coenobio ejus effigies asservatur hujusmodi inscriptione designata: *Admodum rev. P. Augustinus Morselli Ord. Erem. S. Augustini Mag. Philosophiae ac Theologiae professor, Commissarii generalis, aliaque munia magna cum laude exercuit. Verbi Dei praedicator eximius conventum hunc pene demolitum reaedificavit, perditos proventus reacquisivit, ecclesiam a fundamentis erexit, ex labore et sumptu vitalitii sui exornavit. Diebus meritisque plenus obdormivit in Domino die* 2. *Martii* 1842. *aetatis suae* 74. Ex relatione P. Mag. Emmanuelis Santangelo Provincialis.

Fr. Basilius Maria Lippo.

Basilius Maria Lippo, Neapoli honestis parentibus natus, Augustinianum Ordinem amplexus, ac Surrentino coenobio aggregatus post docendi stadium in cathedra emensum ut peccatores e vitiorum coeno ad meliorem frugem revocaret totum se apostolatui gerendo tanta alacritate addixit, ut nullis rerum difficultatibus ab hoc munere obeundo detineretur. Hoc item animarum zelo exaestuans, quamvis humilis et pauper, tamen plura foeminarum collegia erexit, unum nempe Neapoli pro mulieribus e turpitudinis luto ereptis, et alterum Massae-Labrensis pro virginibus, atque tertium denique sub titulo S. Michaelis Archangeli Aversae inchoavit. Etiam erga pueros suam caritatem ostendit; nam ipsorum institutioni atque opi assidue operam navavit. Peculiarem praeterea erga Deiparam devotionem praesetulit. Tandem jejuniis, vigiliis, atque flagellis jugiter corpus domans, hujusmodi potius austeritatibus quam senio confectus, nondum septuagenarius, post molestissimam ac diuturnam

Digitized by Google

inter dolorum acerbitatem vox nulla gemitus, questusque de ejus erumperet pectore, cum nil aliud audiretur ab ipso nisi vel divinae voluntati perfecta conformatio, vel divini Nominis religiosa expressio, vel psalmodia. Audiens interea adesse apud se supremum Ordinis Moderatorem, paucas, o mirum! collegit vires, quia jam agebat animam, et caput detegere conatus, ei manus osculatus est. Mortem jam proximam sentiens, nullam animi perturbationem est passus, sed mortem ipsam sereno aspexit oculo, cupiens cum Apostolo Paulo dissolvi et esse cum Christo. Voti compos effectus est. Nam IV. Nonas Maii qua die festum celebrabatur S. Matris Monicae, erga quam dum vixit maximam fovit devotionem, hora circiter decima integro aspectu et auditu, sana mente, oculis ad coelum versis adstantibus et orantibus fratribus, suum Deo commendans agonem, psalmosque recitans, plenus meritis, cumulatus virtutibus, in bona senectute placidissime ad Superos evolavit annos natus 86. Sepultus fuit in ecclesia S. P. Augustini Romae ubi ad sacellum S. Matris Monicae legitur illius epitaphium in marmoreo lapide insculptum. Doctissimi viri opera typis edita haec sunt: 1. *Praefatum Alphabetum Tibetanum missionum apostolicarum commodo editum.* 2. *Fragmentum Evangelii S. Joannis greco-copto-thebaicum saeculi IV. et liturgica alia fragmenta veteris Thebaidensium Ecclesiae in latinum versa et illustrata.* 3. *De arabicis interpretationibus veteris Testamenti epistola inserta in Specimen ineditae versionis arabico-samaritanae Pentateuchi etc.* 4. *De versionibus Syriacis novi Testamenti epistola.* 5. *Inscriptiones Palmyrenae Musaei Capitolini explicatae.* 6. *Judicium de Alexandri Sardii theogonia per epistolam ad Hieronymum Ferrium.* 7. *Fragmentum copticum ex actis S. Coluthi martyris erutum ex membranis vetustissimis saeculi V. ac latine redditum.* 8. *Antirrheticus adversus epistolas duas ab anonymo censore in dissertationem commonitoriam Camilli Blasii de festo SS. Cordis Jesu vulgatus. Est*

Digitized by Google

sub nomine Christotimi Ameristae. 9. *De miraculis S. Coluthi et reliquiis actorum S. Panesniu martyris thebaica fragmenta duo etc. Accedunt fragmenta varia notis inserta, omnia ex Musaeo Borgiano Veliterno deprompta et illustrata.* 10. *Adnotationes ad omnes locos S. P. Augustini citatos ab Adriano Cardinali in libro de vera Philosophia ex quatuor Ecclesiae Doctoribus.* 11. *Monitum ad Sacerdotes et Clerum S. Sorianae Ecclesiae, quod extat ante Breviarium feriale Syriacum SS. Ephrem et Jacob.* 12. *Epigramma graecum cum versione latina in dissert. historica Francisci Perezii Bayeri cui titulus: Damasus et Laurentius Hispanis asserti et vindicati.* 13. *Epistola ad clar. Bernardum de Rossi, quae inserta est in nova appendice corporis historiae Byzantinae.* 14. *Epistola Andreae Christiano Hwidio de variis versionibus arabicis Sacrae Scripturae, praesertim de arabico-samaritana, et alia.*

FF. Antonius Guerrero, et Josephus Aguilera.

Antonius Guerrero, Hispanus, S. Theologiae Magister, fuit Castellanae Provinciae alumnus, in S. Gabrielis Vallisoletano collegio studiorum Regens, collegiorum Complutensis ac Matritensis (vulgo Dominae Mariae de Aragonia) rector, Provinciae visitator et definitor, in comitiis provincialibus vicarius generalis, atque demum apostolicus concionator. Anno 1742. ad provincialatum evectus pietatem atque regularem disciplinam maxime promovit praesertim libro pluries edito cui titulus: *Retiro espiritual y sus egercicios etc.* Typis tradidit etiam Theologiam moralem D. Augustini, quae constat tribus magnis voluminibus. Decessit circa annum 1754. Ex nostrate P. Mag. Vidal in opere de Augustinianis Salmanticensibus.

Digitized by Google

Josephus Aguilera, Salmanticensis, Comitis de Casasola filius anno 1694. in patrio S. P. Augustini coenobio solemnia vota emisit. A prima aetate mansuetudine, modestia, et spiritu timoris Domini mirum in modum praeditus, innocentiae stolam, quam in baptismate induerat, nullo suae peregrinationis tempore perdidisse suo confessario generalem illius exomologesim in ejus vitae fine audienti visus fuit. Quippe qui praeclaro excellebat ingenio Lectoris munus tum Compluti, tum Salmanticae atque Matriti ex obedientia exercens, perdocti atque seduli magistri nomen acquisivit, illustriorem tamen boni religiosi famam inde assecutus, quod in ipsis magnis civitatibus solitariam, atque ab omni mundano consortio alienam vitam duceret, litteris tantum atque precibus intentus. Post emensum legitimum docendi stadium Salmanticam reversus Ordinisque Magisterio insignitus, ut sibi soli Deoque viveret omne officium ultro renuntiavit. Ut mendacium summo odio habuit, sic veritatem non in moralibus modo, verum etiam in speculativis assequi totis viribus contendit, unde factum est ut relictis scholarum disputationibus, SS. Augustini et Thomae Aquinatis operibus pervolutandis totum se dederit. Jejunii paupertatis poenitentiae, ac regularis observantiae perpetuo usque ad obitum exemplar fuit. Diuturnis morbis ac praesertim emicrania patientissime toleratis, vicinam mortem praesentiens cum ad Sacramenta generali confessione se praeparasset, subita, sed non improvisa morte correptus est anno 1739. Praelo tradidit cursum philosophicum tribus voluminibus comprehensum, qui extat in nostra Bibliotheca Angelica. Ita fere noster Dominicus Olabarria ex nostrate Francisco Vidal in opere de Augustinianis Salmanticensibus.

Digitized by Google

FF. Augustinus Delfino, et Jacobus Botto.

Augustinus Delfino, Genuensis, illustris fuit alumnus Congregationis S. Mariae de Consolatione, atque vir multae orationis, magnae humilitatis, singularis poenitentiae, atque ferventissimae erga Deum et proximum caritatis. Harum virtutum praeclara exempla jugiter e claustro praebebat cum superveniente Gallorum incursione suam coenobiticam cellam deserere coactus fuit. Nolens autem piissimus vir, qui ex corde Mundo valedixerat, iterum ad seculum transire, petiit atque impetravit a Gubernio (viris enim sanctis nihil negatur) ut sibi cum quibusdam aliis ejusdem pietatis nostratibus in coenobio Sanctae Agathae extra moenia urbis Genuensis religiosam vitam ducere liceret. Itaque in praefato nostri Ordinis coenobio ex sago confecta tunica indutus inter consuetas vitae austeritates atque pietatis exercitia permansit usque ad annum 1814. quo plenus meritis cum magna opinione sanctitatis ex hac vita migravit. Demortui corpus ut publicae pateret venerationi plures dies supra humum servatum fuit, atque tertio ab obitu die ex incisa per chirurgicum scalpellum vena vivum sanguinem emisit, quem certatim fideles albis sudariolis excipiebant. Fertur etiam quidam presbyter per ejus intercessionem visum recuperasse. Claruit etiam spiritu prophetiae; nam ante obitum suum, tempore nimirum gallicae suppressionis, hoc de Ordine nostro triplex vaticinium pronuntiavit, ut ego ipse anno 1842. a cunctis nostratibus Genuae audiebam, nimirum 1. Ordinem fore iterum restituendum, 2. post aliquantulum temporis aliam suppressionem subiturum, 3. post hanc secundam suppressionem ad exactiorem observantiam iterum resurrecturum. Primum jam rei probavit eventus post devictum atque relegatum Napoleonem, alterum per Gubernium Subalpinum hisce nunc diebus executioni man-

Digitized by Google

datur; restat igitur ut postremum jure expectare possimus; nam binae vaticinii partes jam experimento probatae certo nobis indicio sunt Delphinum nostrum ex peculiari Dei afflatu haec fuisse locutum. Anno 1845. ejus corpus ad nostram B. M. V. de Consolatione ecclesiam translatum fuit, apposita tumulo hac inscriptione: *Hic jacet R. P. Augustinus Delphinus Ord. Erem. S. Augustini qui patientia invictus, humilitate strenuus, caritate ardentissimus obiit IV. Kalend. Martias anno* 1814. *Vixit annos* 67. *et die* 25. *Junii* 1845. *ex ecclesia S. Fructuosi translatus fuit, et conditus prope monumentum R. P. Jacobi Botto ne sejungerentur post mortem, qui jungebantur in vita.*

Fuit autem hic R. P. Jacobus Botto ejusdem Congregationis Genuensis alumnus, atque cum nostro Delphino ejusdem recessus incolatu, et paris sanctitatis professione conjunctus. Ad virtutum suarum praemium evolavit anno 1822. Jacet in praefato S. Mariae de Consolatione templo cum sequenti epitaphio: *R. P. Jacobo Botto eminenti virtutum laude notissimo, omnibus carissimo, vitae suae anno* 67. *defuncto moesta fratrum pietas dedicavit die* 2. *Aprilis* 1822 Reliquit manuscriptam paraphrasim officii B. Mariae Virginis, quam typis tradidit Interamnae anno 1833. noster eximius concionator P. Mag. Augustinus Barbieri nunc generalis Ordinis Assistens. Ex relatione mihi allata a nostrate P. Mag. Augustino Vesco Parocho S. Mariae Consolationis Genuae.

FF. Augustinus Gervasio, et Josephus Bertieri.

Augustinus Gervasio natus est Montorii in dioecesi Salernitana anno 1730. Factus Augustinianus mentis perspicuitate atque ingenii praestantia inter coaequales excelluit.

Digitized by Google

Magistrati laurea redimitus, celebris theologi nomen sibi comparavit; quapropter anno 1763. ab Imperatrice Maria Theresia publicus theologicae facultatis professor ad perantiquum Viennense Archigymnasium vocatus fuit, ibique summa cum laude docuit usque ad annum 1768. quo valetudinis causa dimissionem impetravit, annua 300. florenorum pensione, atque caesarei theologi titulo obtentis. Haec tamen pensio illi perduravit tantum usque ad annum 1770. quo ad Episcopatum Gallipolitanum evectus fuit. Anno 1784. a Rege Neapolitano designatus fuit Episcopus Melfitanus, quae tamen designatio ob quasdam cum Gubernio exortas controversias approbationem Pontificis non obtinuit. Demum anno 1792. factus fuit Archiepiscopus Capuanus, et Capellanus Major Ferdinandi IV. Vixit usque ad annum 1807. Praelo tradidit: 1. *Libros tres de legibus, de peccatis, et peccatorum poenis.* 2. *Libros quinque de Sacramentis Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, Ordinis, et Matrimonii.* 3. *De Verbo Dei incarnato lib. tres.* 4. *De Sacramentis in genere, ac de Baptismo, et Confirmatione lib. tres.* 5. *Orationem funebrem in laudem Francisci I. Imperatoris.*

Successor hujus P. Augustini Gervasio in cathedra Vindobonensi fuit noster P. Mag. Josephus Bertieri natus Cebae in Pedemontio anno 1734. qui in illa Universitate magno plausu Theologiam docuit usque ad annum 1789. idest annos circiter 19. Eodem anno per Imp. Josephi II. nominationem promotus fuit ad Episcopatum Comi, et 1792. Leopoldo II. curante translatus ad Papiensem Ecclesiam, ac proinde titulo Amasiensis Archiepiscopi insignitus. Decessit initio hujus saeculi 19. Typis evulgavit. 1. *Tria volumina in* 8.° *de rebus theologicis, nempe de Incarnatione, de Sacramentis, et de legibus.* 2. *Alterum volumen cui titulus: Theologiae dogmaticae in systema redactae pars altera.* Primam partem edidit P. Petrus Gazzaniga Dominicanus nostri Josephi collega in cathedra theologica.

Digitized by Google

Fr. Augustinus Moralia.

Augustinus Moralia, Ligur de Onelia, S. Theologiae Magister, claruit doctrina, zelo animarum, consiliorum prudentia, caritate erga proximum, apostolici concionatoris nomine, atque quod majus est, magnae sanctitatis fulgore. Anno 1798. cum Eugubio Canthianum quadragesimales conciones habiturus profectus fuisset, accidit eodem tempore ut illud Municipium Augustiniani coenobii una cum praediis potiri praesumpserit; quapropter noster evangelicus praeco in privata domo hospitium sibi quaerere coactus fuit. Verum quia propter coenobitarum absentiam tumultus fiebat in populo, idcirco oppidi Praeses nostrum Augustinum rogavit, ut vellet praefatum coenobium cum suis praediis recipere, in eoque suam mansionem statuere. Datam optionem minime respuit vir de Ordinis bono valde sollicitus, atque exinde coepit una cum aliis nostratibus illud coenobium incolere. Hic autem ejus incolatus oppidanis omnibus multae utilitati fuit; nam pauperes subsidium, fluctuantes consilium, moerentes solatium, aberrantes ducem, peccatores medicum, omnes patrem in illo reperiebant. Quinimmo ab ipsis etiam longinquis locis nobiles matronae Canthianum ad illum de rebus ad salutis aeternae negotium pertinentibus consulendum haud infrequentes concurrebant, quibus omnibus vir consiliorum prout cuique opus erat salutaria monita suppeditabat. Fertur etiam miras quasdam peccatorum conversiones sua industria procurasse. Quamvis in caeteris suis concionibus magno animarum zelo se totum succensum ostenderet, tamen ubi de animabus piacularibus flammis in Purgatorio addictis sermonem faciebat, seipso quodammodo major evadebat, atque incredibile dictu est quantam erga illas auditorum commiserationem excitarit. Testes sunt ipsimet Canthianensis ecclesiae parietes

Digitized by Google

qualiter eo pro animabus Purgatorii perorante ad lacrymas usque commoti fideles non solum affatim pecuniam, verum etiam inaures, annulos, atque horologia ad illarum subsidium in colligentium loculos mittebant. Anno 1808. omnibus coenobii bonis per Gallicum Gubernium expoliatus, hujusmodi jacturam patienter sustinuit, tulitque aequo animo caeteras omnes illius temporis amaritudines. Obtinuit tamen ut Canthiani pro illius ecclesiae ministerio posset permanere, sicut revera permansit usque ad extremum suae vitae diem, qui fuit 2. Julii 1817. Nam eodem anno quo tiphus Canthiani grassabatur, ab audienda cujusdam Sacerdotis confessione domum reversus, in eumdem lethiferum morbum incidit; quare Sacramentis rite receptis suae caritatis victima occubuit aetatis suae anno 62. Statim post mortem tamquam sanctus ab omnibus celebratus fuit. Corpus ejus in duabus capsis inclusum in ecclesia S. Mariae extra praefatum oppidum separatim tumulatum fuit, ibique remansit usque ad annum 1836. quo integrum atque incorruptum repertum ad ecclesiam Ordinis noster P. Mag. Paulus Semeria transferendum curavit. Refert noster P. Augustinus Moralia illius coenobii Prior quod etiamnunc illius sepulcrum ab oppidanis supplicibus frequenter invisitur. Caetera praeclara tanti viri merita facile dignosci possunt ex sequenti epitaphio a canonico Speranzini pro solemnibus illius exequiis confecto: *Augustino Moralia Oneliensi Ord. Erem. S. P. Augustini fratri emerito, qui per varios Religionis gradus ad Magisterium evectus, Ravennae Lector, Bononiae Regens, Caesenae Prior summa cum laude suis muneribus perfunctus est. Tum zelo animarum exardens verba vitae aeternae disertissimus praeco populis effudit, ac pro muro adstans in S. Inquisitionis officio errores acerrime oppugnavit. Demum Canthiani quam sibi sedem electam saepius divino pavit semine, clarissimoque virtutum omnium fulgore irradiavit, pauperum pater, pacis*

Digitized by Google

auctor, consiliorum vir, morbo ex lue pestifera contracto decumbens, in bono Christi odore e vivis ereptus est.

Fr. Augustinus Morselli.

Augustinus Morselli, Gelae in Sicilia natus ab ipsa ineunte aetate Eremitanae Familiae nomen dedit, in qua inter caeteros coaequales statim excellere coepit cum ingenii acumine, tum morum innocentia. In studiis ita profecit ut per consuetos gradus ad Magisterium pervenerit, atque ab ipso Ordinis Generali P. Mag. Josepho Mistretta primus inter tunc florentes Augustinianos theologos reputari meruerit. Idem Rm̃us Pater illum Romam studiorum moderatorem agere invitavit, quem tamen honorem ipse humillime declinavit dicens se potius optare peccatorum suorum poenitentiam facere. Secessit itaque in nostrum Trojnae coenobium, ibique illius oppidi studiosam juventutem cum philosophicas tum theologicas disciplinas docere coepit, concionibus interea, piisque operibus jugiter operam navans. Mirabile auditu est quod de illius praedicatione narratur. Nam siquando Trojnenses aut pluvia, aut vicissim aeris serenitate indigerent, dummodo Augustinus e suggestu poenitentiam praedicaret, continuo voti compotes fiebant. Ex hac vita migravit cum opinione sanctitatis anno 1842. aetatis suae 74. Demortuo fideles frustatim lancinantes venerationis causa tunicam abstulerunt, ita ut ad illum sepeliendum alia iterum indui oportuerit. Sepultus autem fuit apud Basilianos in templo S. Silvestri, unde tamen anno 1854. ejus corpus intactum repertum solemni pompa nostrates ad ecclesiam Ordinis transtulerunt. Haec autem translatio peculiari signo non caruit; nam cum oppidani ob arvorum ariditatem ad illum clamarent: *P. Maestro fate venire la pioggia*, licet tunc

Digitized by Google

sudum esset coelum, tamen paullo post dum adhuc Missa funebris ad translationis complementum cantabatur peroptata pluvia supervenit. In Trojnensi coenobio ejus effigies asservatur hujusmodi inscriptione designata: *Admodum rev. P. Augustinus Morselli Ord. Erem. S. Augustini Mag. Philosophiae ac Theologiae professor, Commissarii generalis, aliaque munia magna cum laude exercuit. Verbi Dei praedicator eximius conventum hunc pene demolitum reaedificavit, perditos proventus reacquisivit, ecclesiam a fundamentis erexit, ex labore et sumptu vitalitii sui exornavit. Diebus meritisque plenus obdormivit in Domino die* 2. *Martii* 1842. *aetatis suae* 74. Ex relatione P. Mag. Emmanuelis Santangelo Provincialis.

Fr. Basilius Maria Lippo.

Basilius Maria Lippo, Neapoli honestis parentibus natus, Augustinianum Ordinem amplexus, ac Surrentino coenobio aggregatus post docendi stadium in cathedra emensum ut peccatores e vitiorum coeno ad meliorem frugem revocaret totum se apostolatui gerendo tanta alacritate addixit, ut nullis rerum difficultatibus ab hoc munere obeundo detineretur. Hoc item animarum zelo exaestuans, quamvis humilis et pauper, tamen plura foeminarum collegia erexit, unum nempe Neapoli pro mulieribus e turpitudinis luto ereptis, et alterum Massae-Labrensis pro virginibus, atque tertium denique sub titulo S. Michaelis Archangeli Aversae inchoavit. Etiam erga pueros suam caritatem ostendit; nam ipsorum institutioni atque opi assidue operam navavit. Peculiarem praeterea erga Deiparam devotionem praesetulit. Tandem jejuniis, vigiliis, atque flagellis jugiter corpus domans, hujusmodi potius austeritatibus quam senio confectus, nondum septuagenarius, post molestissimam ac diuturnam

Digitized by Google

aegritudinem per annum fere incredibili patientia toleratam, cum fama sanctitatis Neapoli obdormivit in Domino apud coenobium S. Joannis ad Carbonariam anno 1776. die 3. Martii. Ex relatione mihi transmissa a Rmo P. Mag. ex Proc. Gen. Josepho Cajazza.

Fr. Benedictus Somoza.

Benedictus Somoza, Hispanus, anno 1691. in Compostellano coenobio Augustiniani Ordinis cucullum induit, evasitque coenobita tantae humilitatis, ut etiam posteaquam Sacerdotio jam initiatus fuerat, artem culinariam pro suis confratribus exercere non erubesceret, beatum se reputans in hoc tam humili loco, ubi clauso ostio Patrem coelestem sine intermissione in abscondito orabat. Subprior coenobii Salmanticensis, ac deinde sacrista electus, cum ex officio confessiones audire coepisset, brevi magnam boni dispensatoris existimationem apud omnes assecutus fuit, mirantibus cunctis hominem litterarum splendore minime fulgentem, qui in illa civitate totius Hispaniae culturae elegantia atque scientiarum copia florentissima, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, neque in sublimitate sermonis, sed apostolica simplicitate, ac veluti potestatem habens omnem hominum coetum doceret, brevi validoque eloquio peccatores ad poenitentiam, nutantes ad conscientiae quietem, pusillanimes ad animi robur, ac demum frugi ad perfectiora virtutum exercitamenta efficaciter inducendo. Saepe cordium secreta inspexisse creditur, et quae forte confitentes obliti essent, in mentem ipsorum statim revocabat, ex quo fiebat ut illius monita etiam eruditiores homines tamquam oracula audirent. Quidquid castitatem laedere posset penitus ignorare videbatur; neque tamen a cilicio, flagellis, jejuniis, atque

Digitized by Google

arctiori sensuum custodia sibi unquam temperavit, quo nimirum carnem spiritui subjiciendo mentem coelestibus sectandis redderet promptiorem. Religiosae paupertatis ita fuit exactus cultor, ut moriens nihil reliquerit praeter quaedam pauca scruta, quae certatim fratres pro reliquiis sibi arripuerunt, atque inter haec etiam prophetiae dono praeditum fuisse ejus vitae scriptor P. Mag. Emmanuel Vidal testatum facit. Hujus rei aliqua exempla subjiciam. Cum aliquando ad cujusdam monialis graviter aegrotantis confessionem audiendam vocatus fuisset, omnimodis ad monasterium accedere renuebat, asserens illius infirmitatem non esse ad mortem; medici tamen instantia adire coactus, aegrotam primo evangelicis verbis ad poenitentiam hortatur, atque deinde etiam omni praesentis periculi metu vacuam reddit, eam certiorem faciens nequaquam hac aegrotatione morituram; unde factum est ut brevi sorores sanitati restitutam viderent, quam paullo ante morti proximam existimabant. Sacerdotem quemdam ipsi confitentem majora beneficia habiturum, atque quemdam juvenem, qui magna animi voluptate Societatem Jesu amplexus fuerat, non perseveraturum praenunciavit; utriusque autem praedictionis veritatem eventus comprobavit. Ipsi P. Vidal qui continuis morbis ab adolescentia vexatus vix poterat libris vacare, non semel animos addens dixit: *Noli timere adhuc longa tibi est vita*, rogantique ne hujusmodi nugas ageret, *nugaris tu*, respondit, *quae tibi dixi, vera esse experimento disces: interim valetudinem tuam cura, et aliquando tu mihi aderis morienti.* Res uti narratur revera accidit. Tanta divinae largitatis dona sub ruditatis specie occultans, atque altaribus ornandis, sacraeque suppellectili curandae potissimum intentus, sui ipsius contemptum quaeritabat, novissimum semper sibi locum in omnibus eligens, atque summopere gaudens siquando injurias atque objurgationes propter Dominum pati cogeretur. Instantis mortis praescius longum iter ex obedientia facien-

Digitized by Google

dum praetexens, amicis valedixit, et non multo post in lethalem morbum incidit, cumque statim rumor in vulgus exiisset talem virum graviter decumbere, tanto moerore universa civitas affecta fuit, ut non solum privatim in domibus, verum etiam publice in templis pro illius incolumitate preces ad Deum fierent. Itaque Sacramentis rite munitus ex hoc ergastulo carnis egressus est ut ad meliorem mansionem transiret die 5. Augusti anni 1725. Ex nostrate praefato Emmanuele Vidal in praeclaro opere de Augustinianis Salmanticensibus.

FF. Carolus Constantius Rabbi, et Balduinus de Housta.

Carolus Constantius Rabbi, Bononiensis, insignis fuit alumnus Congregationis de Insubria, cui nomen dedit anno 1694. Cum in variis Ordinis cathedris Philosophiam atque Theologiam professus fuisset, a Superioribus petiit atque impetravit ut sibi in romano S. Priscae coenobio degere liceret. Ibidem ab omni munere atque dignitate abhorrens ut sic liberius praeoptatis studiis operam navaret usque ad obitum permansit, qui contigit anno 1746. aetatis suae 68. De illo haec habentur in Breviario ecclesiasticae historiae nostratis Jo. Laurentii Berti. *Carolus Constantius Rabbi non solum in lucem edita quae ad mathesim, ad poesim, ad Bononiensis Ecclesiae historiam, et ad italicae eloquentiae ornatum attinent sedulo elucubravit; verum etiam conscripsit fastorum consularium amplissima commentaria, tradita post auctoris obitum Benedicto XIV.* Scripta ejus typis edita haec sunt: 1. *Vita B. Ritae de Cascia.* 2. *De mathematicarum disciplinarum ad Theologiam utilitate, ipsarumque in ea usu dissertatio.* 3. *Notae ad Carolum Sigonium de Episcopis Bononiae cum supplemento in editione operum Sigonii facta Mediolani* 1733. 4. *Egregium atque valide utile opus cui titulus:* Sinonimi

Digitized by Google

ed aggiunti italiani, con in fine un trattato de'sinonimi, degli aggiunti, e delle similitudini. Hoc opus pluries impressum fuit atque illustratum et auctum a P. Alexandro Maria Bandiera Servita non omissis additionibus posthumis auctoris. Reliquit etiam varia manuscripta, nempe: 1. *In chronicon ecclesiasticum Onuphrii Panvinii notas historicas et chronologicas.* 2. *In opusculum ejusdem nostratis Panvinii de Baptismate paschali notas uberes.* 3. *In opusculum ejusdem auctoris de consulibus romanis notas.* Quae omnia Benedicto XIV. tradita fuerunt, et postea Bononiam translata. Vide annales litterarios Italiae, et dictionarium historicum virorum illustrium ex gallico in sermonem italicum versum et editum Bassani 1796.

Fr. Balduinus de Housta, Belga, S. Theologiae professor, Toubise oppido Hannoniae natus, apud Ordinem praecipua munia exercuit. Obiit Angiae 1760. Reliquit. 1. *Opus gallice compositum, atque impressum Mechliniae anno* 1733. *in quo probat Abbatem Fleury male citasse plura testimonia SS. Patrum, conciliorum, atque aliorum scriptorum ecclesiasticorum, eaque aut omisisse, aut interpolasse, aut infideliter traduxisse. Scripsit etiam typisque edidit orationem funebrem nostratis Petri Lamberti le Drou Episcopi Porphyriensis, item orationem funebrem nostratis P. Mag. Gerardi Melyn, vitas SS. Adriani, Benedicti, Trudonis et Eucherii, necnon historiam imaginis prodigiosae B. M. V. de Bono Successu.* Vide Ossinger, et praefatum dictionarium. De his duobus pauca nimis dicta sunt in saeculo praecedenti, ac proinde iterum hic notantur.

FF. Carolus Thil, et Thomas Moralia.

Carolus Thil, Polonus, S. Theologiae Magister, fuit Assistens Germaniae, Praefectus Bibliothecae Angelicae,

Digitized by Google

examinator Episcoporum, consultor S. Congregationis Indicis, atque in Archigymnasio romano locorum theologicorum professor. Mortalem vestem exuit Romæ anno 1829. aetatis suae 76. Per praelum publici juris fecit. 1. *Opus de locis theologicis sub titulo: Exercitatio theologica de locis seu fontibus Theologiae etc.* Etiamnunc adhibetur in Romana Sapientia. 2. *Orationem pro electione habitam in comitiis Ordinis generalibus anno* 1822.

Alter, nempe P. Mag. Thomas Moralia, Ligur, fuit etiam in praefata Sapientiae academia publicus non quidem locorum theologicorum, sed S. Scripturae professor, necnon examinator Cleri Romani, atque nostrae Bibliothecae Angelicae Praefectus. Complevit numerum dierum suorum Romae anno 1830. aetatis suae 61. Typis evulgavit: 1. *Introductionem in S. Scripturam tom.* 3. *in* 8. Explicatur etiamnunc pro textu in Romana Sapientia a nostrate P. Mag. Thoma Martinelli Ordinis Secretario. 2. *Compendium vitae S. Nicolai de Tolentino italice exaratum.*

FF. Casimirus Mezger, et Richardus Tecker.

Casimirus Mezger, Germanus, patria Salisburgensis, et alumnus Provinciae Tyrolensis, dicitur ab Ossinger in cultioribus disciplinis insigniter versatus, necnon maximo ingenio et indefessa diligentia ornatus, atque multa linguae hebraicae scientia praeditus. Fuit etiam assiduus verbi Dei dispensator. Florebat anno 1793. Praelo commisit: 1. *Librum cui titulus: Philologus Augustinianus in Sacra Scriptura, in quo agit de protoparentum lingua et sorte, de idiomate quo potissimum scripti sunt veteris Testamenti libri, de textus hebraici puritate, de auctoritate latinae Vulgatae etc.* 2. *Dissertationem de poesi hebraica reimpressam Romae, atque adnota-*

Digitized by Google

tionibus illustratam per nostrum P. Mag. Cosmam Schmalfum anno 1774. 3. *Eruditam expositionem psalmi* 42.

Eodem tempore florebat P. Mag. Richardus Thecker, Vindobonensis, S. Theologiae doctor, et publicus Graecii professor, qui ibidem docuit ab anno 1765. usque ad 1777. quo vocatus fuit Romam Assistens Germaniae. Hujus diligentia completi demum sunt indices Bibliothecae Angelicae, jam antea P. Mag. Cosmae Schmalfi labore ordinati, atque magna ex parte conscripti. Itaque haec Bibliotheca Angelica, quae a nostrate celeberrimo Angelo Rocca Sacrarii Pontificii Praefecto et Episcopo Tagastensi fundata, ab anno 1614. usque ad 1748. publico usui patuerat, ac deinde ratione novae fabricationis usque ad 1786. clausa remanserat, eodem anno die 16. Januarii iterum aperta fuit (libris aucta Cardinalis Dominici Passionei, quos S. Augustini coenobium anno 1762. emerat soluto pretio triginta millium scutatorum) post ingentes labores PP. Assistentium Cosmae Schmalfi, et hujus Richardi Tecker, quem etiam adjuvit noster P. Mag. Daniel Marcolini Venetus, qui postea fuit Ordinis Procurator generalis. Eodem anno 1786. ad preces Rm̃i P. Mag. Antonii Augustini Giorgi tunc temporis praefatae Angelicae Bibliothecae Praefecti Richardus noster per Breve Pontificium SS. Domini Pii VI. creatus fuit primus ejusdem Bibliothecae theologus cum onere continue assistendi. Decessit septuagenario major anno 1797. Plura collegit, praeloque tradidit ex nostrate Sixto Schier, atque ipsemet scripsit lingua germanica atque impressit vitam S. Elisabethae Andreae II. Hungariae Regis filiae, et alia.

FF. Christianus Xaverius Cristiani, et Thomas Aurelius Vasconi.

Christianus Xaverius Cristiani, Picenus de Monte Granario, S. Theologiae Magister, atque in Bononiensi Univer-

Digitized by Google

sitate publicus ejusdem facultatis professor, examinator Synodalis, doctor decurialis, Prior S. Jacobi, et Aemiliae Provincialis, jure meritoque celebratur tamquam insignis theologus, celebris concionator, atque eximius poeta. Anno 1782. factus fuit a Pio VI. Apostolici Sacrarii Praefectus, et Episcopus Porphyriensis. Decessit senex in patrio oppido anno 1800. Ipsius praeclari ingenii extant in Bibliotheca Angelica (cujus Praefectus fuerat, et quam omnium suorum haeredem instituit) haec monumenta typis edita: 1. *Poema cui titulus: Il tempio della felicità per le augustissime nozze delle Altezze Reali Giuseppe Arciduca d'Austria e della Reale Infanta Donna Isabella di Borbone.* 2. *Orationes panegyricae S. Petronii Episcopi, et S. Catharinae virginis et martyris.* Thomas vero Aurelius Vasconi, origine Ariminensis, patria autem Bononiensis, fuit S. Theologiae Magister, Provincialis Aemiliae, Bononiae in collegio cum theologorum tum jurisconsultorum doctor decurialis, examinator Cleri, censor librorum edendorum, judex sacrae Curiae pro criminibus cognoscendis, atque in celeberrima illa Universitate publicus juris pontificii professor, in quibus muneribus exercendis tantam peritiam ostendit ut sibi immortale nomen compararit. Verum hujus eximii doctoris laudes luculentius patebunt ex sequentibus verbis, quae ex publico illius elogio deprompsi, quod ejus mortis occasione conficiendum, typisque evulgandum curavit Emus Cardinalis Carolus Opizzonius Archiepiscopus Bononiensis . . . . . *Hunc omnes consentiunt virum et sanctitate vitae et multiplici doctrina insignem fuisse. Is quippe jam a prima adolescentia solemni disputatione de rebus philosophicis Bononiae in aede Michaeliana Leprosettorum subtilissime, disertissimeque ingenti audientium admiratione, plausuque habita, Theologiae, et sacro juri toto pectore operam dedit, ac Sacerdotio auctus Romam vetus splendidissimumque, quas susceperat, disciplinarum domicilium omni prorsus rejecta ambitione se contulit. Ibi cum adamatis studiis vehementius excolendis*

Digitized by Google

mentem appulisset, sodales Augustiniani, quibus jam hominis virtus et sapientia fuissent perspecta, de illo in suorum numerum accensito mirifice collaetati sunt, eumque honestissimis exinde compluribus demandatis muneribus imparem numquam, at praeconcepta opinione majorem ubique senserunt. Bononiam suam reversus animo contra acerbam temporum rerumque conversionem infracto, haudquidquam de pristina vivendi ratione immutavit, nemini pietate, consilio, documentis, eruditione non profuit, cunctis quotquot eum de rebus gravissimis interrogarent, facilem, aequum, benignum se praestitit. Qui tantam quidem praeseferret divinarum humanarumque legum prudentiam, tantamque in controversiis vel difficillimis dijudicandis industriam, sermonisque perspicuitatem, ut nihil ei novum, nihil inauditum videretur, et omnes fere votorum compotes ab illius colloquio discederent. Ad docendum in Lycaeo magno praecipua honoris significatione accersitum discipuli amore et obsequio incredibili prosequuti tamquam liberi parentem suum perpetuo reveriti sunt, sodales opem ejus praesentem usque experti uno ore praedicarunt depulsorem calamitatum, illustratorem decorum suorum, restitutorem coenobii Jacobiani Bononiensis, navum, sollicitum magistrum singulis virtutum omnium. Idem religionis studio percitus Sacricolae officia in exemplum implevit, admissis poenitentium abolendis, Dei coelitumque Sanctorum cultui provehendo, saluti aeternae hominum procurandae assiduus. Fuit rudium institutor, patiens egentium aegrotorum effusa caritate solator, mansuetudine morum singulari, nulla in dies adcrescentis de se famae ostentatione.... Coelestem in patriam migravit IV. Kalendas Januarii anno 1834. *vitae suae* 65. *exacto, lacrymis et moerore civitatis universae honestatus.*

Digitized by Google

Fr. Cosmas Schmalfus.

Cosmas Schmalfus, Bohemus Rabensteinensis, natus est anno 1730. atque ubi 16. suae aetatis annum attigit, apud nostrates religiosam professionem emisit. Postquam in studiis mirum profectum fecisset, alios erudiendi munus obtinuit, atque primus in sua Provincia fuit, qui Augustinianos alumnos philosophiam recentiorem, mathesim, historiam ecclesiasticam, atque linguam hebraicam et graecam docuerit. Anno 1760. doctoralem lauream in Universitate Pragensi, atque magistralem Ordinis accepit, fuitque in eadem Universitate primus Theologiae ad mentem S. P. Augustini professor publicus constitutus. Anno autem 1767. Romam venit Assistentis Germaniae munus exercere, ibique in Bibliotheca Angelica ad novam et ampliorem formam redacta, et Cardinalis Dominici Passionei libris, quos romanus S. P. Augustini Conventus pretio triginta scutatorum millium emerat, adaucta tam ingentem voluminum numerum in ordinem redegit, et materiarum indicem improbo labore digessit, atque perfecit, nominum autem ultra medium perduxit, quem postea complevit alius Germaniae Assistens P. Magister Richardus Tecker. In suam Bohemiam reversus anno 1776. electus fuit Provincialis, 1779 Senior facultatis theologicae, atque Decanus in Universitate Pragensi, ac demum 1780 ejusdem facultatis pro-director. Adhuc inter vivos versabatur anno 1793. Opera ejus Pragae latine typis edita haec sunt: 1. *Systema Philosophiae eclecticae ad normam recentiorum pertractatae.* 2. *Historia Religionis et Ecclesiae christianae justis limitibus circumscripta a Christi Nativitate usque ad annum* 1792. *in IV. periodos digesta, vol.* 6. *in* 8. 3. *Erotemata quaedam scripturistica circa fidei nostrae mysteria ac sinceram textus hebraei expositionem contra judaeos et haereticos.* 4. *Dissertationes philosophicae varii argumenti, nempe*

Digitized by Google

de origine, veritate, et claritate idearum, de numero materiarum simplicium, e quibus mixta componuntur, de incertitudine aurae ethereae, de figura telluris, et gravium nisu ad centrum, de aurora boreali, de defensione cum moderamine inculpatae tutelae, de oeconomia tenenda cum affectibus animi, num divisio bonorum in bona animi, corporis, et fortunae bona sit etc. 5. *Dissertationes scripturales, nempe an locus IV. Regum cap.* 5. *v.* 18. *inspecto autographo intelligendus sit de praeterito, vel futuro, qua lingua Sennacherib, illiusque exercitus IV. Regum cap.* 18. *v.* 26. *locuti fuerint, et an lingua hebraea velut prima, et Mundo coeva salutanda sit.* 6. *Dissertatio ad cap. X. XI. et XII. libri de correptione et gratia.* 7. *Tractatus de auxiliis divinae gratiae, de Sacramentis Poenitentiae, Extremae Unctionis, Ordinis, et Matrimonii.* 8. *Variae orationes.* 9. *Ex italico in latinum vertit Considerationes christianas et religiosas nostri V. P. Joannis Nicolai Chiesa, item Religiosum in solitudine, atque expositionem doctrinae christianae ejusdem auctoris.*

FF. Didacus Thaddaeus Gonzalez, et Josephus Macedo.

Si pauci admodum sunt in litteraria republica classici poetae, profecto Augustiniana Religio jure optimo gloriari potest non solum de Joannis Baptistae Cotta celebritate, verum etiam de Ludovici Legionensis, deque hujus Didaci Thaddaei Gonzalez universali nomine; nam sicut ille inter italos poetas unum e primis subsellium obtinet, sic inter hispanos ita hi ambo eminent, ut primus Horatius christianus universim appelletur, eique marmoream statuam ipsius conterranei hisce nunc diebus erigere studeant, alter vero tamquam hispanicae poesis instaurator ab omnibus habeatur. Natus est hic Gonzalez in Civitate Roderici prope Lusitaniam

Digitized by Google

ex nobilibus parentibus circa annum 1730. atque adolescentia nondum egressus in regali D. Philippi Matritensi coenobio Augustinianae Familiae nomen dedit. Studiis subinde cum philosophicis tum theologicis addictus, humaniorum litterarum cultum numquam praetermisit. Poesim prae caeteris adamans, cum Horatio ex veteribus, atque ex recentioribus cum nostrate Ludovico Legionensi quotidie conversabatur, atque hujus praesertim stylum ita imitari studuit, ut in opere hispanice scripto *Job*, quod Legionensis imperfectum reliquerat, quodque Didacus noster perfecit, non aliunde quam ex typorum diversitate utriusque versus distingui valeant. Maxime dolens quod bonis artibus in Hispania post nostratis Legionensis tempora idem fere accidisset quod latinis litteris post auream aetatem Augusti, ut contra subrepentem antiquae elegantiae labefactionem obicem aliquem poneret suam cellam, dum Salmanticae degebat, in parvam quamdam academiam convertit, ubi quidquid socii scripsissent, juxta exactioris criticae leges ad unguem castigaretur. Fuit itaque nostratis Gonzalesii cubiculum veluti quidam Parnassus, ad quem aliunde exulantes musae sese feliciter receperunt, atque unde postea ad pristinam venustatem redierunt. Neque vero Didacus noster celebris poetae tantum, sed aliis quoque nominibus claruit; fuit enim praeclarus concionator, atque insignis conscientiarum moderator. Apud Ordinem adolescentes e cathedra docuit, magistralem lauream obtinuit, variorum conventuum prioratum gessit, ac demum nostri Matritensis collegii Dominae Mariae de Aragonia rectorem egit. Dicitur vir fuisse magnae humilitatis, ac diligens religiosae observantiae custos. Obiit sexagenario major anno 1794. Vide Dictionarium linguae hispanicae editum anno 1852. Ejus opera poetica typis evulgata, quae hispana juventus cupide legit, haec sunt: 1. *Las etades*, idest *aetates*, *poema didascalicum*. 2. *El murcielago alevoso*, idest *vespertilio perfidiosus*, *celebris invectiva*. 3. *Eclogae* et *odes*. Alterum vero

Digitized by Google

inter celebriores Lusitaniae viros ad verbum *Portogallo* recenset Moronius ita scribens: *Giuseppe Macedo di fama europea, ex eremita di S. Agostino, sommo teologo, filosofo, oratore e poeta, autore di molte opere rinomate, redattore di periodici storico-politici, propugnatore de' dritti di re D. Michele I.* Obiit extra Ordinem septuagenarius cum magno anteactae vitae dolore anno 1831. Opera illius non recenseo quia eadem scripsit jam excucullatus

FF. Emmanuel Pignone del Carretto, et Hyacinthus della Torre.

Emmanuel Maria Pignone del Carretto e Principibus Alexandriae natus in paterno Orioli feudo dioecesis Anglonensis in Regno Neapolitano, commendatur cum a doctrina, tum a vitae sanctitate. Fuit apud Ordinem Assistens Italiae, ac postea regii Siciliarum Principis confessarius, ac demum Episcopus Suessanus. Ex hac vita migravit cum fama sanctitatis anno 1796. aetatis suae 75. Praelo tradidit: 1. *Librum cui titulus: Augustinus sui interpres in explicanda gratia naturae innocenti necessaria ad bene agendum.* 2. *Alterum sub titulo: Janseniani erroris calumnia a V. Episcopo de Palafox sublata.* Huic suum nomen non apposuit.

Hyacinthus della Torre Salustiis in Pedemontio e nobilissima Turrianorum familia anno 1747. ortum habuit. Factus Augustinianus ad S. Theologiae magisterium pervenit, tantamque eruditionis famam sibi comparavit, ut frequenter apud Tiraboschi in opere de italica litteratura nominetur cum laude. Vir fuit humanarum litterarum longe peritissimus ut ejus scripta testantur. Anno 1790. creatus fuit Archiepiscopus Sassaritanus in Sardinia, et postea Episcopus Aquarum Statiellarum in Monte-Ferrato ac tandem (1805.) Archiepiscopus Augustae Taurinorum ubi vixit usque ad

Digitized by Google

annum 1814. De illo haec leguntur apud Moronium ad verbum *Torino*: *L'arcivescovo della Torre pubblicò diverse omelie che furono motivo di scandalo per gl'indotti, per le lodi date a Napoleone I. secondochè esprimesi il p. Semeria, che a difesa del prelato soggiunge: Ma devesi riflettere che nei primi anni del suo impero non avea Bonaparte spiegato quel carattere violento e prepotente che usò dappoi verso Pio VII. e tutta la Chiesa; e certamente mgr. della Torre anche in quegli encomi per verità grandiosi, ebbe rettitudine di mente, nè mai intese al proprio vantanggio, nè al privato suo innalzamento. Con queste rette intenzioni andò nel* 1811. *a Parigi, ove si tenne quel concilio detto nazionale, e ne accettò l'uffizio di segretario. Del resto furono incalcolabili i vantaggi, i quali dalla grazia che godeva l'arcivescovo presso l'imperatore derivarono all'arcidiocesi. Volevano i calvinisti erigere in Torino un tempio pel pubblico esercizio del loro culto, allegando che Napoleone I. proteggeva nell'impero ogni religione, motivo per cui ai cattolici era stata concessa in Ginevra una Chiesa cosa non mai più veduta dopo Calvino; perciò aver essi ogni dritto d'ottenere simili concessioni. L'arcivescovo avendosi pure guadagnato l'animo del principe Borghese governatore generale del Piemonte, e quel del ministro de'culti in Parigi, dissipò con invincibile fermezza gli scaltri e validissimi maneggi degli eretici, nè poterono mai riuscire nell'intento, sebbene alcuni cattolici gli sostenessero. Sinistre impressioni erasi formato l'imperatore contro il clero di Torino, quasi che fosse un segreto suo avversario, meritevole d'esser disperso, e punito: rispondeva l'arcivescovo che si rendeva garante di qualunque disordine che i sacerdoti avessero potuto commettere contro il governo, e così li salvò da ogni molestia, potendo ordinarne molti altri liberandoli dalla micidiale coscrizione militare. Moltissimi beni ecclesiastici non erano ancor venduti, e uomini ingordi ne provocavano l'alienazione per impadronirsene a vil prezzo. A sì iniqua usurpazione si oppose*

Digitized by Google

virilmente in modo che al ritorno del re sul trono degli avi suoi trovò beni di Chiesa in quantità rilevantissima, quindi potè ripristinare diverse dell'antiche abbazie, conventi, monasteri e capitoli; onde l'arcidiocesi deve perpetua riconoscenza al prelato. Typis edidit: 1. *Varias homilias.* 2. *Orationem funebrem Victorii Amedaei III. Regis Sardiniae.* 3. *Collegit memorias quorumdam illustrium Augustinensium, inter quas legi potest vita nostratis eximii poetae Jo. Baptistae Cotta eleganti stilo italico descripta.* Citatur in nova Encyclopedia ecclesiastica quae editur Venetiis ubi agitur de nostrate Hieronymo Negri.

Fr. Emmanuel Risco.

Emmanuel Risco, S. Theologiae Magister, natus est in oppido Haro provinciae Rivogiensis in Hispania anno 1735. ex Petro Martinez, et Catharina de Barrasa, pauperibus sed honestis conjugibus. Jam inde a puero magnum erga studium amorem ostendit. Anno 1752. Augustinianum habitum induit in percelebri Sanctuario nostrae Dominae de Risco dioecesis Abulensis, quod supra montem situm sex leucas ab illa civitate distat. Ibidem noster Emmanuel tantum religionis affectum erga illam imaginem concepit, ut deinceps relicto patris cognomine de Risco nominari voluerit. Post emissam professionem ivit Madrigalam philosophicis disciplinis operam daturus, quarum emensus curriculum se contulit Salmanticam ut ibidem Theologiae vacaret, excolens interea studium linguarum orientalium, atque ita in utrisque proficiebat ut semper inter caeteros condiscipulos praeluceret. Anno 1762. factus fuit Lector Philosophiae in coenobio Toletano, unde 1765. transivit Vallisoletum docere Theologiam in collegio S. Gabrielis. Post duos annos missus fuit Matritum ad

Digitized by Google

collegium D. Mariae de Aragonia, ibique composuit opus de professione christiana juxta S. Scripturae SS. Patrum ac Conciliorum doctrinam, eo fine ut antidotum quodammodo opponeret quibusdam laxioribus opinionibus, quas tunc aliqui divulgabant. Anno 1773. die 5. Junii ex hac vita migravit percelebris *Hispaniae Sacrae* auctor noster P. Mag. Henricus Florez, quare Carolus III. Hispaniarum Rex hunc nostrum Risco designavit ut illud tam excellens opus continuaret. Quod susceptum munus qua ratione adimpleverit res ipsa monstravit. Statim recognovit tomos 28. et 29. quos ille ineditos reliquerat, et ipse postea alios tomos 13. confecit, opus nimirum usque ad volumen 42. perducens. Anno 1779. P. Generalis Franciscus Xaverius Vasquez illum magistrali laurea decoravit, adjiciens paulo post huic honori etiam ex Assistentis titulum et privilegia. Vir fuit exilis atque infirmae valetudinis, ita ut mirum videatur quomodo tam magnos litterarios labores, propter quos multa saepe itinera suscipere coactus fuit, sustinere potuerit. Prae caeteris autem posterorum memoriae commendari meretur insignis ejus humilitas, atque peculiaris devotio in Missae celebratione, et in divino officio recitando. Hujus vitae spatium finivit anno 1801. aetatis suae 67. Ex ejus vita tomo 43. Hispaniae Sacrae praefixa. Illius opera hispanica typis edita haec sunt: 1. *Volumina* 13. *Hispaniae Sacrae*. 2. *Defensio P. Mag. Henrici Florez*. 3. *Castella et famosiores castellani*. 4. *Historia Regni et civitatis Legionensis*. 5. *Professio christiana*. 6. *Dissertatio de Munda, et Certima urbibus Celtiberiae, confusis cum Munda et Certima Baeticae*. 7. *Historia famosi Cid*.

FF. Emmanuel Vidal, et Franciscus Mendez.

P. Mag. Emmanuel Vidal, Matriti ex nobili ac militari familia ortus, qualis in Augustiniano Ordine evaserit ex ipsius

Digitized by Google

libris colligi potest; sanctorum enim vitas summa voluptate describens, sanctum se, perfectumque religiosum ostendit. Quamvis fuerit vir aegrae ut plurimum valetudinis, mira tamen animi contentione per totum fere suae vitae tempus in litterarum cultura adlaboravit, jugiterque severioris observantiae jugum in Salmanticensi coenobio sustinuit. Magna doctrina atque eruditione praestans non solum nostrates docuit, verum etiam in celeberrima illa Academia Physicam, Ethicam, Theologiam, atque S. Scripturam publice explanavit, pergamo interea atque exedrae ad excipiendas confessiones incumbens. Quinquies illius coenobii Prior electus fuit, cui ob exactam regularem observantiam atque diurnam nocturnamque psalmodiam domus sanctorum nomen vulgo tribuebatur. In hac sanctorum domo Emmanuel noster vere Prior in omnibus et nomine et reipsa erat, quippe cui orationes, vigiliae, chori frequentia, ac caetera pietatis opera plurimum voluptati erant, cum e contra negotia temporalia illi summo fastidio essent atque oneri, dicere solito cum nimium hujusmodi curis gravaretur: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Anno demum 1751. ad Castellae Provinciam regendam evectus fuit. Cursum hujus mortalis vitae complevit in praefato Salmanticensi coenobio circa annum 1770. Praelo tradidit. 1. *Duo volumina in fol. hispanice exarata de Augustinianis Salmanticensibus, deque observantissimo coenobio ejusdem civitatis.* 2. *Auxit vitam S. Thomae de Villanova hispanice scriptam a nostrate Michaele Salon.* 3. *Ejusdem S. Archiepiscopi operum editionem curavit absolutissimam cum autographis collatam,* 5. *vol. in fol. ab anno* 1761. *ad* 1764.

Fr. Franciscus Mendez, Hispanus, fuit celebratissimi Henrici Florez individuus comes, post cujus obitum adhaesit etiam P. Mag. Emmanueli Risco *Hispaniae Sacrae* continuatori, eique magnae utilitati fuit. Qui licet ab adolescentia minus aptus scientiis adipiscendis videretur, assiduo tamen

Digitized by Google

labore atque diuturna cum eruditis viris conversatione ad magnam doctrinae laudem pervenit. Obiit Matriti anno 1803. Impressit: 1. *Vitam nostratis Henrici Florez cum itinerario multarum Hispaniae provinciarum, quas ambo simul antiquitates investigandi causa perlustrarunt.* 2. *Opus eruditis hominibus gratissimum, cui titulus: Tipografia espanola, sive historia artis typographicae in Hispania.* Primus tomus publicam lucem aspexit Matriti anno 1786. alter adhuc desideratur. Ex relatione mihi transmissa per nostratem Dominicum Olabarria.

Fr. Engelbertus Kluepfel.

Engelbertus Kluepfel natus est Wipfeldae exiguo Franconiae oppido, ex honestis humilibusque parentibus anno 1733. Adhuc puerulus admirabili litterarum addiscendarum studio excellebat. Cum Wirceburgi jam biennium Philosophiae operam dedisset, Augustinianum Ordinem amplecti deliberavit; quare voti compos factus sacram vestem induit Oberndorfii Sueviae anno 1750. Post peractum tyrocinium studiorum causa missus fuit primum Friburgum Helvetiae, deinde Erfurtum, ac demum Friburgum Brisgoviae, ubi theologici stadii cursum complevit. Anno 1758. in nostro Munnerstadiano Gymnasio, quod est in Franconia superiori, humaniores litteras docendi munus suscepit, atque per quinquennium cum laude illud exercuit. Postea vero cum jam apud nostrates in variis coenobiis, nimirum Oberndorfii, Moguntiae, atque Constantiae philosophicas atque theologicas disciplinas tradidisset, anno 1767. publicam Theologiae cathedram Friburgi Brisgoviae obtinuit, eamque per 38. annos multo splendore illustravit, posthabito honore eamdem facultatem publice profitendi tam Wirceburgi, quam Vindobonae; nam

Digitized by Google

illuc ab Episcopo Ludovico de Erthal, huc vero ab ipso Imperatore Josepho II. invitatus fuerat. Obiit cum summo omnium dolore anno 1811. vitae suae 78. Ex nostrate Pio Keller in libello cui titulus: *Monumentum pietatis etc.* atque ex manuscripto de Scriptoribus Augustinianis, quod asservatur Romae in Bibliotheca Angelica sub lit. C. n. 8. 21. Kuepfelii opera impressa sequentia sunt. 1. *Institutiones Theologiae dogmaticae in usum auditorum.* Hujus operis plures factae sunt editiones, quarum novissima prodiit anno 1854. Impressa fuit etiam in Hispania curante nostrate Josepho de la Canal. 2. *Bibliotheca nova ecclesiastica.* 7. *volum. in* 8. Hujus operis causa cum a Socinianis et Deistis acerrime impugnaretur, a Maria Theresia Imp. signo aureo decoratus fuit, quo viri optime de re publica meriti ornari solent. In hac Bibliotheca reperiuntur epistolae nostri Kluepfelii contra Jo. Salomonem Semlerum theologum lutheranum. 3. *Bibliotheca ecclesiastica vetus, vol.* 1. *in* 8. 4. *Tractatus de statu naturae purae ad mentem S. P. Augustini.* 5. *Mens Tertulliani de indissolubilitate Matrimonii in infidelitate contracti conjuge alterutro ad fidem converso.* 6. *Liber apologeticus de eximiis dotibus naturae rationalis ante peccatum.* 7. *Tractatus de precibus pro defunctis.* 8. *De victrici delectatione.* 9. *Dissertatio de sacrificio Melchisedech et Sacerdotio Christi.* 10. *Commentatio historica sistens Lutheranorum novissima dissidia de canone Scripturarum.* 11. *Dissertatio de libellis martyrum.* 12. *De Emmanuele Isaiae cap. VII. v.* 14. *dissertatio exegetica.* 13. *Assertiones theologicae.* 4. *Commonitorium S. Vincentii Lerinensis praemissa epistola ac notis illustratum.* 15. *Institutiones Theologiae pastoralis Franc. Giftschuetzii in latinum translatae.* 16. *Necrologium sodalium et amicorum litteratorum, qui auctore superstite diem suum obierunt.* 17. *Collectio constitutionum episcopalium et pastoralium quae ab anno* 1780. *praecipue in Germania in lucem prodierunt.* 18. *Dissertatio: Aqua rerum omnium corporearum principium primum.* 19. *Elegia de urbe*

Digitized by Google

Brisacensi (1793) *deleta et adhortatio ad Germaniam.* 20. *Septem psalmi poenitentiales paraphrasi elegiaca et expositione prosaica illustrati. Accedunt notae criticae in eosdem una cum oratione* Ante oculos *etc.* 21. *Oratio in laudem Imp. Josephi II. et funebris in laudem Mariae Theresiae Imp.* 22. *Praeclarissimum opus posthumum de vita et scriptis Conradi Celtis Protucii, praecipui renascentium litterarum restauratoris, primique Germanorum poetae laureati, vol.* 2. *in* 4. *et alia.*

Fr. Faustinus Cliquet.

Faustinus Cliquet e Belgio oriundus Matriti in Hispania natus est anno 1673. Parentes quod non minus virtutibus quam nobilitate florerent, optimae indolis puerum pie ac liberaliter instituendum curarunt. Quae semina in bonam decidisse terram brevi compertum fuit, cum quatuordecim licet adhuc annorum jam tamen religiosae vitae jugo aptus nostratibus Matritensibus visus fuerit, qui propterea illum in nostrum Ordinem receperunt. In studiis postea ita profecit ut ad munus alios docendi evectus fuerit, atque suo tempore doctoralibus infulis insignitus. In sua provincia definitoris officium exercuit, fuitque S. Inquisitionis censor in rebus fidei, atque Burgensis Archiepiscopi examinator synodalis. Prioratus autem Burgensis onus, cui ex obedientia humeros submiserat, prae humilitate, atque litterarum amore ultro deposuit. Deinde Matriti sedem figere permissus, Theologiae morali tradendae reliquum vitae tempus impendit, plurimis ad eum convenientibus, non solum ipsius doctrinae copia, verum etiam jucundissima illius urbanitate illectis. Quidquid pecuniarum suos vulgando libros lucrabatur, vel in coenobii ornatum, vel in egenorum confratrum subsidium, at potissimum ad decorem domus Dei promovendum, sa-

Digitized by Google

cramque supellectilem comparandam expendebat. Vixit usque ad annum 1760. aetatis suae 87. Ita fere noster Dominicus Olabarria ex Dictionario biographico Barcinonensi. Ejus opera sermone patrio exarata, typisque edita haec sunt: 1. *Flos Theologiae moralis* 3. *volum.* 2. *Compendium ejusdem operis.* 3. *Explicatio doctrinae christianae per dialogos.* 4. *Tyrocinium morale alphabeticum.* 5. *Opusculum morale quod continet casus reservatos in dioecesibus Regni Gallaeciae.* 6. *Judicium dogmatico-morale de illis sectariis, qui vulgo Framassoni dicuntur.* 7. *Declaratio bullarum Benedicti XIV.* Sacramentum Poenitentiae, et Apostolici muneris. 8. *Diarium Sanctorum nostratis Augustini Arpe in hispanicum sermonem vertit, sed praelo non tradidit.*

FF. Fidelis Amalfi, et Michael Quaranta.

Fidelis Amalfi, natus Neruli dioecesis Murensis in Lucania, S. Theologiae Bacc. jam inde ab incepto Augustinianae Religionis tyrocinio usque ad suae vitae terminum eximiis claruit religiosae perfectionis exemplis. Praecipue autem ejus virtutes illae fuerunt, quae sunt caeterarum fundamentum, nimirum pietas et caritas. Facta post generalem suppressionem Ordinum regularium restitutione, quia homines pietate praediti nihil antiquius habent quam ut ad suum Institutum reversionem faciant, noster Amalfi primus fuit qui in Neapolitano S. Augustini majori coenobio Augustinianum vexillum iterum erexit ut dispersos Israel congregaret. Piae cujusdam foeminae, Mariae Josephae Crosta, vocationi morem gerens, tum propria parsimonia, qua etiam sibi necessaria subtrahebat, tum fidelium oblata colligendo Neapoli apud S. Ephrem monasterium fundavit nostrarum Mantellatarum, quod etiamnunc partim monialium, par-

Digitized by Google

timque alumnarum familiam continet 62. Obiit Neapoli septuagenarius cum magna opinione sanctitatis anno 1839. Demortui corpus flexibile, vegetum, vultuque hilare apparuit, atque etiam post quartum ab obitu diem pluries chirurgico scalpello incisum purpureum cruorem emisit. Inter haec venerabundi fideles reliquiarum loco possidenda vel tunicae lacinias recidebant, vel capitis capillos evellebant, vel sudariola sanguine humectabant, vel quodcumque aliud ad illum pertinens certatim arripiebant. Juxta illius municipii leges in communi coemeterio cadaver separatim tumulatum fuit, sed postea Archiepiscopali Curia interveniente ad ecclesiam S. P. Augustini translatum, ibique ejus tumulus hac inscriptione indigitatur: *Hic jacet corpus servi Dei P. Fidelis Amalfi Ord. Erem. S. Augustini. Obiit die II. mensis Aprilis A. D. MDCCCXXXIX.*

Haud inferioris meriti ac nominis procul dubio fuit P. Michael Quaranta, Neapolitanus, vir omnibus religiosis virtutibus praestans, qui a primis annis usque ad decrepitam aetatem totus Deo ac Ordini Augustiniano vixit. Restitutor fuit Congregationis S. Joannis ad Carbonariam, quam etiam multo tempore Vic. Generalis nomine magno cum zelo administravit. Decessit cum fama sanctitatis Neapoli in coenobio S. Mariae Magdalenae anno 1857. aetatis suae 81. Tertio post obitum die corpus ejus ex perforatis venis vivum sanguinem emanavit. Ex relatione mihi transmissa a Rmo P. Mag. Josepho Cajazza Ordinis ex Proc. Gen.

Fr. Franciscus Armana.

Franciscus Armana natus est Villanovae de Geltru ex humilibus honestisque parentibus anno 1718. Adolescens perspicaci ingenio, tenacissima memoria, atque optima indole

Digitized by Google

praeditus, mirum in modum tum in litteris, tum in morum probitate profecit. Quatuordecim annos natus Barcinone Augustinianae Familiae nomen dedit, atque talem in ipsis religiosae palaestrae primordiis se exhibuit, ut omnium in se admirationem converterit, cunctisque spem certam suppeditarit se in magnum Ordinis bonum evasurum. Anno suae aetatis 17. factus fuit magister studentium, 25. magister novitiorum, 31. provinciae secretarius, 33. Prior Barcinonis, Vic. Provincialis, ac postea Provincialis totius Regni Aragoniae, quae munia non quidem per suffragia, sed per acclamationem illi collata fuerunt. Ipsius provincialatus gestio eo potissimum mentione digna videtur, quia nimirum vir de juvenum profectu valde sollicitus cum Philosophiae tum Theologiae studia sublatis antiquis mendis reformavit, selecta ad hunc finem bibliotheca comparata. Hujus praeclari viri merita Carolo IV. Regi innotuerunt, qui propterea illum Pontifici commendavit ut eum ad Episcopatum Luci Augusti promoveret. Factus Episcopus haud imparem se huic dignitati ostendit. Nam singulas, quas Apostolus in Timotheo requirebat, virtutes praesetulit. Ante omnia suae ipsius sanctificationi prospiciens praeter consueta Episcopatus officia quotidie unam aut amplius horam meditationi vacabat, integrum rosarium recitabat, dominicis festisque diebus choro intererat, lectulo aspero utebatur, mensa frugali, vili suppellectili, assiduo jejunio, aliisque id genus austeritatibus, adeo ut pro viro sancto ab omnibus haberetur. Ad haec quotidie flexis genibus horas canonicas recitabat, singulisque etiam diebus flexis genibus legebat atque meditabatur duo capitula S. Scripturae, et numquam fere domo ad ambulandum egrediebatur, zeloque animarum exaestuans concreditas sibi oves jugi verbi Dei pabulo enutriebat, ac magnum inde conversionum fructum reportabat. Propter effusam erga pauperes liberalitatem jure merito nostrati pauperum patri D. Thomae Villanovano comparatus fuit, propter vastam

Digitized by Google

eruditionem autem, propter eloquentiam, suavitatem et vim sermonis, propter zelum tandem atque fervorem in pergamis Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, atque Chrysologo assimilatus. Anno 1781. translatus fuit ad Archiepiscopatum Tarraconensem ibique tempore rebellionis gallicae centenos suis expensis aluit exules gallos cum ecclesiasticos tum laicos, atque hos inter etiam D. Antonium Sartine ministrum politiae atque marinae apud Regem christianissimum. Ex hac vita migravit cum opinione sanctitatis anno 1803. aetatis suae 85. Ex Felice Torres Amat in opere de Scriptoribus Catalaunis, quod mihi liberaliter cum aliis libris commodavit P. Andreas Artola Jesuita hispanus. Scripsit lingua patria, typique tradidit: 1. *Tomos quatuor sermonum in* 4. 2. *Compendium doctrinae christianae.* 3. *De translatione Augustinensium Calceatorum Barcinonensium ad novum regale coenobium.* En illius epitaphium desumptum ex supplemento D. Joannis Corminas ad praefatum opus D. Felicis Torres Amat: *D. O. M. Francisco Armagnano ex Eremitis S. Augustini primum Luci Praesuli, post Archipraesuli Tarraconensi, utrobique indefessa salutis animarum cura, verbo et scriptis doctissimis aeque atque piissimis, morum ibidem integerrimorum exemplo informatis ad pietatem populis, optimi Antistitis functo munere, egenorum patri, quorum sublevandis miseriis nihil pene sibi relinquens amplissimos Pontificatus redditus expendit, cujus maxime opera et ope fontanali aqua intra muros inducta gaudens potitur Tarraco, in senectute bona e vivis sublato die IV. Maii anno* 1803. *aetatis suae* 85. Praefatus aquaeductus res fuit magni momenti pro illa civitate adeo ut canonicus quidam ad hoc beneficium celebrandum repraesentarit matronam cum hac inscriptione: *Tarraco expleta siti.*

Digitized by Google

Fr. Franciscus Riambau.

Franciscus Riambau, Hispanus, in insula cui nomen Ebusus ortum habuit. Anno 1731. aetatis suae 28. cum jam rem militarem secutus fuisset, atque deinde ob indolis lenitatem sago exutus utriusque juris scientiae operam navasset, in Matritensi S. Philippi coenobio Augustinianae Familiae nomen dedit. Inter fratres laicos prae humilitate adscribi praeoptabat, Sacerdotio indignum se reputans; aliter tamen superioribus disponentibus ad sacros Ordines promotus fuit, atque Complutum missus ad audiendam sacram Theologiam, ibique P. Mag. Henricum Florez jam illa in Academia doctorem in graecae linguae faciliorem usum valde juvit, eumque et alios cum nostrates tum externos, piis collocutionibus ad normam veterum monachorum institutis, ad severiorem vivendi rationem excitavit. Post emensum Theologiae curriculum cum statuisset numquam se obedientiae refragaturum, nullum sui ipsius commodum quaesiturum nullumque honorem concupiturum, Matritum reversus obscurum vitae genus aggressus est inter sacerdotes choro altarique addictos, qui vulgo hebdomadarii dicebantur. Sic praeclarum hoc lumen sub humilitatis modio latebat. Cum autem quadam die a P. Priore illius coenobii in cella deprehensus fuisset dum Melchioris Cani, Sanctorumque Patrum opera pervolutabat, gravioresque theologicas quaestiones discutiebat, hujusmodi re evulgata, omnibus admirationi esse coepit ob accuratam diligentiam qua cum esset valde sapiens, atque in divinis litteris apprime versatus, econtra imperitus atque ad quaelibet munia obeunda ineptus prae humilitate videri satagebat. Super candelabrum igitur positus, Deique verbum populis annuntiare jussus, multis in locis, ac praesertim Matriti hoc munus exercuit, ubi cujusque ordinis viri praestantissimi hunc coenobitam gestu

Digitized by Google

eruditionem autem, propter eloquentiam, suavitatem et vim sermonis, propter zelum tandem atque fervorem in pergamis Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, atque Chrysologo assimilatus. Anno 1781. translatus fuit ad Archiepiscopatum Tarraconensem ibique tempore rebellionis gallicae centenos suis expensis aluit exules gallos cum ecclesiasticos tum laicos, atque hos inter etiam D. Antonium Sartine ministrum politiae atque marinae apud Regem christianissimum. Ex hac vita migravit cum opinione sanctitatis anno 1803. aetatis suae 85. Ex Felice Torres Amat in opere de Scriptoribus Catalaunis, quod mihi liberaliter cum aliis libris commodavit P. Andreas Artola Jesuita hispanus. Scripsit lingua patria, typique tradidit: 1. *Tomos quatuor sermonum in* 4. 2. *Compendium doctrinae christianae.* 3. *De translatione Augustinensium Calceatorum Barcinonensium ad novum regale coenobium.* En illius epitaphium desumptum ex supplemento D. Joannis Corminas ad praefatum opus D. Felicis Torres Amat: *D. O. M. Francisco Armagnano ex Eremitis S. Augustini primum Luci Praesuli, post Archipraesuli Tarraconensi, utrobique indefessa salutis animarum cura, verbo et scriptis doctissimis aeque atque piissimis, morum ibidem integerrimorum exemplo informatis ad pietatem populis, optimi Antistitis functo munere, egenorum patri, quorum sublevandis miseriis nihil pene sibi relinquens amplissimos Pontificatus redditus expendit, cujus maxime opera et ope fontanali aqua intra muros inducta gaudens potitur Tarraco, in senectute bona e vivis sublato die IV. Maii anno* 1803. *aetatis suae* 85. Praefatus aquaeductus res fuit magni momenti pro illa civitate adeo ut canonicus quidam ad hoc beneficium celebrandum repraesentarit matronam cum hac inscriptione: *Tarraco expleta siti.*

Digitized by Google

Fr. Franciscus Riambau.

Franciscus Riambau, Hispanus, in insula cui nomen Ebusus ortum habuit. Anno 1731. aetatis suae 28. cum jam rem militarem secutus fuisset, atque deinde ob indolis lenitatem sago exutus utriusque juris scientiae operam navasset, in Matritensi S. Philippi coenobio Augustinianae Familiae nomen dedit. Inter fratres laicos prae humilitate adscribi praeoptabat, Sacerdotio indignum se reputans; aliter tamen superioribus disponentibus ad sacros Ordines promotus fuit, atque Complutum missus ad audiendam sacram Theologiam, ibique P. Mag. Henricum Florez jam illa in Academia doctorem in graecae linguae faciliorem usum valde juvit, eumque et alios cum nostrates tum externos, piis collocutionibus ad normam veterum monachorum institutis, ad severiorem vivendi rationem excitavit. Post emensum Theologiae curriculum cum statuisset numquam se obedientiae refragaturum, nullum sui ipsius commodum quaesiturum nullumque honorem concupiturum, Matritum reversus obscurum vitae genus aggressus est inter sacerdotes choro altarique addictos, qui vulgo hebdomadarii dicebantur. Sic praeclarum hoc lumen sub humilitatis modio latebat. Cum autem quadam die a P. Priore illius coenobii in cella deprehensus fuisset dum Melchioris Cani, Sanctorumque Patrum opera pervolutabat, gravioresque theologicas quaestiones discutiebat, hujusmodi re evulgata, omnibus admirationi esse coepit ob accuratam diligentiam qua cum esset valde sapiens, atque in divinis litteris apprime versatus, econtra imperitus atque ad quaelibet munia obeunda ineptus prae humilitate videri satagebat. Super candelabrum igitur positus, Deique verbum populis annuntiare jussus, multis in locis, ac praesertim Matriti hoc munus exercuit, ubi cujusque ordinis viri praestantissimi hunc coenobitam gestu

Digitized by Google

quidem ac pronuntiatione impolitum, doctrinae vero copia, poenitentiae fama, atque animarum zelo fulgentem jugiter audire gestiebant. Vere admirabilis illius eruditio fuit. Sacra Biblia pene ad verbum memoria retinebat, atque S. P. Augustini libros sic perlegerat, ut audito sermonis aut homiliae cujuslibet initio, incunctanter ad finem usque eadem recitaret. Idipsum quoad S. Leonem, D. Bernardum, aliosque SS. Patres non semel experti sunt, qui in divini Officii recitatione caecutientem adjuvabant. Juris utriusque, conciliorum, atque historiae cum ecclesiasticae, tum profanae peritissimus fuit. Ad haec graecos, latinosque poetas, oratores, geographos etc. extemplo pro nata quaestione solvenda opportune adducere, atque explanare pro ludo habuit. Unde merito a superioribus per pontificiam dispensationem Magister extra numerum constitutus fuit. Religiosae perfectionis amore ardens, media nocte ad confitendum Domino surgebat, pluresque horas in coelestium meditatione traducebat atque carnem vigiliis, inedia, humicubatione, cruentisque verberationibus domabat, adeo ut propter nimiam debilitationem jam ingravescente aetate ex hujusmodi austeritatibus contractam superiorum jussu poenitentiae modum imponere coactus fuerit. Tandem vir vere pius ac sapiens et virtutibus plenus apoplexi correptus obdormivit in Domino Matriti die 14. Octobris anni 1770. Dicitur illibatam virginitatem usque ad obitum servasse quamvis aliquot annos inter medios milites vitam duxerit. Ex nostrate Francisco Mendez noster Dominicus Olabarria. Typis edidit librum de verbo Dei scripto, sive criterium ubi divinae litterae discutiuntur, explicantur, etc.

Fr. Franciscus Xaverius Vasquez.

Franciscus Xaverius Vasquez, Peruanus, ex bonestis parentibus origine hispanis natus est anno 1703. prope Cha-

Digitized by Google

xamarchiam illustre Peruntinae regionis oppidum, atque jam inde ab ipsis teneris annis tum optima indole, tum aliis eximiis naturae dotibus magnum aliquod de se portendere videbatur; cumque praeterea discendi ardore vehementer flagraret rapidissimum in litteris profectum fecit. Maturo tempore Eremitano Ordini nomen dedit, uberrimos fructus in Augustiniano Eremo editurus. Vix tyrocinium ingressus Limae cum coeleste illud effatum aliquando audivisset, eos nempe qui manu ad aratrum apposita retro respicerent, aptos non esse regno Dei, tam alte hoc sibi in mente defixit, ut in quacumque re agenda idem semper illius animo obversaretur. Hinc ille numquam post se respiciens giganteis fere gressibus arduam cucurrit virtutis viam, hinc juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitis continentiae, frugalitatis, atque diligentiae optimum ad imitandum exemplar erat. Hisce praeclaris initiis jugiter inhaerens quotidie magis magisque de virtute in virtutem progrediebatur, adeo ut neque munerum mole, neque dignitatis fastigio, neque aetatis incommodis unquam induci potuerit ut retro respiceret; sed econtra in id semper incubuit ut singulis fratribus suo exemplo praeiret. Praeivit revera multarum virtutum splendore, sed praesertim illius, quae est caeterarum indicium, modestiae nimirum, cum vel in ipsa quoque admodum provecta aetate tyronum instar demissis oculis perpetuo incederet. Verum antequam caetera tanti viri illustria merita prosequamur, operae pretium est ut causam illius in Europam adventus hoc in loco praemittamus. Itaque cum Xaverius noster 35. circiter annos natus Peruntini Provincialis secretarium ageret, accidit ut integerrimus Praeses malis iniquorum hominum artibus injuste sua dignitate destitutus fuerit; quamobrem impavidus ille oppressae innocentiae vindex in Hispaniam navigavit sui Praesulis causae apud Matritensem Aulam patrocinaturus. Verum ubi Matritum pervenit statim agnovit iniquo adversariorum astu omnem sibi ad Curiam

Digitized by Google

aditum interclusum; quamobrem Romam re infecta se contulit ut ad supremum Ordinis tribunal eamdem insontis Praesulis causam defenderet. Ibi autem hujusmodi negotium felicius quam Matriti illi obtigit; nam sua industria nedum istud effecit, ut scilicet Provincialis in suum locum restitueretur, verum etiam eidem pro acceptae injuriae compensatione statutus regiminis terminus integrum annum protraheretur; in cujus negotii gestione tanta fuit nostri Vasquesii magnitudo animi ut omnium poenarum, quae legibus sancitae erant, condonationem adversariis impetrarit. Post haec a sua Provincia electus fuit procurator apud Romanam Curiam, et Aulam Matritensem, necnon definitor pro comitiis generalibus Ariminensibus (1739) in quibus Generalis creatus fuit Felix Leoni a Juvenatio. Hujus successor Generalis Augustinus Gioja misit illum visitatorem in Mexicum, sed quia propter susceptam contra hispanicam Inquisitionem nostratis Cardinalis Henrici Noris defensionem illius Gubernii indignationem in se converterat, idcirco illuc proficiscendi facultatem obtinere non potuit. Quamobrem Romam revocatus, a praefato Gen. Augustino Gioja in socium assumptus fuit ad regimen nostratum hispanorum. Verum ab hoc etiam officio consequendo adversariorum obstaculis prohibitus fuit; quapropter Summus Pontifex Benedictus XIV. cui jam tanti viri ingenium et praestantia innotuerant, illum vivae vocis oraculo Procuratorem Ordinis generalem constituit eo tempore quo instante jam Supremi Praesulis fato brevi suscepturus esset vicariam totius Ordinis administrationem. Hoc evenit anno 1751. ac biennio post, anno 1753 Bononiae praefato Pontifice plaudente Generalis perpetuus renuntiatus fuit. Hoc auctus honore in primis ea quae magnificentissimo S. Augustini de Urbe coenobio perficiendo adhuc deerant ipse complevit, pluraque templa per totam Pontificiam ditionem ornavit, instauravit, vel etiam a fundamentis excitavit, cujus rei exemplum extat templum Genestani, in quo celeberrima

Digitized by Google

Deiparae de Bono Consilio imago asservatur. Item plurium Beatorum Ordinis canonizationis causam suis expensis promovit, indigentes fratres indumentis, libris, et viatico abundanter instruxit, Cascianas et Fulginates nostri Ordinis moniales non semel ab egestatis injuriis redemit, sacrisque donariis ditavit, atque Angelicam Bibliothecam nedum ampliavit, verum etiam optimis scriniis ornavit, selectisque voluminibus auxit. Praeterea coenobiorum damna reparavit, jura defendit, regularem disciplinam erexit, moresque reformavit, Praesulum favorem Ordini conciliavit, Regumque atque Principum tutelam impetravit, difficillima negotia non sine imperantium commendatione et plausu expedivit, atque in consiliorum societatem et regiminis partem ex toto Ordine selectos viros praestantissimos assumpsit, eosque, quod magis mirandum est, qui numquam illi assentatorum more blanditi fuerant. Ad haec meritis tantum gradus contulit, munera aptioribus distribuit, atque demum summa prudentia instituta edidit atque decreta tempori accommodata. Effecit etiam ut in gymnasiis nostris sacrae eloquentiae sacrorum canonum, critices, historiae ecclesiasticae, atque mathematicae studia vel instituerentur ubi deerant, vel ubi jam vigebant, reformarentur, ad quae studia propositis praemiis adolescentes alliciebat. Anno 1785 venerabilis senex repente apoplexi correptus fuit, quae illi tum facultates intellectuales, tum nobiliores corporis sensus vitiavit. Ita graviter laesus supervixit tamen adhuc decem circiter menses, sub quorum terminum Ecclesiae Sacramentis rite munitus hujus mortalis vitae cursum Romae explevit. Typis edidit: 1. *Opusculum in defensionem nostri Card. Henrici Noris.* 2. *In linguam hispanicam traduxit meditationes nostratis V. Jo. Nicolai Chiesa.* 3. *Plures litteras encyclicas ad suos fratres scriptas tempore sui Generalatus, in quarum una demonstrat Jansenismum esse Augustinianae sententiae contrarium.*

Digitized by Google

FF. Guilelmus Bartolomei, et Dominicus Lucchesi.

Guilelmus Bartolomei, Lucensis, S. Theologiae Magister, Assistens, Bibliothecae Angelicae theologus, examinator Episcoporum, magni nominis concionator, atque in Romano S. Augustini templo S. Scripturae interpres, fato concessit Romae anno 1859, aetatis suae 57. Praelo tradidit: 1. *Opus eruditione refertum sub titulo: Corso di conferenze sopra la Religione, e la morale.* 2. *Varias conciones et orationes panegyricas.*

Dominicus Lucchesi, item Lucensis, S. Theologiae Magister, atque in Romano S. Augustini templo S. Scripturae explanator, vir fuit incredibili eloquentia praeditus ita ut ipso Romae e pergamo ad populum verba faciente oporteret a militibus januas custodiri ad nimiam multitudinis stipationem impediendam. Magno omnium dolore immaturam mortem oppetiit ad Centumcellas, quo reparandae valetudinis causa se contulerat, vix quadragenarius anno 1822. Non semel in Basilica S. Petri quadragesimales conciones summo cum plausu recitavit. Impressum reliquit sequens sui ingenii monumentum: *Il Principe d'Isocrate, traduzione dal greco con annotazioni.*

Fr. Guilelmus Gahan.

Guilelmus Gahan, vir doctrina ac pietate spectabilis, natus est Dublini in Hibernia anno 1732. Cum a pueritia monasticam vitam adamare coepisset, decimo septimo suae aetatis anno Augustinianae Familiae nomen dedit, ac post peractum tyrocinium studiorum causa Lovanium se contulit, ibique anno 1750 Sacerdos inauguratus fuit, et 1755 Lova-

Digitized by Google

niensis Doctor constitutus. Anno 1761 in Hiberniam reversus, ut Dublinensi Archiepiscopo morem gereret, parochi officium in eadem urbe suscepit, illudque per triennium laudabiliter exercuit. Hoc pondere exoneratus ad componendos libros christianae pietati provehendae perutiles se totum convertit, ac talia opera in lucem emisit, quae numquam satis pro merito laudari poterunt. Instar episodii ad hujus coenobitae vitam pertinet praeclarum quoddam facinus, quod illius nomen summopere commendat. Nam cum D. Dunboyne (Episcopum catholicum, qui ne paternam haereditatem amitteret communionem romanam deseruerat) in extremo agone Deo atque Ecclesiae reconciliasset, hac de causa ad regium tribunal appellatus fuit ut de hujusmodi re testimonium daret, ex quo nimirum magnae litis solutio omnino pendebat. Sciendum quippe est quod si certo probari potuisset praefatum D. Dunboyne ad confessionem catholicam ab anglicana reversionem fecisse, irritum ipso facto declaratum fuisset illius testamentum quo magnum praedium catholico collegio Maynooth legaverat. Rogatus itaque noster Gahan a judicibus utrum revera D. Dunboyne Ecclesiae romanae Sacramenta in mortis articulo administrasset, invicta fortitudine respondit: *Se nulla unquam ratione induci posse ut quae secreto cum amico egerat cuiquam palam faciat, cum certum habeat cuicumque potius supplicio obviam ire, quam hujusmodi proditionis se reum efficere.* Quamobrem ut hanc ipsius animi firmitatem frangerent illum judices in carcerem detrudi jusserunt; experti tamen hujus violentiae inutilitatem illum post paucos dies liberum dimiserunt, atque ita per invictum Gahan silentium laudatum collegium causam vicit. Claruit potissimum noster Guilelmus praedicationis zelo, praedicavitque opportune et importune ut omnes Christo lucrifaceret, indefessus fuit in excipiendis fidelium confessionibus, multosque verbo et exemplo ad fidem atque virtutem confirmavit, fuitque revera sua aetate Hibernorum

Digitized by Google

pater ac magister. Extat adhuc Dublini ad perenne suae religionis monumentum magnum puellarum collegium ab illo pro iis christiane educandis institutum. Obiit Dublini cum fama sanctitatis 1804. aetatis suae 74. postquam duabus vicibus provincialatum gessisset, atque per quinquaginta circiter annos copiosam messem in agro dominico collegisset. Consule inter alios Hibernos scriptores etiam nostratem P. Martinum Crane in suo libro de Augustinianis Hibernis. Opera ejus sermone anglico exarata, typisque tradita haec sunt: 1. *Sermones varii circa diversa argumenta.* 2. *Historia Ecclesiae in* 2. *vol. in* 8. 3. *Manuale devotionis catholicae, cujus factae sunt* 50 *editiones.* 4. *Brevis expositio doctrinae christianae.* 5. *Brevis et facilis methodus pro dignoscenda vera Religione.* 6. *Juventus instructa circa fundamenta christianae Religionis.* 7. *Devotus communicans, et alia.*

Fr. Henricus Florez.

Henricus Florez, Hispanus, natus est in dioecesi Burgensi ex nobilibus parentibus anno 1702. Adolescens optima indole atque raro ingenio praeditus cum quadam die coenobitarum choro interesset, atque illa Completorii verba audisset: *Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?* statim interiori Dei voce ad monasticam vitam amplectendam se vocatum sensit. Huic vero divinae vocationi ita deinceps constanter semper adhaesit ut etiam contra parentum voluntatem eidem omnimode obtemperare voluerit. Itaque anno 1718 Salamanticae Augustinianam tunicam induit, atque post emissam solemnem votorum professionem Vallisoletum missus fuit, ut ibidem Philosophiae cursum conficeret, eoque completo Salamanticam rediit theologicis disciplinis operam daturus, qua in palaestra

Digitized by Google

inter 40 condiscipulos neminem a quo superaretur nactus fuit, suique ingentis profectus in publicis concertationibus non semel specimen dedit. Anno 1725 inauguratus fuit sacerdos, deditque se verbi Dei praedicationi, quo in munere exercendo magni oratoris nomen sibi comparavit, atque 1729 sacrae Theologiae laurea decoratus fuit. Cum multis sui aevi nobilioribus atque doctioribus viris intimam necessitudinem atque amicitiam conjunxerat; erat enim valde versatus in notitia antiquitatum, numismatum, genealogiarum, historiae naturalis, aliarumque scientiarum. Annos natus 28 a suae Provinciae fratribus rogatus compendium Theologiae dogmaticae inchoavit, quod tamen propter varias infirmitates atque multas occupationes nonnisi post annos octo valuit complere. Exinde vero aliis studiis totum se dedit, in quibus decem quotidie horas insumebat, in eisque didicit historiam, linguam gallicam, italicam, graecam atque alias. Collegit atque illustravit numismata antiqua, quo labore plurimam utilitatem reipublicae litterariae attulit. Fuit regalis Complutensis collegii rector, ejusdem Universitatis Theologiae doctor atque professor, censor atque visitator bibliothecarum ex parte S. Inquisitionis, atque apud Ordinem Provincialis. A nostrate Francisco Mendez ejus vitae scriptore laudatur etiam haud ignobilis poetae nomine. Potissima autem hujus doctissimi viri laus in hoc ponenda videtur quod scilicet nemo unquam in antiquitatibus cum sacris tum profanis investigandis illum superarit, ut eximia ejus opera ab omnibus probata testantur. Neque vero doctrina tantum atque insignium operum scriptione, sed etiam summo claruit Henricus noster tum humilitatis studio, quo ipsam quoque recusavit episcopalem dignitatem, tum amore religiosae paupertatis, quo divitum munera rejiciebat, tum poenitentiae cultu, per quem ciliciis, jejuniis, atque verberationibus corpus afflixit, tum demum spiritus fervore, quo nonnulla sua opera veluti quodam salutari balsamo refersit.

Digitized by Google

Tandem eruditissimus coenobita ad suae peregrinationis terminum pervenit Matriti in coenobio S. Philippi die 5 Maii anni 1773 aetatis suae 72. Ex vita ipsius scripta a praefato Francisco Mendez. Consule etiam novum dictionarium encyclopedicum linguae hispanicae. Opera quae typis tradidit haec sunt: 1. *Opus egregium comprehendens universam historiam Ecclesiae hispanicae cui titulus: Espana Sagrada, tom.* 29. *in* 4. Hoc opus continuarunt nostrates Emmanuel Risco, Antoninus Merino, et Josephus de la Canal usque ad tom. 47. 2. *Clavis historica qua aperitur janua ad historiam ecclesiasticam et politicam, comprehendens chronologiam Summorum Pontificum, Imperatorum etc. ubi etiam fit sermo de regibus Hispaniae, Italiae, Galliae etc.* 3. *Descriptio praeliorum quae gesserunt Romani in Hispania.* 4. *De numismatibus coloniarum, municipiorum, atque populorum antiquorum Hispaniae.* 5. *Elogia S. Regis Ferdinandi.* 6. *Praxis orationis mentalis.* 7. *Clavis geographica.* 8. *Historia reginarum catholicarum Hispaniae.* 9. *Theologia scholastica (latine) juxta principia Scholae Augustiniano-Thomisticae.* 10. *Totius doctrinae de generatione, et corruptione, de coelo et mundo atque de anima compendiosa tractatio, et alia.* Praeter haec et alia sui ingenii monumenta ut plurimum patrio sermone exarata aliorum quoque scriptorum libros correxit, auxit, traduxit, typisque tradidit, ita ut perpauci admodum inveniri possint qui magis quam ille de litteraria republica benemeriti sint.

FF. Hilarius Robeck, et Aloysius Sandblicher.

Hilarius Robeck natus Lippae Bohemorum die 13 Januarii anno 1733 apud Eremitarum Ordinem professionem emisit anno 1752. Fuit in Universitate Pragensi in philosophicis examinator, ac deinde scilicet anno 1767 post nostrum

Digitized by Google

Cosmam Schmalfum S. Theologiae ad mentem S. P. Augustini professor, et insuper apud nostrates studiorum moderator, quibus in officiis mortuus est anno 1785. Typis edidit: 1. *Tractatus theologicos de legibus, peccatis, et peccatorum poenis, de Verbo Dei incarnato, de gratia Christi, de quatuor ultimis Sacramentis, tom. IV. in 4.* 2. *Dissertationem de matrimonii in infidelitate consummati, etsi alteruter conjugum christianam Religionem amplectatur, indissolubilitate.* 3. *Alteram de aestu maris reciproco.*

Aloysius Sandblicher Rattenbergae Tyrolis anno 1751 natus, 1770 Augustinianam tunicam induit. Cum multos annos apud nostrates Philosophiam atque Theologiam tradidisset, anno 1810 jubente Bavariae Rege in Licaeo Salisburgensi linguas orientales docere atque sacros libros interpretari coepit. Anno 1814 Wirburgensi et Landishutano theologorum Ordinibus annuentibus Theologiae doctoris dignitatem obtinuit. Debitum naturae persolvit anno 1820. Scripta ejus germanica typis evulgata haec sunt: 1. *An et quomodo primi christiani S. Scripturam legerint.* 2. *Epistolae* 31 *contra animadversiones Hori in prophetas, Jesum, et ejus discipulos.* 3. *Synopsis epistolarum theologi Augustiniani ad cl. P. Benedictum Oberhauserum.* 4. *Examen inquisitionum philosophicarum et criticarum in vetus Testamentum et Religionem Mosaicam Berolini editarum.* 5. *De authenticitate textus originalis.* 6. *Introductio in libros veteris Testamenti, et etiam specialis introductio in libros novi Testamenti.* 7. *Prospectus philologicus culturae litterariae antiquorum graecorum.* 8. *Vox clamantis in deserto, sive observationes in Paulum.*

FF. Jacobus Alvarez, et Josephus Gabriel Echavarria.

Jacobus Alvarez, Hispanus, illustris fuit Vallisoletani collegii alumnus. Solemnia vota ibidem nuncupavit anno

Digitized by Google

1774, ac post expletum studiorum curriculum ad insulas Philippinas profectus fuit, ibique per multos annos in vinea Domini strenue adlaboravit. Vir moribus candidus, sanctissimaeque conversationis ad Dei amorem omnes alliciebat. Postquam multos annos christianae Indorum institutioni sedulam operam navasset, in Manilense coenobium se recepit, ibique cum magna sanctitatis opinione debitum naturae persolvit, atque illius corpus anno 1825 ex publico coemeterio ad nostram ecclesiam translatum fuit, atque separatim reconditum.

Josephus Gabriel Echavarria Peruanus, ex conspicua atque opulenta familia ortus, admodum adolescentulus, aetate nimirum 13 annorum in Limano coenobio Eremitanae Religioni nomen dedit. Ita exinde claruit cunctarum virtutum exemplis ut in sua Peruvia ab omnibus pro viro sancto haberetur, quam aequam sui existimationem etiam in Hispania bonorum operum exercitio postea confirmavit. Non desunt qui putent illum innocentem tunicam in baptismate indutam ad extremum usque vitae halitum immaculatam servasse. In ea quae ad pietatem pertinent jugiter incumbens, quae tamen doctrinae sunt minime praetermisit, evasitque propterea S. Theologiae Magister, atque ferventissimus concionator. Neque apud suos honoribus caruit; nam adhuc juvenis factus fuit Peruviae Provincialis. Anno 1820 ob politicas illius regionis vicissitudines in Hispaniam trajecit, atque in nostro Hispalensi coenobio mansionem suam statuit, illi provinciae anno 1830 adscriptus. In eadem civitate cum magna sanctitatis opinione vixit usque ad annum 1862 quo ad recipiendam meritorum suorum coronam ex hac vita migravit annos natus 85. Inter caeteras piissimi coenobitae egregias dotes potissimum celebratur animarum zelus, assiduitas orationis, rigor poenitentiae, invicta in diutinis morbis tolerandis patientia, misericordia in pauperes, et gratia curationum, cum multas prodigiosas sanationes suis

Digitized by Google

meritis a Domino impetrasse constet. Demortui corpus suavem odorem exhalans sex dies publicae venerationi patuit, atque interea fideles nedum illius vestes devotionis causa sibi diviserunt, verum etiam ipsum cubiculi pavimentum abraserunt, ut ramenta pro reliquiis servanda sibi haberent, ejusque imagines, quae tunc magno numero excusae fuerunt, certatim expetierunt. Ex relatione mihi transmissa a nostrate P. Mag. Antonio Maria de Raquena.

Fr. Jacobus Doyle.

Si unum excipias percelebrem Danielem Oconnell nemo sane melius atque validius Hibernorum catholicorum jura tam civilia, quam religiosa contra Anglicum Gubernium defendit quam hic Augustinianus coenobita Jacobus Doyle, Episcopus Kildarensis atque Leighlinensis, vir procul dubio incomparabilis, cui hoc decurrens saeculum perpaucos admodum pares habuit, sive in illo religiosum, sive litterarium, sive etiam politicum meritum respicias. Natus est hic vir vere magnus ex conspicuis parentibus in Hiberniae urbe New-Ross anno 1786, atque ubi ad adolescentiam pervenit monasticum institutum amplecti cupiens, apud Augustinianos urbis Grantstown eremitanum habitum induit. Post emissam solemnem professionem studiorum causa Conimbriam in Lusitaniam profectus fuit, atque ibidem nedum egregium in scholis alumnum, verum etiam strenuum in bello militem contra napoleonicas copias se ostendit; non dubitavit enim ardens juvenis justitiae atque aequitatis amator pro tuendis Lusitanorum juribus adversus gallicam incursionem armis decertare; quamobrem a victoribus captus, in custodiam traditus fuit. Post tres annos quam in Lusitaniam venerat, illinc exulare coactus, in patriam remeavit, ibique in col-

Digitized by Google

legio Augustiniano New-Ross per quinquennium Theologiam tradidit, ac postea se contulit Carlow, ubi docuit amoenas litteras, Mathematicam, Philosophiam, Theologiam, atque Scripturam. Anno 1819 electus fuit Episcopus Kildarensis et Leighlinensis cum 33 suae aetatis annos haberet. Exinde totum se Religionis atque patriae defensioni mancipavit, in quo sane glorioso certamine ita strenue se gessit ut nedum Hibernis, verum etiam totius Orbis catholicis plurimum profuisse, ac ipsis quoque Danielis Oconnell triumphis viam stravisse jure credatur. Neque hoc mirum; nam talis vir fuit cui nihil rebus magnis gerendis aptum deerat; tanta nimirum praeditus eruditione ut universam pene Scripturam atque praecipua SS. Patrum, ac praesertim Augustini testimonia memoria retineret, tanto mentis acumine, tanta eloquentiae vi, tanta dicendi aut scribendi gravitate, tanta insuper politicarum rerum notitia, tantaque denique animi fortitudine, ut merito illi contigerit in hujus saeculi theatro tam litterario, quam religioso primas partes agere. Quare minime profecto errasse censendi sunt scriptores illi, qui Jacobum nostrum Hiberniae Bossuetum appellarunt. Neque vero minus praestantissimus Antistes pastorali zelo commendatur. Nam totus fuit in moribus reformandis, abusibus removendis, vitiis extirpandis, christiana institutione atque pietate promovenda, clericorum doctrina extendenda, atque, uno verbo, omni tam spirituali quam temporali suorum subditorum utilitate procuranda. Tot autem tantisque eximii pastoris virtutibus culmen quodammodo imponere videtur amplissima illius erga proximum caritas, qua nimirum inops ipse pro aliorum inopia sublevanda fieri non dubitavit, ipsumque quoque sui ipsius cor egenis daturus, si illud in aurum, ut ita dicam, convertere potuisset. Vertit ad suum occasum hoc splendidissimum Hiberniae sidus, atque praeclarissimum Episcoporum exemplar anno 1834 aetatis suae 48 longioris vitae omnibus catholicis desiderium relinquens.

Digitized by Google

Tanti viri magnitudinem superstitibus indigitat elegans marmorea statua illi erecta in Civitate Carlovv. Consule universam insulam Sanctorum, atque ejus vitam anglice conscriptam. Opera ejus sermone anglico exarata, typisque edita haec sunt: 1. *Analysis fidei divinae.* 2. *Specimen de abolitione decimarum, et de recto usu bonorum ecclesiasticorum.* 3. *Opus politicum de abolenda unione Hiberniae atque instaurando proprio illius regimine.* 4. *Famosae epistolae duodecim de statu Hiberniae sub litteris initialibus I. K. L. tom.* 1. *in* 8. *pag.* 400. 5. *Specimen famosum de juribus catholicorum tom.* 1. *in* 8. *pag.* 300. 6. *Principia religiosa et civilia Catholicorum Hibernorum vindicata.* 7. *Apologia ejusdem operis.* 8. *Suum testimonium coram Senatu Anglico.* 9. *Apologia Cleri catholici.* 10. *Demonstratio et apologia miraculorum.* 11. *Defensio dogmatis de transubstantiatione.* 12. *Alterum testimonium ut supra.* 13. *Duae celebres epistolae in defensionem Religionis Catholicae contra Anglicanum Archiepiscopum Dublinensem.* 14. *Diversae aliae epistolae, praefationes, etc.*

Fr. Joannes Ellacuriaga.

Joannes Ellacuriaga, Cantaber, sexdecim annos natus in Salmanticensi coenobio Augustinianae Familiae nomen dedit. Acri praeditus ingenio, atque in laborando indefessus, in studiis valde profecit, evasitque apprime doctus S. Theologiae Magister. Potissimum autem claruit optimi religiosi existimatione. Provincialatus honorem sponte declinans Matrito discessit, atque in parvo quodam dioecesis Toletanae coenobio aliquot annos humilem vitam duxit. Libenter ibidem soli Deo vacans reliquos suae aetatis annos transegisset, nisi obedientiae praecepto Matritum ad regendum magnum S. Philippi coenobium regredi coactus fuisset. Suae Provinciae

Digitized by Google

definitor fuit, atque S. Inquisitionis qualificator. Ad Jacensem Episcopatum a Rege designatus, honorem simul cum onere constanter recusavit. Accidit autem interea ut cum Rex Catholicus Philippus V conscientia urgente, de promovendis ad Indiarum Episcopatus, caeteraque ecclesiastica beneficia regio patronatui subjecta doctorum hominum sententiam rogare decrevisset, in horum numero etiam noster Joannes recensitus libellum exararit, doctrina quidem, sacraque eruditione refertum, sed aliquali in scribendo licentia ob id notandum, quod regiis tantum oculis legendum confideret. At vero amici cujusdam imprudentia factum est ut opusculo typis edito secreta Regis panderentur; quapropter innocens auctor a regia urbe expulsus ad Flariobrigense coenobium se contulit, ibique rerum humanarum pertaesus, ac coelestia tantum quaerere cupiens, orationi, poenitentiae, ac proximorum saluti procurandae totum se dedit, evasitque verbo et exemplo illius regionis velut oraculum, adeo ut clerus et populus ad illum de conscientiae negotiis consulendum frequenter convenirent. Ac licet Summi Pontificis Benedicti XIV qui praefatum opusculum exilii causam forte legerat, commendatione in gratiam a Rege receptus fuerit, tamen in suo latibulo usque ad obitum permanere voluit. Obiit autem anno 1751 aetatis suae 85. Ex nostrate Vidal in opere de Augustinianis Salmanticensibus. Typis evulgavit hispanice: 1. *Praefatum opusculum Benedicto XIV benigne acceptum.* 2. *Vitam V. Annae Philippae de Angelis Augustinianae Excalceatae.* 3. *De inventione et declaratione corporis S. P. Augustini.* 4. *Descriptionem Augustinianae Provinciae Castellae.*

Digitized by Google

FF. Joannes Facundus Sidrus Villarroggius, et Josephus Villaroig.

Joannes Facundus Sidrus Villarroggius, Hispanus, fuit S. Theologiae doctor, atque ejusdem facultatis publicus in Valentina Academia professor, qui non solum Philosophiam atque Theologiam, verum etiam Mathematicam, atque linguam hebraicam callebat. Anno 1786 Romam ad Capitulum generale definitor venit, ac post reditum factus fuit Vicarius generalis Hispaniarum. Fuit examinator synodalis Archiepiscopi Valentini, variarum praecipuarum Academiarum socius, concionator regius, atque publicorum annalium scriptor. Obiit senex anno 1816. Opera ejus impressa sequentia sunt: 1. *Institutiones theologicae ad hispanorum adolescentium usum, lib.* 20. 2. *Elementa Philosophiae.* 3. *Plures orationes.*

Josephus Villaroig, item Hispanus, discipulus nostratis Raphaelis Lasala, qui postea fuit Episcopus Solsonensis, describitur a nostrate Josepho Mollà, quem citat Justus Pastor Fuster in Bibl. Valentina, tamquam exemplar vitae et morum. Claruit extasibus, vigiliis, macerationibus, seraphicis gemitibus, spiritu prophetiae, atque miraculorum patratione. Valentiae cum fama sanctitatis supremum diem explevit anno 1767 aetatis suae 40. Praelo tradidit sequentia sermone patrio exarata: 1. *Memorias historicas prodigiosae imaginis S. Mariae de Gratia.* 2. *Septenarium ad honorem ejusdem SS. Virginis, novendium S. P. Augustini, et alia.*

FF. Joannes Felix Ossinger, et Martinus Rosnak.

Felici Ossinger plurimum debet Augustiniana Religio, quippe quod ingenti labore ex innumeris auctoribus notitias

Digitized by Google

collegit ad scriptores Ordinis spectantes, easque posteris tradidit in magno volumine, cui titulus: *Bibliotheca Augustiniana, in qua mille quadringenti Augustiniani Ordinis scriptores inveniuntur*. Patriam habuit Monachium in Bavaria ex Patriciorum genere ortus, fuitque apud Ordinem S. Theologiae Magister, Prior Monachii, Provincialis, atque Assistens. Laudatur etiam a morum probitate, regularis observantiae zelo, atque Eremitanae Familiae splendorem promovendi studio. Decessit anno 1767, quo praefatum opus sub praelo erat. Vide Aloysium Baader de Scriptoribus Bavaricis 18 et 19 saeculi.

Martinus Rosnak, Hungarus, vir moribus ac litteris spectabilis, natus est Terffel in Comitatu Castroferriensi Hungariae inferioris anno 1730. Post studia egregie peracta docuit Viennae et Graecii. In hujus civitatis Universitate doctoris theologici laurea decoratus, ac postea rectoris magnifici dignitate auctus fuit. Priorem egit conventus Graeciensis, atque hoc officio exoneratus contulit se Leucam, ubi adhuc vivebat anno 1793. Ejus scripta latine typis edita haec sunt: 1. *De vita et scriptis nostratis Sixti Schier brevis notitia*. 2. *De monasteriis Provinciae Austriae et Hungariae Ord. S. P. Augustini succincta notitia*. 3. *Obsidio regiae ac liberae civitatis Ginsii anno* 1532 *a Turcis peracta*.

FF. Joannes Fernandez Rojas, et Petrus Centeno.

Joannes Fernandez Rojas, Hispanus, S. Theologiae Magister, alumnus fuit Salmanticensis coenobii, atque discipulus nostratis celeberrimi Didaci Gonzalez, quo duce atque magistro tam in humanioribus litteris, quam in linguarum peritia valde profecit. Juvenis studio jugiter intentus, magnam sacrae antiquitatis, philosophiae atque historiae notitiam sibi

Digitized by Google

comparavit, evasitque disertus atque eloquens concionator. Missus postea a Superioribus in regiam Matritensem civitatem, in quantam omnium existimationem venerit vel ex eo patet, quod cum Sanctorum Hispanorum vitae in laudatissimo P. Joannis Croiset Jesuitae *Anno Christiano* desiderarentur, ipse a bibliopolis rogatus fuerit ut tanto operi manum admoveret. Hujusmodi laborem noster Rojas non recusavit, atque nostrate Petro Centeno in socium assumpto ita publicae expectationi satisfecit, ut numquam deinceps apud Hispanos magnum illud opus absque additionibus Augustinensium sodalium recusum fuerit. Si qui praeterea juvenes aut poesi aut philologicis disquisitionibus dediti fortunam vellent tentare, non aliquid prius typis mandare audebant, quam examini et auribus eruditi Augustiniani coenobitae commisissent, ejusdem judicium veluti optimum felicis exitus pignus praestolantes. Ipse vero hujusmodi ludis animum relaxans, quoniam videbat nonnullorum ingenia vulgi opinionibus nimium indulgere, libellum edidit valde lepidum cui nomen *Crotalogia, sive crotalorum scientia*, in quo sub magno problematum, corollariorum, theorematum, atque scholiorum apparatu valde facete irridet mathematicam omnes scientias tractandi methodum a Germanis inductam, aliaque praejudicia, quae apud illius temporis litteratos praevaluerant. Anno 1800 successit nostrati Emmanueli Risco in continuatione *Hispaniae Sacrae* nostratis Henrici Florez; ast Napoleonico bello exorto opus intermisit, cumque post legitimi Gubernii instaurationem jam annorum pondere, ac variis incommodis gravaretur, onus abjecit humeris validioribus sustinendum, regioque accedente consensu inita obligatione liberatus fuit anno 1816, nec multo post in conventu Matritensi religiosam mortem oppetiit. Lyrica illius poemata, in quibus nonnulla sunt peritorum judicio cum nostratis Aloysii Legionensis, ac etiam Horatii carminibus compa-

Digitized by Google

randa, inedita servantur apud nostratem Dominicum Olabarria, a quo praesentes notitias accepi.

Fr. Petrus Centeno, item Hispanus, alumnus observantissimi coenobii Salmanticensis, atque S. Theologiae Lector emeritus, vir fuit acri ingenio praeditus, atque ad satyricum sermonem propensiori. Adjuvit nostratem Fernandez Rojas in scribendis Sanctorum Hispanorum vitis. Ipse vero leviora quaedam edidit multo lepore condita, quae in ephemeride vulgo *Semanario de Valladares*, et aliis illorum temporum collectionibus reperiuntur. Mature decessit in civitate Tauri circa finem saeculi 18. Ex relatione praefati nostratis Dominici Olabarria.

Fr. Joannes Laurentius Berti.

Joannes Laurentius Berti natus est Seravetiae in Hetruriae finibus non longe a Carferoniana die 27 Junii anni 1696 ex patre Luca Berti, ac matre Dominica Boncia, quae hunc filium septimestrem se peperisse affirmabat. Adhuc puer ex incendii periculo per fenestram ereptus fuit, quod quia contigit pervigilio S. Laurentii, idcirco Laurentii nomen apud Ordinem accipere voluit. Ante Augustiniani habitus susceptionem juvenis crassioris minervae videbatur; nam parvum admodum in litteris profectum faciebat, unde aliquando acrem patris reprehensionem in se concitavit. Postquam autem Bargae Eremitano Ordini nomen dedit, tantam ostendit mentis perspicaciam, ingeniique feracitatem, quantam eruditissima ejus opera testantur. Jam inde a 22 suae aetatis anno concionari exorsus, nobiliora postea Italiae pergama conscendit, tantam nimirum eloquentiae laude, ut illum Fanensis populus civitate donarit. Anno 1725 Liburnii in Hetruria hebraeorum conversioni operam dare coepit, atque

Digitized by Google

ex iis nonnullos suis concionibus Christo lucrifecit. Dum eloquentiam excolebat, operam etiam navabat linguae graecae et hebraicae atque poesi, unde non paucos plausus retulit inter Apatistas Florentinos carmina extemporanea recitando. Potissimum autem studium Theologiae impendit, quam facultatem docuit Senis, Florentiae, Bononiae, Patavii, et Romae. Jussus a Generali Antonio Schiaffinati opus de theologicis disciplinis ad usum scholarum Ordinis conficere, huic molitioni totum se dedit, atque ante omnia caeteris omnibus occupationibus deonerari postulavit. Exinde illum quotidie vidisses vel intra Angelicae Bibliothecae parietes inclusum legendo atque scribendo integros dies insumentem, vel in cubiculo inter theologicas lucubrationes noctes insomnes ducentem, vel cum iisdem studiis per vias ambulantem, vel demum etiam cum illis autumnali tempore rusticantem. Nam postquam huic tam improbo labori manum admovit, non aliquid de pristino scribendi ardore ante remisit, quam majorem suscepti operis partem complevisset. Rm̃us P. Mag. Augustinus Gioja statim ac factus fuit totius Ordinis Generalis Bertium nostrum aliquo honore prosequi cupiens, illum in suum epistolarum latinarum scriptorem assumpsit, quod muneris genus antea in Ordine numquam viguerat. Hoc ubi rescivit Benedictus XIV Generalem arcessivit, eique imperavit ut Bertium vacuum atque ab omni officio liberum sineret, aut si vellet illum aliquo gradu decorare Angelicae Bibliothecae praefectum constitueret. Quibus Pontificis jussionibus sine mora Rm̃us Gioja obsecutus fuit. Item praefatus Summus Pontifex eidem Generali postea praecepit ut Bertium Italiae Assistentem crearet, quae res mutuam inter utrumque amicitiam aliquantulum imminuisse videtur atque causa fuisse cur Berti Romam relinquere animum induxerit, atque Pisas se conferre ut apud illam celeberrimam Universitatem historiae ecclesiasticae professorem ageret, ad quod munus exercendum a Magno Duce, qui

Digitized by Google

postea fuit Franciscus I. Imperator, invitatus fuerat, assignata ingenti pensione cum titulo theologi imperialis. Refert Angelus Fabronius vol. XI. quod laudatus Summus Pontifex Benedictus XIV Bertium nostrum ad purpuram designarat; ast aemulorum invidia ne hunc honorem consequeretur obicem posuit. Dum Pisis degebat consultus fuit a Lucensibus de quadam controversia, quae inter ipsos et Pontificem Clementem XIII versabatur. Quid pro Lucensibus Bertius egerit publicae luci non patuit; constat tamen propterea illum apud eumdem Pontificem offendisse, qui suam indignationem per Generalem Vasquez illi acerbis verbis notam facere voluit. Hujusmodi obiurgatio mortem illi accelerasse videtur. Nam non ita multo post Florentiae dum Missam celebrabat, apoplexi correptus fuit, atque exinde pristinam sanitatem numquam recuperare potuit quamvis ad debilitatas vires reficiendas itineri se commiserit atque Venetias usque pervenerit. Inde postea Pisas reversus dum in choro orationi vacabat, alio apoplexis ictu percussus fuit, atque novem post dies verbis ac nutibus confirmans magnam pietatis opinionem, quae de illo habebatur, ad immortalem vitam transivit die 26 Maii anni 1766 aetatis suae 71. Consule potissimum laudatum Fabronium, qui inter caetera de Bertii scriptis haec habet: *Admonendi omnes sunt qui dant operam Theologiae ut hos libros numquam de manu deponant. Praeseferunt enim genus scriptionis grave et argumento plane dignum . . . . lucidum ubique ordinem cum brevitate conjunctum, summam in rebus maximi momenti diligentiam, in disputationibus moderationem, tantam autem eruditionis copiam ut ad theologicas disciplinas percipiendas amoenam non minus quam compendiariam aperiant viam. Ac fuere quidem nonnulli, quibus videretur Bertius subobscure aliquando, et veteranis potius quam tyronibus scripsisse, et interdum festinantis calami indicia dedisse; quorum primum rerum, non verborum obscuritati, alterum necessitati quae premebatur celeriter perficiendi operis concedendum . . . .*

Digitized by Google

Postquam Bertius suum de theologicis disciplinis opus absolvisset, calamum iterum sumere debuit ut illud a calumniatoribus defenderet. Hi enim et voce et scripto et privatim publiceque disseminabant ab illo prava et perversa multa edoceri... Exaravit itaque Bertius, vulgavitque Romae anno 1747 dissertationes sex, quarum haec est inscriptio: Augustinianum systema de gratia ab iniqua Bajani et Janseniani erroris insimulatione vindicatum, sive refutatio librorum, quorum titulus: Bajanismus et Jansenismus redivivi in scriptis PP. FF. Bellelli et Berti Ordinis Eremitarum S. Augustini etc. Conscripserat hos libros de Bajanismo et Jansenismo redivivo Joannes d'Yse de Saleon Episcopus primum Segodanensis, mox Archiepiscopus Viennensis in Gallia, aliorum magis vocibus, quam sua sponte inflammatus in illa duo Augustiniani Ordinis lumina; ejusque postea vestigia persecutus est Joannes Josephus Languet de Gergy Senonum Archiepiscopus, iis tamen praeeunte canonico quodam Augustae Suessonum cognomine de Gorgne, qui primus omnium Berti Theologiam, postquam quartum illius volumen in lucem exierat, apud Summum Pontificem Benedictum XIV criminatus est. Hac re Pontifex commotus negotium dat duobus religiosis viris Fortunato Tamburinio, et Joachino Bessozzio, quorum doctrinae in theologicis rebus tanta erat opinio, ut hac commendati ad Cardinalatum pervenerint, ut cognoscant de Gorgnii animadversionibus, et Bertii scriptis, seque de iis admoneant. Hi postquam diligentissime examinassent verborum omnium pondera, retulerunt Pontifici injuria Bertium insimulari; nihil esse in ejus libris quod Jansenismum redoleat, quinimmo omnia esse in ipsis exarata docte scienterque ad sententiam S. Augustini, mentemque Catholicae Romanae Ecclesiae. Hoc prolato judicio licuit Bertio in eo gloriari sicut aurum igne, ita opus suum censoria severitate probatum fuisse, nec minus illi gloriosum fuit doctores omnes Lovanienses, celeberrimamque ejus urbis Academiam secum stetisse, et Clerum Gallicanum in suis comitiis

Digitized by Google

anno 1717 palam rejecisse supra memoratos libros de Bajanismo et Jansenismo redivivo, utpote injurios in summos theologos, acceptamque disciplinam ab Augustino, quo nemo diligentius, ut ajebat Prudentius, divinarum scientiarum arcana exquisivit, nemo verius invenit, veracius protulit, effusius disseminavit. Nos tamen iisdem libris gratiam aliquam habere volumus quod extorserint a Bertio sex illas quas commemoravimus dissertationes, in quibus dum se, Bellellum, et Augustinianam scholam ab omni erroris suspicione vindicavit, tantum doctrinae lumen sparsit, ut nusquam melius fraudes, et prolapsiones Baji, Jansenii, et Quesnellii cognosci possint.

En tandem catalogus operum nostri Bertii, quae typis impressa fuerunt: 1. *Praefatum magnum opus de theologicis disciplinis.* 2. *Augustinianum systema de gratia ab iniqua Bajani et Janseniani erroris insimulatione vindicatum, tom.* 2. 3. *Historia ecclesiastica per dissertationes in V saecula, tom.* 4 *in fol.* 4. *Breviarium historiae ecclesiasticae.* 5. *De rebus gestis S. P. Augustini, et libris ab eo conscriptis.* 6. *Tractatus historico-theologicus de haeresibus trium priorum saeculorum.* 7. *Dilucidatio quaestionum S. P. Augustini de scientia, voluntate, et providentia Dei, praedestinatione et reprobatione.* 8. *Expostulatio aequissima in opusculum inscriptum:* Joannis Josephi Languet Arch. Senonensis judicium de operibus theologicis PP. Bellelli et Berti. 9. *Quaedam apologetica scripta (italice) adversum P. Franciscum Antonium Zaccaria e Societate Jesu.* 10. *Dissertationes tres italicae super doctrina theologica contenta in divina comoedia Danthis.* 11. *Decem dissertationes historicae italice exaratae.* 12. *Orationes panegyricae, (italicae) quaedam carmina, conciones, et alia.*

Fr. Joannes Michael Cavalieri.

Joannes Michael Cavalieri, Bergomensis, non minori profecto fama gaudet apud eruditos quam celeberrimi ipsius

Digitized by Google

conterranei atque sodales Jacobus Philippus Forestus, et Paulus Olmi insignes historici, Gerardus Carrara de Serina Episcopus Savonensis juris canonici scientissimus, ac demum Ambrosius Calepinus perinsignis Dictionarii linguae latinae auctor. Imo in hoc quoque noster Cavalieri cum nostrate Calepino potest comparari, quod nimirum sicut hic primus omnium optimum vocabularium in lucem emisit, sic ille etiam primus ante omnes viris sacrorum rituum studiosis suum egregium opus donavit cui titulus: *Commentaria in authentica Sacrae rituum Congregationis decreta ad Romanum praesertim Breviarium, Missale, et Rituale quomodolibet attinentia, quinque tomis comprehensa etc.* Tam de auctore, quam de opere haec encomia in eleganti typographi praefatione leguntur: *Inter Bergomates scriptores, qui sane et magno numero sunt, et doctrinae praestantia longe celeberrimi, P. Jo. Michaelem Cavalieri Augustinensis inclytae Familiae decus non ultimum nemo est qui nesciat excellere. Qui vel cum illo consuetudinem iniere, vel etiam sunt eum aliquando alloquuti (hos inter docti fere omnes viri in illis urbibus commorantes, quas dum visitatoris apud suos, ut ajunt, generalis munere fungeretur, necesse ipsi fuit adire) doctrinam in eo demirati sunt morum sanctitati prudentiae et humanitati parem, summam scilicet ac plane singularem. Verum extabit monumentum aere perennius, ut Horatii verbis utar, quod posteritati universae tantam Joannis Michaelis doctrinam commendabit, insigne, inquam, illud in authentica S. Congregationis decreta commentarium. Nimirum hoc uno factum est ut Benedictus XIV omnium quidem disciplinarum eruditione praestans, sacrorum tamen rituum scientissimus, eorumque amplificandae doctrinae studiosissimus . . . . P. Cavalieri cum Romam accessisset, adque ejus pedes advolveretur, omni officiorum genere sit prosequutus, illiusque eruditionem maximis laudibus praedicarit. Quod dum ipse mecum reputo, tantique Pontificis testimonium, ut decet, expendo, illud affirmare non dubito P.*

Digitized by Google

Jo. Michaelem nominis immortalitatem apud posteros consequuturum, nullamque aetatem opus eximium, quod ipsi doctissimi Pontificis benevolentiam, aestimationemque conciliavit, silentio atque oblivione obvoluturam. Item in Dictionario historico ex gallico in italicum sermonem translato, atque Bassani edito anno 1796 haec de nostro Cavalierio leguntur: *Fu uomo di molto studio e di rara erudizione, specialmente in materie ecclesiastiche. La principale sua opera di cui fu il primo autore, e per la quale sarà egli sempre in estimazione presso gli studiosi de'sacri riti è:* Commentaria etc. Hoc idem opus ab auctore nuncupatum fuit Benedicto XIV viro harum rerum scientissimo, qui propterea meritissimum auctorem summo in honore habuit. Extremum diem obiit anno 1751 cum universali omnium doctorum moerore, ac praesertim praefati Pontificis, cum natus fuisset Bergomi circa finem saeculi 17. Praeter laudatum Dictionarium vide Bibliothecam Augustinianam nostratis Ossinger. Opera ejus typis impressa sequentia sunt: 1. *Praefata commentaria in authentica S. Rituum Congregationis decreta quinque tomis comprehensa ac latine conscripta.* 2. *Liber italicus de sacro cingulo B. Mariae Virginis.*

V. Joannes Nicolaus Chiesa, et Thomas Augustinus Rolandi.

V. Joannes Nicolaus Chiesa natus est Genuae in Liguria ex Bartholomaeo Chiesa et Theresia Soppi pauperibus honestisque conjugibus anno 1695. Jam inde a puero maturae provectaeque virtutis minime dubia indicia praebuit. Nam cum aliquando mater illum maniculas sibi acu perforantem animadvertisset, atque curnam hoc faceret interrogasset, ille statim puerili ingenuitate respondit *Voglio fare penitenza.* Grandiusculus effectus, atque idcirco a patre decentioribus

Digitized by Google

indumentis instructus, hujusmodi vanitatis incitamenta procul a se rejecit; verum postea patris voluntati morem gerere coactus, prout poterat, ingenitam modestiam sartam tectam servabat; nam cum foras in propatulum prodibat, linteos limbos eleganter crispatos extremae indusii manicae circa venarum pulsum assutos, ne apparerent, studiose celabat. Miratus pater hanc pueri a saeculi pompis alienationem, numquam alias in posterum de ornatiori vestitu illi sermonem fecit. Sexdecim annos natus cum jam apud Jesuitas in patria humaniores litteras egregie didicisset, errato ut olim noster B. Augustinus Novellus, Deo sic disponente, inter nostrates Patres de Consolatione ibidem religiosum habitum suscepit. Nam cum antea illi in animo esset alium quam Augustinianum Ordinem amplecti, factum fuit ut diversa nomenclatione deceptus (illius coenobii nostrates Genuae dicuntur *i frati della Consolazione*) huic Ordini inscius nomen dederit. Ubi autem hunc errorem detexit, quammaxime doluit, putans se ad hanc religionem minime vocatum. Haec tamen nil aliud fuit quam brevis quaedam instigatio daemonis, qui sanctum juvenem a monastico instituto sectando avertere conabatur. At frustra; nam Joannes Nicolaus in hoc ipso errato, ut olim praefatus B. Augustinus Novellus, manifestam Dei voluntatem agnoscens, eidem statim se omnimode subjecit. Cum toto tyrocinii tempore conspicua probatae virtutis exempla praebuisset, a celebri nostrate Augustino Arpe tunc illius Congregationis Vicario generali ad solemnem votorum nuncupationem admissus fuit, ac postea ivit ad professorium Mediolanense, ubi sicut a quodam ejus sodali (fr. Conradus nuncupabatur) expertum fuit, non quidem super culcitram, sed super nudam tabulam necessarium somnum capere consuevit. Mediolano profectus Bononiam se contulit, ibique Regentem habuit P. Mag. Felicem Leoni, qui postea fuit Generalis, atque Episcopus Abellini et Friquenti. Hic factus deinde Regens S. Augustini Ma-

Digitized by Google

joris Neapolis juvenem Chiesa secum habere voluit, ac proinde ejus discessum a Rmo P. Generali impetravit. Itaque Joannes Nicolaus Neapolim profecturus tum ut patrem qui eum videre cupiebat contentum faceret, tum etiam ut commodius itinere maritimo illuc contenderet, Genuam divertit, ubi mansit duos menses, quo temporis intervallo Sacerdos inauguratus fuit. Postea vero Neapolim navigavit una cum celeberrimo nostrate concionatore Jacobo Philippo Gatti, cui ipsemet opera atque auctoritate praefati P. Mag. Felicis Leoni facultatem obtinuerat ad illud collegium se conferendi. *Il tenor della vita di lui*, verba sunt fr. conversi Alipii de Neapoli, quem citat noster Philippus Benincasa, *menata in S. Agostino fu il seguente: Nella notte andava lui ed il P. Gatti nella libreria di S. Agostino, e studiavano per lunghe ore .... Non si vedeva mai girare per i corridori il P. Chiesa, ma stava ritirato in cella applicato allo studio dopo la lezione, disputa, e Messa, che celebrava con somma divozione e pubblica edificazione del popolo che l'ascoltava . . . Era ancora di grande esempio ogni giorno nel refettorio, in cui si dimostrava sempre contento senza mai lagnarsi, e senza mai cercar cosa particolare, o mostrarne desiderio. Era alienissimo dal conversare con altri, onde non s'ingeriva, nè sapeva i fatti del convento.* Anno 1724 majoris observantiae zelo atque vitae communis desiderio ad Congregationis S. Joannis ad Carbonariam transivit, atque illius coenobii collegio (erat tunc Lector) aggregatus fuit. Egit subinde in eodem coenobio bibliothecarium, magistrum novitiorum, et studiorum moderatorem. Magnam habuit sagacitatem ad novitiorum vocationem dignoscendam, atque siquem in aliquibus habitualem quemdam in rebus spiritualibus teporem deprehendisset, hujusmodi juvenes tamquam monasticae vitae profitendae minus aptos, nequicquam caeteris Patribus obnitentibus, foras ejiciebat. Anno 1732 ob discessum P. Nicolai Schiaffinati factus fuit Vic. Prior, et 1736 totius Congrega-

Digitized by Google

tionis Vicarius generalis. Audita ejus electione praefatus P. Mag. Nicolaus Schiaffinati, qui tunc erat Generalis, hanc ad illum scripsit epistolam: *Siccome tra le altre più strette sollecitudini, che noi abbiamo una è quella della buona direzione dei noviziati, così può credere che per cotesto nostro di S. Giovanni a Carbonara noi ne abbiamo somma premura. Riflettendo pertanto che per il medesimo a proposito del tutto è la P. V. a lei appunto ne appoggiamo la direzione, costituendolo sopraintendente al noviziato di cotesto riferito convento, in maniera che dal P. sotto-maestro de'novizj niuna cosa possa determinarsi indipendentemente da V. P. che non dichiariamo maestro de'novizj, perchè essendo Vicario generale, è incompossibile con quello il di lei impiego, vietandocelo le nostre sacre costituzioni.* Anno 1739 (erat tunc secundo Vic. Prior S. Joannis ad Carbonariam) in comitiis generalibus Arimini celebratis electus fuit Ordinis secretarius, quem tamen gradum nonnisi invitus atque obedientia coactus admisit. Verum parum temporis hunc locum tenuit; nam paullo post tum Andriae Ducissa, tum multis monialibus, ac dominabus Neapolitanis, quarum erat confessarius, tum ministro Hispaniae ac Neapolis Cardinali Acquaviva, tum demum Cardinali Spinelli Arch. Neapolitano instantibus a Cardinali Firao Ordinis Augustiniani protectore hujusmodi optio hisce verbis illi data fuit: *Io metto in vostra libertà lo stare, o il partire.* Cui P. Chiesa statim respondit: *Giacchè V. Emza lo pone in mia libertà, io voglio partire.* Itaque Neapolim ad S. Joannis coenobium reversus, ibidem iterum magister novitiorum constitutus fuit, atque postea aliis tribus vicibus totius Congregationis Vicarius generalis electus, nimirum annis 1742, 1756, et 1765. Inter caetera autem egregia atque animarum profectui perutilia instituta, quae ab illo in praefatam Congregationem invecta fuerunt, hoc potissimum notatu dignum videtur, quod nimirum ipse auctor fuit, ut in illa spiritualia decem dierum exercitia quotannis haberi coeperint, ad quod

Digitized by Google

etiam aureum illud opus composuit cui titulus: *Il religioso in solitudine*, de quo quidam alterius Ordinis coenobita aliquando dixit: *Il P. Chiesa vuol santificare tutto il Mondo.* Haec autem pia exercitiorum consuetudo deinceps per totum Ordinem propagata fuit. Item in laudatum S. Joannis coenobium noctu psallendi morem introduxit. Nec silentio praetereundum videtur praeclarum illud quod cunctis monialium confessariis reliquit rigidissimae a muneribus accipiendis abstinentiae exemplum, quae nimirum in illo tanta fuit ut nec ullum quidem aquae cyathum ad sitim extinguendam accipere vellet. Quinimmo, uti affirmat noster P. Benincasa, ipsa quoque recusabat emolumenta, quae aut pro exercitiorum praedicatione, aut pro quadragesimalibus concionibus tradi solebant. Quoniam autem, ut scribit Apostolus, omnes qui pie volunt in Christo vivere, persecutionem patientur, idcirco piissimo nostro Chiesa magna ex iniquissimis invidorum fraudibus persecutio obvenit. Nam vir integerrimae, incorruptaeque probitatis insimulatus fuit perinde ac si quamdam nescio quam male audientem epistolam cuidam suae poenitenti dedisset. Haec autem epistola ab infami calumniatore sub ficto illius nomine confecta fuerat. Quid autem tum? Ingens in virum innoxium tempestas commota est adeo ut quamvis ex cruribus laboraret, festinanter Neapoli exulare debuerit. Anno itaque 1751 Genuam remeavit (ut expulsionis dedecus quodammodo tegeretur) visitatoris titulo insignitus. Ast cito de calumnia triumphavit veritas et innocentia. Nam paullo post Generali Augustino Gioja vita functo ejus successor Franciscus Xaverius Vasquez illius causam ad trutinam revocavit, cujus examinis hic exitus fuit: rogatus siquidem quadam die praefatus Vic. Generalis a suo socio Dominico Burgos quidnam in causa fr. Jo. Nicolai Chiesa comperisset, statim respondit: *Ho ritrovato cose da santificarlo.* Quamobrem unum post annum quam exularat, nedum per litteras illum Romam arcessivit, verum etiam ipsemet pecu-

Digitized by Google

niam pro naulo navis solvit. Hoc audito P. Ascanius Maria Acquaviva de Aragonia praefatae Congregationis Praeses Romam usque illi obviam venit, atque una simul post paucos dies Neapolim profecti sunt, ubi noster Chiesa universali totius civitatis laetitia exceptus fuit. Ut autem omnis calumniae macula ab integerrimo viro abstergeretur laudatus Rm̃us Vasquez postquam ad perpetuum Ordinis regimen evectus fuit, ad hoc etiam obtento Brevi Apostolico effecit ut rursus praedictae Congregationis Vicarius constitueretur. Hac itaque tam honorifica ratione in pristinum honorem ac locum restitutus nullum dedit adversus calumniatores vindictae signum, imo e contra magna eos benevolentia semper prosecutus fuit. Caeterae autem illius virtutes clarius intelligi possunt ex compendiosa illius vitae narratione, quae simul cum demortui corpore in loculo inclusa fuit, et in qua inter alia haec scripta sunt: *Animarum zelo exaestuans non magis verbo quam exemplo earum profectui ad mortem usque consuluit. Castimonia, paupertate, et mirifica praecelluit obedientia, atque vitae innocentia. Horariis divinis precibus matutinis potissimum media nocte numquam abfuit, nisi invaletudinis causa ex iterata expressaque Superiorum voluntate. Somni parcissimus, jejuniis, cilicio, flagellis ad sanguinis usque effusionem in se saeviens, atque jugiter orationi et contemplationi adhaerens, a litando numquam abstinuit sanus, infirmus cum licuit sacra recreatus Sinaxi. Semper idem, semper constans, fratribus omnibus, immo Praesulibus ipsis, etiam Generalibus, exemplo et venerationi erat. Tandem plenus meritis in senectute bona (annorum 87) apoplexi correptus, labilem vitam (Neapoli 23 Aprilis 1782) cum aeterna commutavit.* Claruit etiam gratia curationum, imperio in daemones, atque discretione spirituum; quare Isabellam quamdam Milone, quae fucata sanctitatis specie multos seduxerat, nedum hypocrisis veste exuit, verum etiam ad meliorem frugem reduxit. Doctrinam atque sanctitatem

Digitized by Google

nostri V. Chiesa aperte etiam testantur ejus opera pluries italice typis edita, quae nimirum sunt: 1. *Considerationes religiosae et christianae pro omnibus Dominicis, feriis et aliquibus solemnitatibus anni*, *tom.* 2. In latinum vertit noster Cosmas Schmalfus Bohemus. 2. *Religiosus in solitudine.* Etiam hoc opus et alia ejusdem auctoris latina reddidit laudatus Schmalfus. 3. *Catechismus, seu declaratio doctrinae christianae.* 4. *Brevis instructio circa vias mysticas purgativam, illuminativam, et unitivam.* 5. *Apologia suae dissertationis circa timorem Dei servilem etc.* 6. *De frequenti et quotidiana communione.* 7. *Instructio ad perfectionem evangelicam.* 8. *Interpretatio moralis Canticorum Salomonis.* 9. *Templum interius, seu explicationes mansionum S. Theresiae.* 10. *Vita nostratis P. Nicolai Sersale.* 11. *Vita D. Josephi Sersale Arch. Surrentini.* 12. *Novendia SS. Augustini, Joannis de Cruce, Angelorum custodum, S. Theresiae, Mariae Virginis moerore confectae, atque Spiritus Sancti.* 13. *Octavarium Corporis Domini.* 14. *Affectus S. P. Augustini erga Deum ex libris confessionum excerpti, et in sermonem italicum translati, et alia.* 15. *Centum suspiria cordis a nostrate Thoma Augustino Rolandi latino sermone exarata (inedita) in italicum vertit, typisque tradidit.* Opus personis piis valde utile. Extat in Bibl. Angelica.

De hoc Thoma Augustino Rolandi, quoniam huc de illo incidit sermo, nonnulla subjicere operae pretium puto. Natus est itaque in oppido Cervi dioecesis Albinganensis in Liguria occidentali die 16 Novembris anni 1643 ex patre Augustino Rolandi et Maria Tagliaferri, qui nato imposuerunt nomen Hyacinthi. A puero in litteris proficiens etiam in virtutibus proficiebat. Postea a parentibus Genuam amoeniores litteras discere missus fuit, in iisque tantum progressum fecit, ut suos coaequales longe superarit, satagens interea pietatis studio calentis juventae fervorem temperare. Ita erat modestia, atque verecundia ornatus, ut omnium intuentium ani-

Digitized by Google

mos in sui venerationem converteret. Anno aetatis suae 16 apud nostram Genuensem Congregationem S. Mariae de Consolatione anno 1658 Augustinianae Familiae nomen dedit, ac post factam professionem ac studiorum cursum completum Regentem egit cum Viterbii, tum Genuae, fuitque postea magistrali laurea decoratus. Liberius Deo vacare cupiens contulit se in oppidum Pegli pauca milliaria Genua dissitum, eo quod illud coenobium populi concursui minus patebat, in eoque vita communis servabatur. Ibidem variis austeritatibus corpus suum castigare coepit, adeo ut etiam visus sit dum in horto ambularet ingentem ferream catenam pedibus trahere. Extat in Mediterraneo prope maritimas Africae oras quaedam parva insula 50 circiter milliaria ad Orientem distans a civitate Hipponensi, quae tunc temporis pertinebat ad Januensem Lomellinorum familiam. Haec unici illius insulae templi custodiam ut plurimum Augustinianis coenobitis committebat. Anno itaque 1679 ivit illuc noster Thomas Augustinus, ibique talia dedit incolis christianarum virtutum exempla ut ab omnibus pro viro sancto habitus fuerit. Potissimum autem ibidem peculiari quadam discordes animos ad pacem atque concordiam revocandi gratia claruit. Postea tamen inde revocatus, in Pegliense coenobium reversionem fecit, ubi sancto fine quievit anno 1694 aetatis suae 51. Composuit latino sermone *Centum suspiria cordis* plena amoris erga Deum, quae inedita ab illo relicta in italicum traduxit, typisque edidit laudatus noster V. Jo. Nicolaus Chiesa. Ex vita ipsius ab eodem V. Chiesa huic operi praefixa.

Fr. Joannes Rivera.

Joannes Rivera, Hispanus, in Augustiniano Salmanticensi coenobio habitum indutus, regnum Dei dilatandi stu-

Digitized by Google

dio Philippinarum provinciae se adscripsit. Ivit illuc anno 1669, ac postquam semel et iterum in coenobio Pasig prioratum gessisset, in Japoniam mitti postulavit. Venia itaque a Provinciali obtenta navim sinensem conscendit, atque regnum Siamum devehitur. Cum autem perfidus nauclerus nollet amplius juxta datam fidem illum cum sociis PP. Francisco de S. Joanne, et Alphonso de S. Josepho in Japoniam trajicere, coepit ei caeterorum nautarum opera adjutus remorum vectibus caput percutere, adeo ut Joannem nostrum extinctum putantes in flumen illum projecerint. Ast misericors Deus in tanto discrimine nostro Joanni non defuit; nam aqua fluminis illum ad ripam applicuit, indeque prout poterat emergens inter virgulta se abdidit. Inventus postea a quibusdam paganis opportunam opem, atque suorum vulnerum medicationem ab illis accepit. Cum autem impius nauclerus, qui nondum illinc procul ierat, Joannem adhuc vitam agere comperisset, iterum cum suis ad illum interficiendum exscensionem in terram fecit; ast inopinato Batavorum adventu praepeditus nefandum scelus perpetrare non valuit. Itaque Joannes noster a Batavis in navim exceptus, atque in tuta statione locatus paullo post ad Philippinas remeavit, unde post aliquot annos una cum nostrate Alvaro de Benavente, anno scilicet 1680 ad Imperium Sinense se contulit, atque in quodam oppido regionis Kuangtonensis sedem suam fixit una cum socio P. Luca Stephano. Sed quadam nocte a latronibus rebus omnibus expoliati Kuangtonem regredi coguntur, ibique invenerunt quemdam christianum nomine Paulum, qui illos tum pecunia ad iter faciendum tradita, tum etiam domo ad habitandum exhibita ut in suam patriam Nong-Kiung se conferrent adhortatus fuit. Ibidem cum paucis post diebus Joannes noster Pauli neptim vitiligine laborantem baptismatis lavacro derepente sanasset, hujus rei fama evulgata, permulti infideles Christi fidem susceperunt. Cum autem illam missionem multos annos administrasset, cumque jam illius vires

Digitized by Google

deficere coepissent, ad Manilense coenobium se recepit, ibique meritis plenus, ac sanctitate conspicuus in bona senectute animam Deo reddidit anno 1709.

Fr. Jordanus Simonius.

Jordanus Simonius natus est Neostadii ad Salam in Episcopatu Wirceburgensi ex honestis parentibus anno 1719. Pater ejus musices, arithmetices, et linguae latinae peritus, in praefata civitate scholae germanicae rectorem egit. A patre atque aliis praeceptoribus institutus, prima eruditionis elementa avide arripuit. Humanioribus litteris in gymnasio Munnerstadiano annos quatuor operam dedit, atque postea Augustinianum Ordinem amplexatus fuit. Tyrocinio Wirceburgi peracto, ad Moguntinum coenobium se contulit, ibique annos sex Philosophiae atque Theologiae cum magno profectu vacavit. Anno 1742 Sacerdotio initiatus, exinde poetici ingenii, atque eloquentiae laude palam clarere coepit. Anno insequenti Constantiam missus fuit, ut ibidem Philosophiam doceret. In multorum autem odia incurrit, audacis novatoris nomine notatus, quod ab antiqua docendi consuetudine deflecens opiniones quasdam novas discipulis traderet. Quare illinc migrare coactus, in Italiam venit, ac subinde perlustravit Galliam, Belgium, Germaniam septentrionalem, atque aliquam Russiae partem. Post triennium Erfurtum profectus fuit, ibique magna cum laude concionatoris officium exercuit, atque linguae italicae et sacrae eloquentiae praeceptorem egit. Anno 1757 cum Borussi Erfurtum occupassent, in obsidum numero fuit, atque Dresdam abductus. Dimissus Erfurtum rediit, atque ibidem Friderici Caroli ab Ostein Electoris Moguntini jussu publicam eloquentiae cathedram ascendit. At paullo post ob quamdam dissertationem, cui

Digitized by Google

occasionem dederant crebra tributa clero imposita ejusdem Electoris gratia excidit; quare Erfurto exulare coactus Wirceburgum adiit, ibique historiam ecclesiasticam docere coepit. Eodem tempore jussu Francisci Xaverii Vasquez Generalis studiorum Ordinis Regens creatus fuit, quo nomine ut in scholis Augustinianis utilia tantum atque necessaria meliori methodo proponerentur omni conatu contendit. Ab eodem Generali Vasquez S. Theologiae lauream accepit. Post mortem praefati Moguntini Electoris Erfurtum revocatus fuit, atque in illa Academia juris ecclesiastici professor constitutus. Verum eo quia quibusdam professoribus falsas opiniones tradentibus se opposuerat, nonnullorum praepotentium in se odium convertit; quare ut sibi consuleret iterum Erfurto excessit, atque Munnerstardium (1770) se contulit, ibique mansit duntaxat octo menses, quibus fratres italicam linguam docuit. Deinde profectus fuit Romam, ubi invenit amicum suum celeberrimum nostratem Cosmam Schmalfum, a quo commendatus insigni litteratorum moecenati Rothenhahnio Rothenhausensis Comitatus Domino in Bohemiam perrexit, ibique praefato patrono libros suppeditante rediit ad familiare sibi litterarum genus. Ivit postea Viennam, ubi ad colloquium Imperatricis, aliorumque Principum admissus, suam innocentiam eisdem comprobare valuit; quare liber potuit Pragam accedere, ubi Theologiae polemicae professor designatus fuerat. Acerrimus fuit religionis hostium profligator, Archiepiscopi Pragensis consistorii assessor, Imperatricis regius consiliarius, Clementis XIV protonotarius apostolicus, Cardinalis Valentis de Valentibus theologus, atque apud Ordinem ex assistens et visitator. Decessit anno 1776, vitae suae 57 fuitque Pragae sepultus. Vide ipsius vitam latino sermone descriptam a nostrate Possidio Zitter, quae extat in Bibliotheca nova nostratis Engelberti Kluepfelii. Opera ejus edita sequentia sunt: 1. *Parvulus tyro magni philosophi Augustini in schola veritatis magistri redivivi mun-*

Digitized by Google

dum philosophicum perlustrans; sive principia Augustiniano-platonica. 2. *Delectatio victrix Augustiniana contra Josephum Campanum Jesuitam.* 3. *De religione contra libertinos libri tres.* 4. *Cephas non apostolus, sed discipulus Antiochiae a Paulo reprehensus.* 5. *Dissertatio de poenis parvulorum sine baptismo decedentium.* 6. *Politica Ecclesiae potestas, et ejus a tributo civili immunitas.* 7. *Primitiae studii historico-ecclesiastici exhibentes primum Ecclesiae christianae saeculum una cum tabulis chronologicis.* 8. *Praelectiones historico-canonicae, quae comprehendunt octo priora Ecclesiae saecula, et jus canonicum antiquum.* 9. *Institutionum juris canonici tomi tres.* 10. *Judicium supra doctrina nonnullorum medicorum de anima, sive hodiernus materialismus sui ipsius eversivus.* 11. *Moralis, seu Ethica Muratoriana.* 12. *Grande non Ens, seu de nullitate artis magicae sub nomine Arduini Ubbidiente dell'Osa.* 13. *Grammatica italica.* 14. *Positiones ex universa Theologia.* 15. *Contemplatio passionis Domini nostri Jesu Christi.* 16. *Conciones de praecepto caritatis, tom.* 3. 17. *Nostra aetas, sive conciones ad diversos ordines.* 18. *Philosophia adversus eos qui dicuntur spiritus fortes, tom.* 3. 19. *Theologia contra spiritus fortes, seu argumenta fidei catholicae contra incredulos.* 20. *Conciones quadragesimales.* 21. *Vita et doctrina Jesu Christi.* 22. *Conciones de incarnatione, passione, et morte ejusdem D. N. J. C.* 23. *Perfectus christianus.* 24. *Vetus testamentum, sive conciones pro dominicis, festisque diebus, et alia plura, ex quibus quaedam latino sermone, quaedam germanico scripta sunt.*

V. Josephus Bartholomaeus Menocchio.

V. Josephus Bartholomaeus Menocchio ortum habuit ex honestis parentibus Carmaniolae in Pedemontio die 10

Digitized by Google

Martii anni 1741. Sortitus indolem bonam, atque jugi pietatis exercitio factus magis bonus, quo majores adhuc ascensiones disponeret in corde suo monasticae vitae institutum amplecti deliberavit. Itaque anno 1760 Firmi in Piceno Eremitano Ordini nomen dedit, ibique postquam laudabiliter integrum tyrocinii annum transegisset tria solemnia vota nuncupavit, coenobio Fanensi filiationis titulo adscriptus. Postea vero missus fuit Anconam, ubi philosophicis disciplinis operam navavit, ac deinde profectus fuit Interamnam, ibique Theologiae cursum inchoavit, quem tamen prosecutus fuit Ameriae complevitque Recineti. Lectoris officium adeptus scientiam sanctorum potissimum juvenum animis instillare satagebat, factus omnibus alumnis exemplar pietatis, modestiae, humilitatis, obedientiae, mansuetudinis, poenitentiae, orationis, caeterarumque, quae ad evangelicam perfectionem pertinent, religiosarum virtutum. Verum quia animarum zelo maxime exardebat, relicto docendi munere, totum se verbo Dei annuntiando addixit, praevio examine inter generales Ordinis concionatores cooptatus, ac post completum juxta Summorum Pontificum sanctiones praedicationis cursum magistrali laurea insignitus. Non ita autem facile est edicere quanto cum animarum lucro susceptum hoc concionandi munus exercuerit, praesertim quia apostolatus officium cum integerrimae vitae exemplo, cum assidua oratione, abstinentia atque jejunio constanter sociabat, Domino etiam sermonem ejus saepe confirmante curationum gratiis atque prodigiis. Contigit hoc praesertim Mutinae ac Bononiae ubi ita invaluit erga ipsum sanctitatis opinio ut universim ab omnibus sanctus appellaretur, atque undique ad illum aegroti adducerentur, vel ipsemet ad eorum lectum arcesseretur ut ab illo benedictionem accipiendo pristinae sanitati restituerentur. Anno 1771 factus parochus Castelli Fidardi in Piceno, et 1781 confessarius monialium S. Elisabethae Fulginii, quod postremum munus 12 annos tenuit, utraque hoc officia

Digitized by Google

magno cum animarum fructu sedulo exercuit. Augebatur interea de die in diem magis magisque apud Italiae populos et civitates erga nostratem Menochium opinio sanctitatis; quapropter illa permotus D. Franciscus Maria d'Este Episcopus Regiensis, qui per orationes servi Dei e gravi aegrotatione convaluerat, illum in partem pastoralis ministerii sibi adsciscere deliberavit. Regiensis Antistitis consilium Pius VI ultro approbavit, ac proinde in ipsa Regiensi civitate V. Menochius anno 1796 die 22 Maii Episcopus Hipponensis atque coadjutor Regiensis inauguratus fuit. Anno 1797 ob gallicas perturbationes Regio exulare coactus, ad Anconitanum coenobium se contulit, atque ibidem quamvis infulae splendore fulgeret, in omnibus tamen instar simplicis religiosi semper se gessit, factus iterum regularis observantiae praeclarum exemplar. Integro fere biennio, quo Anconae moratus fuit, in illius Ecclesiae administratione Episcopum Card. Ranuzzi summopere adjuvit, atque etiam in Cathedrali coram frequentissima audientium multitudine quadragesimales conciones habuit, tanto nimirum omnium plausu ut ab ipsis quoque Religionis hostibus in magna existimatione haberetur. Anno 1799 post Anconitani coenobii suppressionem ad oppidum Montis Raynaldi se recepit, ibique in privata quadam domo mansionem suam statuit, ex qua tamen saepe saepius prodibat ad apostolatus officia in hoc vel illo loco peragenda, ut merito de illo dici possit quod totum fere Picenum pertransivit benefaciendo, atque pastoralis muneris partes obeundo. Eodem anno pro P. Magistro Francisco Xaverio Cristiani Sacrarii Pontificii Praefecto atque Episcopo Porphyriensi aegrotante Venetias ad Conclavem vocatus fuit, ac postea cum novo Summo Pontifice Pio VII Romam accessit, ab eodem post mortem praefati P. M. Cristiani (1800) in suum confessarium atque Sacristam assumptus ab Hipponensi in Porphyriensem Episcopatus titulo translato. Tantam deinde lau-

Digitized by Google

datus Pontifex erga venerabilem virum existimationem concepit atque benevolentiam ut etiam cardinalitiam dignitatem illi conferre animo haberet, quod tamen Pontificis consilium ut vir Dei cognovit, tantum honorem humiliter recusavit. Anno 1804 Pium VII Parisios ad Imperatoris coronationem comitatus fuit, atque per totum iter ubique sparsit mirum sanctitatis odorem, ita ut tamquam vir sanctus ab omnibus in summo honore haberetur. Antequam itineri se commisisset, consilium dederat illi Cardinalis Consalvi ut in Galliam iturus coenobiticam tunicam Gallis tunc temporis invisam deponeret, cui ipse statim respondit se malle Parisios non ire quam sui Ordinis habitum exuere. Hujusmodi repulsam Cardinalis Summo Pontifici notam fecit, cui tamen Pontifex praecepit ne viro sancto amplius molestus fieret; qua occasione Consalvi dixit: *Santo sì, ma cocciuto.* Quando (1809) laudatus Pontifex in captivitatem a Gallis abductus fuit, magno tum sui, tum Pontificis dolore ob iniquam prohibitionem illum comitari ei non licuit; quare absente Pontifice Romae in Quirinali remansit, ubi pontificalia officia assidue gerebat, atque monialium (praesertim adoratricium perpetuarum, cujus instituti promotor fuit) et infirmorum curae jugiter incumbebat, adeo ut ab ipsis quoque Gallis, quamvis juramentum obedientiae Napoleoni praestare noluisset, magno in honore haberetur, atque ab ipso Miollis miraculorum patrator nuncuparetur. Fuit tamen cum Pontifice in Liguria tempore postremae exulationis, atque Savonae adfuit illi B. Mariam Virginem de Misericordia coronanti. Obdormivit in Domino Romae in Palatio Quirinali anno 1823 in festo Annuntiationis B. Mariae Virginis annum agens 83. Reconditus fuit in templo S. P. Augustini, prius nempe in communi fratrum sepulcro, ac postea intra parietem sacelli D. Nicolai de Tolentino, unde tandem anno 1854 praesente Card. Vicario translatus subter humum cum apposita inscriptione ante D. P. Augustini sacel-

Digitized by Google

lum positus fuit. Praecipua quae ante obitum miracula patravit haec sunt: nam ingentem locustarum multitudinem romanos agros infestantium suis exorcismis in Tiberim compulit, multos obsessos a daemone liberavit, plures aegrotantes per B. Mariae Virginis invocationem, erga quam peculiarem venerationem profitebatur, sanitati restituit, duabus puellabus, quae cruribus uti nequibant, gradiendi potestatem obtinuit, extinctam monialem ut exomologesim faceret ad vitam revocavit, puerum e sublimi loco ruentem impertita benedictione incolumem servavit, secreta cordium inspexit, occultos eventus manifestavit, futura multa praedixit, aliaque permulta mirabilia fecit, adeo ut ejus adhuc viventis vestium frustula atque imagines religionis causa fideles certatim expeterent. Etiam post mortem miraculis claruit, ut videre licet in processu informativo de ejus vita constructo Romae ab anno 1845 ad 1852 typisque evulgato. Scripsit, typisque evulgavit quinque novendia pro praecipuis festivitatibus B. M. V. quae in ecclesiis Romae recitantur.

Fr. Josephus de la Canal.

Josephus de la Canal natus est in Hispania in dioecesi Santanderiensi anno 1768. Adhuc triennis patre orbatus fuit, atque matris curae relictus ejus diligentia postea in patrio oppido prima litterarum rudimenta posuit. Cognita autem illius ingenii praestantia quidam Augustinianus coenobita eum in Burgensem civitatem ad studia direxit. Operam dedit ibidem grammaticae atque philosophiae apud Dominicanos, sed quia etiam Augustinianorum scholam frequentabat, vitae religiosae amore captus Eremitanum Ordinem amplecti voluit. Tunicam induit in praefatae urbis coenobio, ibique solemnem professionem emisit anno 1785. Post completum

Digitized by Google

philosophiae cursum missus fuit Salamanticam, ubi in theologicis studiis mirum profectum fecit. Postquam in variis e praecipuis Hispaniae coenobiis aut philosophicas aut theologicas disciplinas tradidisset, tandem circa hujus saeculi initium Matritum vocatus fuit ut celeberrimum opus nostratis Henrici Florez cui titulus *Espana Sagrada* continuaret. Itaque Matriti degens nihil antiquius habuit quam ut nomen atque scripta hujus doctissimi viri a falsis abatis Masdeu criminationibus vindicaret. Anno 1808 Gallis iterum Matritum occupantibus, cum magno vitae discrimine ad custodiam permansit bibliothecae, atque pinacothecae historiae naturalis, et numismatum praefati nostratis Florez, quod tamen minime impedivit quin quadam nocte aliquot milites galli pretiosiora numismata surripuerint. Reliqua postea transtulit primo ad novitiatum Jesuitarum, ac deinde ad nostrum regale S. Philippi coenobium, unde tamen anno 1809 foras ejectus fuit, atque ad extremam inopiam redactus. Quapropter ut victum sibi quaeritaret librorum versionibus elaborandis totum se dedit, eosque per praelum in vulgus protulit. Anno 1814 post hispanicum gubernium instauratum Josephus noster ad claustrum rediit, atque postquam aliquantulum temporis in coenobio S. Philippi moratus fuisset, contulit se ad sanctuarium nostrae Dominae de Risco, in quo recessu assiduis studiis, piisque meditationibus omne tempus impendebat. Anno insequenti factus fuit Magister Ordinis, atque socius regalis academiae historicae, cujus postea etiam primatum obtinuit. Anno autem 1816 per regium Ferdinandi VII decretum una cum nostrate P. Mag. Antonino Merino ad continuandam Hispaniam Sacram revocatus fuit, eamque a volumine 42 usque ad 47 perduxit, et 1821 cum jam esset Ordinis Assistens, factus fuit Prior regalis S. Philippi coenobii, ac demum 1836 a Regina Regente ad Episcopatum Gerundae designatus, quem tamen honorem admittere noluit. Eodem anno 1836 ob notissimas hispanici Regni

Digitized by Google

politicas vicissitudines iterum e claustro egredi coactus fuit, atque exinde supervixit usque ad annum 1845 aetatis suae 78. Ex ejus vita tomo 47 *Hispaniae Sacrae* praefixa. Vide etiam Dictionarium linguae hispanicae editum anno 1852. Ejus praecipui litterarii labores lingua patria praelo traditi hi sunt. 1. *Continuatio Hispaniae Sacrae ut supra.* 2. *Correctio atque additio clavis historicae nostratis Henrici Florez.* 3. Vertit e lingua gallica in hispanicam. 1. *Apologistas involuntarios, sive Religionem Christianam demonstratam atque propugnatam ex scriptis philosophorum.* 2. *Apologistas, sive Religionem Christianam probatam ex suis adversariis.* Hoc opus est continuatio praecedentis. 3. *Conspirationem sophistarum impietatis contra Religionem et statum, sive memorias ad historiam Jacobinismi.* 4. *Catechismum ad usum omnium ecclesiarum Imperii gallici.* 5. *Itinera Anacharsis in Graeciam.* 6. *Systema maritimum et politicum Europaeorum saeculo* 18. 7. *Manuale christiani ad recte audiendam Missam.* 8. *Secretum rebellionis gallicae manifestatum, etc.* 9. *Typis edi curavit Matriti* 1836 *Theologiam nostratis Engelberti Kluepfel germani, vol.* 2. *in* 4.

FF. Josephus a Jesu Muñoz, et Gaspar a S. Augustino.

Josephus a Jesu Muñoz natus est Cordubae in Hispania anno 1771, ibique supremum diem obiit anno 1840. Patrii coenobii prioratum gessit, fuitque sub Vic. generali P. Mag. Francisco Xaverio de Raquena Assistens generalis. Nominatus fuit Episcopus primo Salamanticae, ac postea Gerundae, sed humillimus coenobita utramque mitram declinavit. Opera ejus lingua patria exarata, typisque edita haec sunt: 1. *Annus agronomus.* 2. *Grammatica generalis.* 3. *Ars scribendi quocumque idiomate.* 4. *Tractatus de compositione socie-*

Digitized by Google

tatum. 5. *Florida, sive historia hominis a sua nativitate, atque evolutionis intelligentiae humanae.* 6. *Grammatica philosophica linguae castellanae.* 7. *Opus egregium de vera origine religionis, deque praecipuis ejusdem epochis contra opus Dupuis de origine omnium cultuum.* 8. *Duo volumina continentia 47 sermones plenos sapientia.*

Gaspar a S. Augustino, Hispanus, prior coenobii de Tondo in Philippinis, vir egregie doctus, atque sermonis latini, graeci, et tagali apprime eruditus, ex hac vita migravit anno 1724. Scripsit: 1. *Historiam nostrae Provinciae SS. Nominis Jesu insularum Philippinarum duobus voluminibus in folio comprehensam, quorum primum dumtaxat impressum fuit Matriti anno* 1698. 2. *Hieromelissam sacram,* (apem sacram) *sive carmina sacra latina in laudem Sanctorum Ordinis nostri, et aliorum, tribus voluminibus contentam, quorum unum tantum praelo traditum fuit.* 3. *Historiam B. Mariae Virginis sub titulo de Via, imp.* 4. *Methodum audiendi confessiones sermone tagalo, et bisajo, imp.* 5. *Summarium indulgentiarum S. Cincturae, sermone tagalo, et hispano exaratum, typisque editum.* 6. *Celebrem epistolam de moribus indorum festivo stilo conscriptam, quae ab eruditis magno in pretio habetur.*

Fr. Josephus Palermo.

Josephus Palermo primas vitales auras traxit Semellii in Sicilia anno 1801. Parentes ejus frugi honestique conjuges multa benevolentia Augustinianam Familiam prosequebantur; quapropter huic unico ipsorum nato ob Tolentinatis Thaumaturgi venerationem Nicolai nomen imposuerunt. Grandiusculus effectus in patrio Jesuitarum collegio litteris addiscendis addictus fuit, qua in palaestra ita egregie se gessit ut et ingenii praestantia et morum probitate inter cae-

Digitized by Google

teros condiscipulos praeluceret. Expertus autem optimam hujus adolescentis indolem, speique certae innitens illum in magnum Augustiniani Ordinis bonum evasurum concivis ejus P. Mag. Josephus Mistretta tunc Assistens, ac postea Generalis persuasit parentibus ut suum Nicolaum Augustinianae Religioni donarent. Re itaque rite composita optimae spei juvenis cum septenum denum esset annorum cum praefato P. Mag. Josepho Mistretta anno 1818 Romam venit, ibique eremitanum cucullum indutus tyrocinium egit sub nostrate V. Stephano Bellesini, Nicolai cum Josephi nomine commutato. Post solemnia vota de more nuncupata studiorum curriculum Cornueti, Viterbii, Perusiae, et Romae confecit, atque ubique mentis acumine, studendi alacritate, discendi ardore, atque profectus magnitudine nemini secundus habitus fuit. Suo tempore Regentis gradum et munus adeptus Augustinianam juventutem docuit Neapoli et Romae, ac postea hoc exoneratus officio factus fuit Ordinis secretarius, atque exinde ad omnia et singula ejusdem Ordinis praecipua munera raro exemplo gradatim pervenit; fuit enim Angelicae Bibliothecae Praefectus, Assistens, Procurator generalis, ac demum supremus Ordinis Moderator post Angeluccii obitum a Summo Pontifice Pio IX electus, atque postea in Capitulo generali licet invitus ac reluctans a Patribus confirmatus. Super hoc igitur fastigium positus dignissimum se rectorem in ompibus exhibuit; erat enim homo numerorum omnium[1], nimirum in rebus gerendis summa dexteritate praeditus, in difficillimis negotiis extricandis solertissimus, in consiliis ineundis sagax, in deliberandis consultus, in exequendis constans, in moribus corrigendis suaviter severus, regularis observantiae provehendae sollicitus, Eremitanae Familiae honoris promovendi studiosus, ad beneficia pronus, ad laborem impiger, ad vigilantiam jugiter intentus, ac demum, ne sim infinitus, ad agendum cum proceribus exquisita cultura atque urbanissima comitate ornatus. Ipsa-

Digitized by Google

met ingenua illius frontis serenitas, ipsemet oculis depictus animi candor, ipsa melliflui eloquii suavitas, ipse labiis jugiter insidens lenis risus, ipsa tandem suffusa genis jucunda hilaritas arcanum quoddam ad omnium animos illi devinciendos illicium praeseferebant; quapropter nil profecto mirum si tot internae externaeque ejus dotes procerum, praelatorum, cardinalium, regum, ac ipsius etiam Summi Pontificis benevolentiam illi conciliarunt. Verum hactenus Josephum nostrum nonnisi spectavimus quam intra Augustinianae Eremi confinia strenuitatem suam exerentem, operae igitur pretium est ut illum aliquantulum contemplemur etiam foras splendoris sui radios emittentem. Nam in primis fuit egregius concionator pergami eloquentia clarus atque non solum ad conciones compto gestu, canora voce, atque idonea modorum venustate pronunciandas aptissimus, verum etiam, quod non ita commune est, ad eas docte, erudite, eleganterque elaborandas peritissimus. Noverunt conspicua quaedam sacra Italiae rostra, novit Roma, novit Neapolis, novit ipsa regia aula parthenopeja, novit demum ipsa vaticana sixtina aedicula, ubi aliquando suae aureae eloquentiae venas aperuit. Fuit etiam socius celeberrimae romanae academiae Religionis Catholicae, atque illius dissertationes cum universali omnium plausu in eadem ab ipso recitatae apud publicam ephemeridem vulgo *Civiltà Cattolica* nuncupatam illustri praeconio commendantur. Item fuit consultor Congregationum S. Officii, et sacrorum rituum, ejusque hisce de rebus prolatae sententiae ob judicii subtilitatem atque rationum pondus veluti oracula a caeteris habebantur. Tanti viri fama, quae inter romanas academias atque sacras Congregationes percrebuerat ad aures pervenit immortalis Pontificis Pii IX qui propterea illum anno 1848 inter paucos recensuit selectos theologos, qui peculiarem Congregationem conflarunt pro dogmate immaculatae Deiparae conceptionis discutiendo, ejusque labores hac super re summa eruditione

Digitized by Google

elucubrati ab Emis Cardinalibus et Episcopis in vaticano Sixti IV sacello congregatis ingenti admiratione atque incredibili favore excepti fuerunt. Contigit autem sub idem tempus, anno scilicet 1854 ut revmus noster P. Mag. Castellani repentino atque inopinato letho extinctus Porphyriensem infulam, atque Apostolici Sacrarii praefecturam vacua reliquerit; quamobrem laudatus Summus Pontifex non alium quam Palermo tunc universi Ordinis Moderatorem in utrumque ejus locum sufficere voluit, praecipiens interea ut Augustinianae Religionis sceptrum simul retineret. Huic jussioni Pontificis, invitus licet ac reluctans, annuit tamen infulatus noster, assiduis nihilominus interea precibus ab eo postulans ut jam nimium suis humeris grave regiminis pondus ad sanctissimos pedes deponere sibi liceret. Repetitis efflagitationibus cessit tandem Pontifex, ac propterea anno 1855 a Porphyriensi Episcopo ad Firmanum Priorem P. Mag. Paulum Micallef Melitensem Eremitanae Familiae gubernaculum transtulit. Verum, o vanas nostras spes, o inanes homines contentiones! admodum parum potuit excellentissimus Antistes peroptato otio frui. Nam cum anno insequenti 1856 mense Septembri in Siciliam ad suos invisendos navigasset, ibidem postquam in Mazarensi Dioecesi plus duo puerorum millia paucis diebus sacro chrismate deliniisset, levi quadam febri correptus fuit, qua tamen contempta, eo quia instabant jam dies, quibus pro officii sui munere eum Romae adesse oportebat, contra medicorum consilium Panormum versus itineri se commisit, quo ut pervenit vehementiori febris accessu lecto se componere cogitur, inde postea per summum nostri Ordinis infortunium non amplius quidem Romam, sed econtra ad alterius vitae regionem iter prosecuturus. Nam, proh dolor! coeptus morbus magis magisque in dies exasperatur, medicae artis remedia illi sedando amplius non prosunt, febris in lethalem evadit, ac brevi spes omnis sanationis evanescit, jamque extremo agone appropinquante, pius aegrotus

Digitized by Google

vitae terminum sibi imminere praesentiens, Ecclesiae Sacramenta petit, iisque summa religione receptis, paulo post, heu nimium cito! nobilissimam animam efflavit, quarto nimirum calendas Novembris, cum aetas illius septenos octies nondum convertisset solis anfractus, longiori procul dubio vitae cursu dignissimus, quippe qui ob praeclarissima ipsius virtutum specimina a multis non modo nostratibus, verum etiam externis futurus cardinalis praenuntiabatur. Laudatus fuit publica oratione funebri (typis edita) a nostratibus PP. Mag. Beniamino Larena, et Nicolao Ciottoni, ac illius successores nostrates PP. Mag. Franciscus Marinelli Episcopus Porphyriensis, et Paulus Micallef Ordinis Generalis in nostra romana S. P. Augustini ecclesia, cujus decentius exornandae ipse inceptor et auspex fuit, modestum quidem, sed elegans marmoreum monumentum suis expensis illi erigi curarunt.

FF. Isidorus Keppler, et Possidius Exner.

Isidorus Keppler, Germanus, fuit poeta laureatus, Philosophiae ac Theologiae doctor, quas disciplinas docuit Constantiae atque Erfurti, ubi saepius facultatis theologicae, atque bis Universitatis rectorem egit. Fuit etiam Prior coenobii Erfordiensis, atque Capituli provincialis praeses Herbipoli anno 1790 quo ex hac vita migravit annum agens 76. Typis ab eo tradita sunt sequentia: 1. *Philosophia mentis.* 2. *Quaestio an detur vacuum.* 3. *Dissertatio de natura et origine formarum.* 4. *Principia hominem ad Deum et proximum ordinantia.* 5. *Logica minor, sive dialectica.* 6. *Manipulus metaphysico-moralis.* 7. *Vindemia naturalis et spiritualis.* 8. *Speculum speculativo-theologicum.* 9. *Regina dominans in regno mentali.* 10. *Aristae ex agro theologico.* 11. *Schola theosophica.* 12. *Ecclesia unica,*

Digitized by Google

vera, salvifica. 13. *Philosophia universa.* 14. *Jus canonicum.* 15. *Adoratio in spiritu et veritate . . . cultu B. M. V. SS. Angelorum et Beatorum non imminuta, et alia.*

Possidius Exner, item Germanus, natus est Kunzendorfii in Silesia anno 1748. Viennae factus fuit Augustinianus, ac post completum studiorum curriculum schōlis normalibus totum se mancipavit. Anno 1793 degebat in coenobio Leucensi in Hungaria. Quae sermone patrio exaravit, typisque tradidit haec sunt: 1. *Collectio cogitationum particularium in varia objecta pro mentis et cordis bono.* 2. *Brevis instructio ad methodum catecheticam secundum psycologiae principia cum descriptione ordinis, quo doctrina Religionis tradi posset in scholis catholicis.* 3. *De institutis et principalibus caeremoniis Ecclesiae catholicae in cultu exteriori per annum.* 4. *Catecheses ecclesiasticae christiano-catholicae.* Ex manuscripto Bibliothecae Angelicae quod extat sub litera C. 8. 21.

FF. Laurentius Tardy, et Emmanuel Blanco.

Laurentius Tardy de Cuneo in Pedemontio, S. Theologiae Magister, ab anno 1831 usque ad 1835 Vicarii generalis nomine Ordinem gubernavit. Fuit socius romanae academiae Religionis Catholicae, examinator Episcoporum, consultor S. Officii, et Indicis, atque insulae Sardiniae sub Gregorio XVI apostolicus visitator. Dicitur tum Episcopatum Albinganensem in Liguria, tum Archiepiscopatum Calaritanum in Sardinia recusasse. E corporis ergastulo egressus est Romae anno 1848 aetatis suae 85. Eleganti stilo italico scripsit, praeloque tradidit: 1. *Vitam nostratis B. Clarae de Montefalco.* 2. *Vitam nostrae B. Ritae de Cascia.* 3. *Regulam S. P. Augustini in sermonem italicum traduxit, adjecta appendice ad usum tyronum.*

Digitized by Google

Fr. Emmanuel Blanco, Hispanus, post confectum in nostro Vallisoletano collegio studiorum curriculum ad insulas Philippinas navigavit, ibique ita egregie se gessit, ut anno 1833 in Provincialem electus fuerit. Vir clarus ingenio atque indefessus naturae investigator, artem herbariam potissimum calluit, atque de illa multo adhibito studio egregium opus conscripsit sub titulo *Flora Filipina*, quod ubi primum per praelum in lucem prodiit, incredibili omnium plausu atque admiratione exceptum fuit, adeo ut ipsamet Hispaniarum Regina litteris ad illum missis ejus librum commendarit atque insuper condignos honores promiserit, quos tamen singularis illius modestia recusavit. In hoc libro post expositum systema scientiae herbariae describit omnes plantas quae in Philippinis insulis noscuntur, earumque vim et efficaciam ad morbos expellendos, necnon usum ad quem adhibentur, vel adhiberi possunt in variis artibus. Obiit in Philippinis anno 1845 religiosae professionis 50. Typis evulgavit: 1. *Praefatum opus de re herbaria sub titulo*: Flora Philipina. 2. *Libros de confessione et communione, ac pro adjuvandis moribundis, idiomate tagalo.* 3. *Vertit ex hispanico in sermonem tagalum Tisot domesticam medicinam.* Ex relatione nostratis P. Lect. Emmanuelis Zimenez Vallisoletani Collegii alumni.

FF. Liborius Domitius Parisi, Albertus Fortis, et Carolus Amoretti.

Liborius Domitius Parisi natus est Plutiae in Sicilia anno 1758. Augustinianum habitum induit in coenobio Castri Joannis, atque studiis addictus mirum in ecclesiasticis disciplinis profectum fecit, evasitque in primis insignis verbi Dei praeco. Sedulam etiam operam navavit scientiis physicis atque

Digitized by Google

astronomicis, quarum peritia magnum sibi nomen comparavit. Nec minus claruit pietate, fertur enim quod Panormi cum degeret singulis diebus ecclesias visitabat, in quibus SS. Sacramenti expositio 40 horarum habebatur. Vitam posuit anno 1828, aetatis suae 70. Typis mandavit *paraphrasim Apocalypsis, et expositionem mysteriorum ejusdem latino sermone exaratam.* Praelo etiam ingenti labore paraverat historiam universalem, atque aliud opus de astronomia, quae tamen sumptuum defectu inedita reliquit.

Albertus Fortis, Patavinus, qui nuncupatur a Carolo Denina *il primo naturalista d'Italia, ed uno de'primi d'Europa,* Ordinem Eremitanum amplexatus, Romae discipulus fuit nostratis Antonii Augustini Giorgi, quo duce atque magistro operam navavit antiquitatibus atque philologiae addiscendis. Excoluit etiam cum plausu artem poeticam. A Napoleone I constitutus fuit custos bibliothecae instituti scientiarum Bononiae. Obiit excucullatus anno 1803, aetatis suae 62. Inter egregia illius opera, quae extra Ordinem edidit, recensetur *Viaggio in Dalmazia,* quod in omnes fere linguas translatum fuit. Vide Encyclopediam popularem editam Taurini anno 1845.

Carolus Amoretti, Ligur de Onella, potissimum claruit physicarum scientiarum peritia. Egregie etiam calluit paleographiam, linguas nostrae aetatis, atque jus canonicum, cujus professorem egit Parmae cum adhuc Augustinianam tunicam gestaret. Excucullatus ivit Mediolanum, ibique Bibliothecae Ambrosianae praefectus fuit. Fatis concessit ibidem anno 1816, aetatis suae 75. Extra Ordinem evulgavit: *Nuova scelta di opusculi interessanti sulle scienze, e sulle arti, vol.* 27 *in* 4. 2. *Traduzione italiana dell'arte presso gli antichi di Winckelman.* 3. *Viaggio da Milano ai tre laghi, Maggiore, di Lugano, e di Como etc.* 4. *Della rabdomanzia ossia elettrometria animale ricerche fisiche, e storiche, etc.* Consule Encyclopediam gallicam saeculi 19 editam Parisiis anno 1838.

Digitized by Google

Fr. Maria Dominicus Josephus Engramelle.

Fr. Maria Dominicus Josephus Engramelle, Gallus, fuit celeberrimus musicus, atque mechanicus, qui in nova encyclopedia populari vol. V edit. Taurini 1845 sequentibus verbis describitur: *Engramelle Maria Domenico Giuseppe, Agostiniano, nato a Nedonchal nell'Artois ai 24 di Marzo 1727, si segnalò nello studio delle scienze e in particolar modo della musica. Egli si occupò specialmente degli stromenti da corda e della loro costruzione. Trovandosi nel 1757 alla corte del re Stanislao, un italiano fece sentire a quel principe alcune suonate di gravicembalo, le quali destarono l'ammirazione, ma non se ne potè aver copia. Engramelle imaginò a quest'effetto un meccanismo che notava i pezzi sonati sopra il gravicembalo a mano a mano che venivano eseguiti, e quando l'italiano tornò a suonare i suoi pezzi dopo pochi giorni, Engramelle gli fece sentire uno stromento per insegnare il canto ai canarini, il quale ripeteva non solo quei pezzi, ma rappresentava inoltre con fedeltà la maniera e le grazie di chi li eseguiva. Quest'invenzione consisteva in una tastiera di proporzione, collocata sotto la vera, i cui tasti battevano sopra un cilindro coperto da due carte, una bianca e l'altra annerita. Il cilindro era posto in moto da un meccanismo che a ciascun giro lo spingeva di fianco. La totale rivoluzione era di quindici giri e durava tre quarti d'ora. Un meccanismo consimile fu inventato da Unger, consigliere segretario della corte di Brunswick-Luneburgo; ma la priorità appartiene ad Engramelle. Nel 1775 questi pubblicò delle sue fatiche un'opera* (gallice) *che ha per titolo: Tonotecnia, ovvero Arte di notare i cilindri e tutto ciò che è suscettivo di note negli stromenti di musiche meccaniche. Ad Engramelle appartiene pure tutto ciò che ha relazione alle note nell'arte del fabbricatore d'organi di don Bedos. Inventò anche uno stromento*

Digitized by Google

che dà la geometrica divisione de'suoni, in modo da togliere ogni incertezza agli accordatori; e a lui va dovuta la descrizione degl'Insetti dell'Europa, dipinti al naturale da Ernst, in 4, parte prima, che contiene i bruchi, le crisalidi e le farfalle di giorno. Finalmente il Dizionario universale attribuisce ad Engramelle alcune opere intorno ai sordimuti. Questo dotto meccanico morì nel 1780.

Fr. Mathias Feran.

De singulis tanti viri virtutibus plura scripsit in historia conventus Salmanticensis noster P. Mag. Vidal, qui familiariter cum illo plures annos versatus fuit, tantamque asserit fuisse illius apud omnes existimationem, ut cultu publico dignus aliquando futurus censeretur. Natus est Abulae in Hispania, et in Vallisoletano coenobio Augustinianam tunicam induit. Inter alios praeceptorem habuit nostratem celebrem scriptorem P. Mag. Petrum Manso, tantumque in studiis profecit, ut in Salmanticensi Universitate duplicem artium atque theologiae lauream obtinuerit, ejusdemque academiae nedum professorem, verum etiam cancellarium egerit. Severioris disciplinae integerrimus custos ab omni abhorruit legum nedum violatione, verum etiam dispensatione, cumque religiosae observantiae, quae maxime in illo Salmanticensi coenobio vigebat, ac simul etiam academicis officiis satisfacere teneretur, ut neutri muneri non deesset, somno ac quieti tempus subtrahebat. Humilitatis amantissimus Episcopatus infulas constanter recusavit, profitens se velle usque ad mortem in claustri obscuritate permanere. Quamvis autem subesse praeoptaret, non semel tamen factus est Prior coenobii Salmanticensis, quod sanctorum domus vulgo dicebatur; in eoque munere ita se gessit ut neminem unquam

Digitized by Google

poena affecerit, solis privatis admonitionibus contentus ad regularis disciplinae jura sarta tecta servanda. Anno 1744 mense Augusti cum decem dierum secessum spiritualibus exercitiis impendendum inchoasset, subito morbo correptus, ac Sacramentis rite munitus biduo ante festum S. P. Augustini ex hac vita migravit, cum aetatis suae annum 64 attigisset. Testatur laudatus P. Mag. Emmanuel Vidal se postremam illius confessionem audivisse, in qua licet viginti suae vitae annorum recensionem fecerit, nullum tamen vel etiam veniale peccatum deliberate commissum declaravit. Nil igitur mirum si pauperrimas illius vestes, poenitentiae instrumenta, ac ipsa doctoratus insignia venerabundi fratres atque etiam externi in minutas partes discissa inter se diviserint ad illius memoriam retinendam, quem in coelis patronum ipsis futurum pie confidebant. In ejus epitaphio quod una cum coenobio anno 1809 deperiit ita legebatur: *Et dum hanc sanctam domum, religionem, scholam, civitatem moerentes sui absentia reliquit, hoc in loco coram oculatis testibus risit ipse post mortem.* Ita fere noster Dominicus Olabarria ex praefato Vidal.

FF. Michael Angelus Marcelli, et Aloysius Jonni.

Fr. Michael Angelus Marcelli, Sabinus, S. Theologiae Magister, Assistens, et in romano Sapientiae archigymnasio S. Scripturae interpres, ex hac vita migravit anno 1804, aetatis suae 82. Reliquit opus theologicum sub hoc titulo: *Institutiones theologicae, quas fr. Michael Marcellius etc. ad usum scholarum sui Ordinis concinnavit.* Opus posthumum typis impressum Fulginii ab anno 1847 ad 1851, in 7. vol. in 4.

De alio, nempe de Aloysio Jonni haec leguntur in diario ecclesiastico romano edito Romae anno 1825. *Nacque egli in Offida l'anno* 1753; *e dotato d'un felice talento, ed indole*

Digitized by Google

decisa per l'amore delle lettere e delle scienze, vi si applicò dalla gioventù, e non tardò a procurarsi un ritiro per la divozione, e per potere attendere con maggior pace agli studj anche più gravi, quali sono quelli delle scienze sacre. Abbracciò quindi l'istituto eremitano di S. Agostino, e diede saggi della sua dottrina nelle pubbliche dispute specialmente in Cesena, ove personaggi di profondi talenti, e di poi celebri nelle cattedre, e per la sacra porpora, provocarono la di lui facondia ed erudizione. Eletto lettore con sommi applausi seguitò a cattivarsi la stima, e pubblica ammirazione in quella città sino a che passò alla carica di reggente degli studj agostiniani in Ancona, indi in Perugia, facendo ovunque onore a se stesso, ed al sacro suo istituto. In seguito decorato della laurea in sacra teologia si ritirò nel convento di Pesaro, di dove dopo qualche anno, con biglietto del sommo pontefice Pio VI di fel. mem. fu chiamato in Roma nella carica di consultore dei Sacri Riti. Dall'anno 1797 sino all'ultimo dei suoi giorni sostenne questo delicatissimo impiego, essendo spesso deputato nelle congregazioni straordinarie, che venivano stabilite dai sommi pontefici in diverse circostanze. Esercitato nella contemplazione delle virtù degli eroi, era tanto più premuroso della gloria di Dio, e del decoro delle funzioni nel suo santuario, alle quali era sempre assiduo. Fu professore della sacra Scrittura per 27 anni nell'archiginnasio romano. Godendo della più bella considerazione presso i più rispettabili personaggi di questa dominante, fu sempre in ogni modo inalterabile nello spirito della profonda umiltà. Ebbe l'impiego di segretario generale del suo Ordine, ma costante nell'umile sentimento non volle accettare alcuna carica, anche della prima considerazione, a cui veniva chiamato dai desiderj ed instanti voti di tutta l'Agostiniana Religione. Questa ebbe solo il piacere di vedere, che con breve di Pio VII di fel. mem. gli erano stati accordati tutti gli onori, e prerogative che convengono ad un superiore generale, avendolo cioè decorato del titolo di

Digitized by Google

ex-generale dell' Ordine cogli annessi privilegi. Il suo nome fu rispettabile nelle accademie, alle quali era ascritto in Perugia, in Pesaro, ed in Roma in quella dell'Arcadia. Le sue poetiche produzioni erano del più sublime gusto; ed oltre alcuni scritti in materie sacre, che andava disponendo a maggiore perfezione, ha pure lasciate, in se stesse molto commendabili, le traduzioni in versi italiani: 1. *del poema di S. Prospero de Ingratis*, 2. *degli epigrammi* 494 *di Cunik*, 3. *degli epigrammi di S. Prospero*, 4. *delle favole di Esopo. Era dotato di una complessione, che nel metodo regolare da lui mantenuto non fu mai soggetta alle malattie: una estrema fu invincibile. Rassegnato, e raccolto nello spirito di religione si separò da noi per vivere in altra miglior vita, in età di anni* 72 *compianto dai suoi confratelli, dagli amici, da tanti rispettabili personaggi di questa dominante, che sino all'ultimo dei suoi giorni l'onorarono colle dimostrazioni della più distinta considerazione.*

FF. Nicolaus Maria Pius Ghislieri, et Franciscus Perusti.

P. Mag. Nicolaus Maria Pius Ghislieri, Aesii in Piceno ex nobilibus parentibus ortus, vir fuit singularis sanctitatis, cujus magnam opinionem, aeternamque memoriam suis concivibus moriens reliquit. Plenus dierum, ast meritorum plenior hanc mortalem sarcinam deposuit in patria anno 1817 aetatis suae 72. Ut piae fidelium venerationi fieret satis, tribus diebus illius corpus inhumatum extitit, quo temporis intervallo non solum diu, sed etiam noctu turmatim Aesinatum populus ad illud invisendum confluebat, adeo ut necesse fuerit ad consueta harum occasionum pericula praecavenda cum ad fores Ecclesiae, tum ad feretrum militum excubias haberi. Tertia tunica cadaveri fuit induta, quia duas priores

Digitized by Google

pietatis causa minutatim caedendo fideles sibi abstulerunt. Etiam post humationem aliquandiu ad illius sepulcrum populi concursus perduravit.

Alterius autem, nempe P. Francisci Parenti Lucensis praeclara vitae sanctimonia aperte dignosci potest ex sequentibus epistolarum fragmentis, quas ad illum scripsit V. Sacerdos Vincentius Pallotto Congregationis pretiosissimi Sanguinis institutor. Haec sunt ipsissima illius verba: *Nel nome soavissimo di Dio uno e trino .... ai piedi umiliato di S. Paternità mi permetta che a maggior gloria di Dio e di tutta la Corte celeste, e a vantaggio della sua e altrui anima le parli con sincerità secondo quei lumi che indegnissimamente ho ricevuto dal Signore riguardo alla sua commendevolissima persona .... Iddio vuole che Sua Riverenza per una via occulta agli occhi degli uomini e aperta alla divinità cammini umilmente a gran passi nella strada di una sublimissima perfezione, in modo che possa veracemente ripetere:* Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Domino. *Profitto della presente occasione per pregarla a volersi benignamente degnare d'immergermi con tutte le creature dell'universo nel preziosissimo Sangue del N. S. G. C. e racchiudermi nel suo SS. Cuore, e in quello della sua SS. Madre; e vivendo in una perpetua adorazione a Gesù Sacramentato oso baciare quel terreno che S. Riverenza rivestita della sublimissima dignità sacerdotale santamente con edificazione dei fedeli calpesta ....* Haec excerpta sunt ex epistola Casciam ad nostrum Franciscum missa die 23 Septembris 1819. Ea vero quae sequuntur in altera epistola habentur, quae scripta fuit die 31 Januarii anno 1820... *Iddio guarda S. R. con occhio propizio, mentre fra molti l'ha prescelta per regolare alcune anime che camminano nel bel sentiero della perfezione .... Quello che io (orazione e umiltà, orazione e umiltà) ho detto di S. R. nella prima lettera direttale, non mi è stato manifestato da alcuna creatura, ma ha voluto Iddio che le lo dichiarassi.* Obdormivit in Domino

Digitized by Google

Casciae, ubi Augustiniani coenobii priorem atque nostrarum monialium confessarium agebat, anno 1851 aetatis suae 80.

Fr. Patritius Silva Cardinalis.

Patritius Silva S. R. E. Cardinalis natus est ex nobilibus parentibus Leiriae in Lusitania anno 1756. Adolescens Ordinem Eremitarum S. P. Augustini amplexatus fuit, atque ibidem ad tantam doctrinae famam pervenit ut anno 1820 Archiepiscopus Eborensis a Pio VII inauguratus fuerit. Plurimum valebat gratia atque benevolentia apud Regem Joannem IV, qui illum suum creavit secretarium pro negotiis ecclesiasticis et justitiae, commendavitque Summo Pontifici Leoni XII ut eum in S. Cardinalium collegium adscriberet. Itaque anno 1824 S. R. E. Cardinalis a praefato Pontifice creatus fuit, atque 1826 eodem Rege instante ad patriarchalem Ulyssiponensem Ecclesiam translatus. Vixit usque ad annum 1840 aetatis suae 84. Quamvis Moronius hunc meritissimum Cardinalem tamquam secretis sectis addictum traduxerit, nihilominus constat illum de Ecclesia Catholica valde benemeritum fuisse; nam uti etiam ipsemet Gregorius XVI coram quibusdam nostratibus testatus fuit illius prudentiae atque zelo omnino debetur si difficillimis temporibus Lusitanum Gubernium communionem cum Romana Apostolica Sede non scidit. Quoad hoc audiatur P. Mag. ex Assistens Nicolaus Primavera, qui tempore subsequentis Capituli generalis notitias collegit ad illius elogium concinnandum. Caeterum Moronius non affirmat, sed tantummodo suspicatur; debuisset tamen animadvertere haud procul dubio decere tam gravem suspicionem de Emo Cardinali propalam divulgari.

Digitized by Google

FF. Paulus Rissuti, et V. Franciscus Lopez de Urraca.

Paulus Rissuti Calatabellottae in Sicilia anno 1758 ortum habuit ex honestis piisque parentibus Paulo Rissuti et Maria Daino, atque ubi ad 17 aetatis annum pervenit, in patrio coenobio Augustinianum habitum induit, licet postea Regalbuti tyrocinium confecerit. Vir fuit omni virtutum genere ornatus, amans solitudinis, studiosus poenitentiae, parcus cibi atque potus, brevis molestaeque cubationis sectator, atque in primis devotione erga Deiparam admodum fervens. Hujus devotionis virtute miracula quaedam patrasse fertur. Nam cum aliquando (anno scilicet 1827) Caltabellottae oppidum diuturna siccitate premeretur, atque propterea arescentibus arvis segetes universae periclitarentur, agnoscentes oppidani flagellum Dei, ad Pauli praesidium confugerunt illum obsecrantes ut suis precibus iratum Dominum placaret, atque peroptatam pluviam ipsis impetraret, pollicentes, si per ipsius interventionem voti compotes fiant, se Augustinianum Caltabellottae templum instauraturos. Quibus ille: *conditionem*, inquit, *admitto*, *sed publici chirographi cautionem mihi exhibete*. Mirum! chirographo per notarium Ragusa confecto, eoque Paulo tradito, statim nubes in horizonte apparuerunt, quae sine mora in imbrem effusae sitientes agros affatim humectarunt. Rem ita prout narratur contigisse tum oculati testes tum ipsa ecclesia instaurata atque ad nobiliorem formam redacta indubium testimonium praebent. Hujusmodi eventus magis magisque opinionem sanctitatis apud illos oppidanos Paulo nostro confirmavit et auxit; quamvis ad illam confirmandam atque augendam alia prodigia non defuerint. Nam cuidam Paulo de Caltabellotta, qui Pharisaeus nuncupabatur, a decem et septem annis oculorum sensu orbato Paulus noster ita visum restituit ut semper usque ad obitum bene oculis valuerit. Hoc mira-

Digitized by Google

culum est toti Calatabellottae notissimum. Praeterea in eodem Calatabellottae oppido quidam Baro, qui Peregrinus Montalbanus nominabatur, apoplexis ictu percussus ita distortis labiis evaserat ut nullum amplius verbum pronuntiare posset, quapropter pia illius uxor Paula Maria Concepta Paulum nostrum arcessivit ut infirmo si posset aliquo modo prodesset. Accessit itaque ad Baronem aegrotantem humilis coenobita, eumque multa hominum turba stipatum invenit, atque sine ulla cunctatione illum affatur dicens: *Quomodo vales domine Baro? Ne potes quidem dicere: Vivat Maria? Dic mecum*, inquiebat expansis manibus, *vivat Maria*! Hisce auditis statim Baro exclamavit: *Vivat Maria*! atque eodem temporis puncto illius labia in pristinum statum redierunt. Post haec mirantibus omnibus Rissutus noster ab oculis eorum protinus evanuit. Anno insequenti idem Baro iterum eodem modo apoplexi correptus fuit, quare propinqui statim ad Paulum arcessendum famulum miserunt, et dum P. Prior Salvator Arcarius ut illi nuncium praeberet ejus cellae ostium pulsaret, ipse intus respondit: *Scio quid petis; ast ego non amplius Baronem juvare possum, quia jam de corpore est egressus*. Et revera domum reversus famulus comperit rem ita se habere. Neque vero hoc solum extat exemplum comprobans Rissutum nostrum occulta atque remota cognoscendi virtute praeditum fuisse. Nam cum quidam oppidanus ob patratam filii necem Agrigentum, quae civitas 40 milliaria Calatabellotta distat, ut apud illud tribunal judicaretur, perductus fuisset, universaque oppidi illius gens judicii exitum sollicita expectaret, Calatabellottae judex morae impatiens Rissutum nostrum adiit rogans eum, quoniam illum sanctum existimabat, ut ipsi causae exitum manifestaret, cui humilis coenobita nullum a primo responsum dedit; ast nihilominus importune instanti tandem dixit: *Hodie hora decima nona Pharisaeus capitis damnatus fuit;* et revera nuncii postea eadem die ac hora sententiam mortis in eum prolatam fuisse retu-

Digitized by Google

lerunt. Alia item mirabilia de hoc venerabili viro narrantur, quae tamen brevitatis causa praetermittenda esse censeo. Obiit famulus Dei, ac vir Deiparae cultui addictissimus in coenobio Calatabellottae, cujus non semel prioratum gesserat, die 30 Decembris anno 1847 aetatis suae 90. Corpus ejus ut populi venerationi pateret tribus diebus supra humum servatum fuit, ac post triduum ex pertusis venis vivum sanguinem emisit. Tandem in choro separatim tumulatum fuit cum hac inscriptione: *Ecce ubi servi Dei et Deiparae quiescunt ossa Fr. Patris Bacc. Pauli Rissuti hujus Augustinensis Calatabellottae conventus filii, qui patriae ac religioni optime meritus et maxime carus ad Superos vocatus ut semper optaverat laetus atque festivus evolavit.* Ex relatione mihi transmissa per P. Mag. Prov. Emmanuelem Santangelo, atque subscripta a PP. Vincentio Cottone, Salvatore Arcario, Nicolao Grado, Carmelo Scarpinati, atque Augustino Marsala converso. Notandum quod etiamnunc fideles ad ejus sepulcrum oraturi accedunt, atque lampadas accendunt.

V. Franciscus Lopez de Urraca natus est ex nobilibus parentibus in oppido Almunia de Dona Godina Archidioecesis Caesaraugustanae in Hispania. Anno 1626 in coenobio hujus civitatis per solemnem votorum professionem Augustinianae Religioni nomen dedit. Postquam apud Ordinem Philosophiam atque Theologiam didicisset, cathedram theologicam in Oscensi Universitate obtinuit. Non semel prioratum gessit, atque anno 1663 Aragoniae provinciae praefectus fuit; quod utrumque munus singulari prudentia, magna sedulitate, atque ingenti observantiae regularis profectu adimplevit, eratque cunctis religiosis insigne exemplar vitae et morum. Anno 1670 designatus fuit a Carolo II Episcopus Bosae in Sardinia, atque a tribus Augustinianis Episcopis, nempe Francisco de Gamboa Archiepiscopo Caesaraugustano, Bartholomaeo de Froncalda Episcopo Oscensi, atque Andrea Aznar Episcopo Jacensi inauguratus. Ab illa sede translatus fuit ad cathe-

Digitized by Google

dram Algariensem in eadem insula, ac demum anno 1681 ad Episcopatum Barbastrensem in Aragonia, atque ubique episcopalis zeli luculentissima exempla reliquit. Ipsius episcopale palatium videbatur et erat observantissimum coenobitarum hospitium, in quo propriam unoquoque die horam officio divino, recitationi rosarii, caeterisque orationibus, atque negotiorum expeditioni ordinatim assignarat. Frugalis erat ejus mensa, ac modestissimus ornatus, neque sericum unquam adhibuit, ne in ipsis quidem suae dignitatis insignibus. Illius orationes erant assiduae atque ferventes, jejuniis ab Ecclesia praeceptis alia sua sponte adjungebat, atque in vigiliis B. Mariae Virginis, et Sanctorum Ordinis nonnisi pane et aqua vescebatur. Verbum Dei crebro annunciabat tam in urbibus quam in oppidis, frequens invisebat aegrotos, comitabatur SS. Viaticum dum ad illos ferebatur, atque eorum etiam confessiones excipiebat. Quotidie ut se in fide magis magisque confirmaret S. Athanasii symbolum recitabat, atque aliquando cum oráret auditus fuit Domino dicere ut si vellet ipsum in infernum mittere, fieret voluntas ejus, dummodo tamen non permitteret suum ibidem sanctissimum nomen ab illo exsecrationibus affici. Praeterea summa illius fuit erga proximum caritas, atque exemplum nostratis S. Thomae de Villanova imitatus, omnia, ipsamet quoque indusia, caeteraque indumenta, ac proprium insuper cubile pauperibus donavit. Prae nimia humilitate episcopale onus dimittere cupiebat; ast ne hoc faceret illi obstitit suus confessarius P. Philippus de Barbastro Cappucinus. Ad sanctissimae vitae terminum pervenit Barbastri anno 1695 cum Ecclesiam illam quatuordecim circiter annos optime gubernasset. Statim post obitum ab omnibus tamquam vir sanctus celebrari coepit, ac praesertim ab infante duorum annorum, qui illius cadaver expositum videns exclamavit: *Santo, santo, santo.* Per testamentum statuerat ut ipsius corpus sepeliretur apud Augustinianos in coenobio *de los Arcos,* quod duas

Digitized by Google

leucas Barbastro distabat, ast canonici, atque populus Barbastrensis maluerunt illum humare in ecclesia cathedrali, ad praefatum coenobium missis tantummodo ejus praecordiis. Jussu auctoritatis ecclesiasticae de illius virtutibus acta composita fuerunt. Ex P. Ramon de Huesca Cappuccino in theatro historico ecclesiarum Regni Aragoniae tomo nono. Licet hoc loco describatur pertinet tamen ad saeculum praecedens.

FF. Romanus Fischer, et Possidius Zitter.

Romanus Fischer Regiscuriae in arvis anno 1728 ortus, 1748 Munnerstadii solemnia vota nuncupavit. Ibidem per plures annos humaniores litteras professus est, ac postea nostrates Philosophiam ac Theologiam docuit. Ejusdem theologicae facultatis publicus professor fuit in Academia Erfurtensi, praefuitque variis coenobiis, ac demum totam Rheno-Svevicam provinciam rexit. Corporis sarcinam deposuit Munnerstadii anno 1801. Scripta ejus typis edita haec sunt: 1. *Epitome Philosophiae eclecticae.* 2. *Diversitas auxiliorum in statu innocentiae et naturae lapsae.* 3. *Honorius Papa in Synodo generali VI vere et juste condemnatus.* 4. *Laudatio funebris Emerici Josephi Arch. et Electoris Moguntini.* 5. *Sanctius Major Navarrae rex, trag.* 6. *Libellus precum lingua germanica exaratus.*

Possidius Zitter, Germanus, natus Neostadii ad Salam, a teneris annis Augustinianum Institutum amplexus, totum fere se tradidit studio linguarum veterum, ac litteris humanioribus. Plurimam vitae aetatem consumpsit in erudienda juventute in gymnasio Munnerstadiano, ibique scholarum praefectum egit. Praeter antiquitatis studia, ita noster Pius Keller, sacrae theologiae et linguae hebraicae miro cum suc-

Digitized by Google

cessu operam dabat, et quidquid otii habebat ad linguam francogallicam, italicam, et anglicam discendam impendebat. Claruit etiam admiranda graece et latine scribendi elegantia, in qua postrema princeps erat. Cum eximia hujus viri doctrina et industria singularis simplicitas et morum integritas conjuncta erat, ut fratribus suis exemplo esset imitatione dignissimo. In victu pauperrimus, paucissimisque rebus contentus erat; in cubiculo, quod fere nunquam nisi ter quaterve in anno ad ambulationem circa moenia oppidi faciendam relinquebat, semper rebus divinis, litterisque liberalibus vacabat. Doctorum virorum ac principum amicitia et gratia floruit, atque a supremo Ordinis Antistite Stephano Bellesini anno 1792 ob rite cognita atque perspecta praeclara illius merita S. Theologiae magisterio honestatus fuit. Hanc mortalem vitam finivit anno 1802 aetatis suae 80. Scripsit multa ad poeticam artem maxime et oratoriam spectantia, quae recenset laudatus Keller. Typis autem edidit. 1. *Dissertationem historicam de nostro Munnerstadiano coenobio.* 2. *Franconiae Superioris plausus cum Adamus Fridericus Episc. Bambergensis et Wirceburgensis Kissingam ad balnea venisset.* 3. *Bibliothecam ecclesiasticam Friburgensem nostratis Engelberti Kluepfelii multis auxit additionibus.* Consule manuscriptum quod asservatur in Bibl. Angelica sub lit. C. 8. 21.

FF. Seraphinus Francieri, et Augustinus Magi.

Seraphinus Francieri de Savona vir fuit magnae religionis atque humilitatis, de quo affirmare merito possumus, quod illius vita perpetuo abscondita fuerit cum Christo in Deo. Nam in Genestanensi S. Mariae Boni Consilii coenobio per multos annos cum Domino latens, ibidem inter assiduas orationes, jejunia, meditationes, atque caetera hujusmodi

Digitized by Google

pietatis officia suam aetatem usque ad senectam transegit. Potissimum autem claruit singulari erga Matrem Boni Consilii religione, ejusque cultum, maxime *Piam Unionem* provehendo, omni studio propagare sategit. Fuit apprime amans solitudinis atque recessus, neque extra coenobium egrediebatur nisi admodum raro, atque ut plurimum ad caritatis opera exercenda. Regularem observantiam exactissime custodivit, eamque pro virili parte jugiter promovit, fuitque unus ex iis, qui in illo coenobio perfectam vitam communem primitus amplexati fuerunt. Quoniam vero pietatis virtus perinde ac lux solis abscondi nullatenus potest, idcirco ab illius Genestanensi latibulo Savonensis nostri fama per omnem illius viciniae circuitum usque Romam diffusa spectatorum hominum, atque inter eos aliquot etiam Cardinalium magnam illi existimationem conciliavit, adeo ut non defuerint pietate conspicuae personae, quae Genestanum ad illum de rebus ad aeternae salutis negotium pertinentibus consulendum accederent; quippe quod ejusdem consilia, quemadmodum etiam res omnes, quae ad illum utcumque aliquando pertinuissent, magno in pretio ab omnibus habebantur. Obdormivit in Domino piissimus coenobita bonum virtutum suarum odorem superstitibus relinquens, duodecimo calendas Januarii anno 1856 aetatis suae 72.

Augustinus Magi, Lucensis, Limani in montibus natus, vir fuit pietate ac poenitentia conspicuus, cujus vitae tenorem quem triginta circiter annos sectatus fuit, paucis describam, Itaque venerabilis senex, qui ob praeclara ipsius virtutum exempla vulgo a Lucensibus pro viro sancto habebatur, quotidie ad conticinium ipsa etiam media hyeme e cubitu surgebat, ac leviter presso vestigio ne pedum sonitu quiescentes fratres excitaret per dormitorii mesaulas transiens ad ecclesiam accedebat, ibique in genua coram Domino provolutus reliquas noctis horas aut in coelestibus meditandis, aut in precibus congeminandis insumebat. Prima luce

Digitized by Google

Missam aliquantulum longiusculam singulari animi fervore celebrabat, qua peracta solutisque Deo debitis gratiarum actionibus ad exedram ad audiendas fidelium confessiones recta pergebat, ibique morabatur usquedum tintinnabulum coenobitas ad communem orationem mentalem convocaret. Hac completa iterum exedram repetebat, neque inde ante egrediebatur quam singulos praestolantes expedisset. Post haec in cubiculum se recipiebat, indeque post aliquantulum temporis urgentioribus negotiis impensum ad ecclesiam remeabat, ibidem usque ad meridiem permansurus. A prandio idipsum fere quod mane in ecclesia usque ad vesperam pergebat, adeo ut ecclesia perpetua ejus domus dici potuisset, praesertim quia extra septa monasterii numquam nisi necessitate coactus pedem efferebat. Ubi autem opportunum quiescendi tempus adveniebat, non quidem lecto fessa membra imponebat, quia in ejus cubiculo lectus omnino non erat, sed super sedilia nec tunicam, nec alia indumenta exutus necessarium somnum capiebat, atque ne ultra statutam horam hujusmodi cubatio protrahéretur, horologium excitans aliquum auri aptabat. Ad haec sub indusio, quo non quidem lineo, sed laneo semper utebatur, duo cilicia, unum nempe collo appensum, et alterum circa lumbos constrictum gestabat. Verum non his tantum, sed et aliis quoque Magius noster praeluxit austeritatis exemplis. Nam praeter consueta Ordinis jejunia tribus hebdomadae diebus a communibus obsoniis abstinebat, leguminibus et aqua contentus, cujus instituti ita tenax custos fuit ut numquam ab illo recedere voluerit, quamvis in designatos dies vel S. P. Augustini solemnitas, vel ipsamet etiam Domini nostri nativitas incidissent. Vinum autem semper abstemius nonnisi in Sacro faciendo degustabat. Erga pauperes singulari ferebatur caritate, iisque nedum escam suo sibi ori subductam, verum etiam haud exiguam suorum emolumentorum partem erogabat, divitum praeterea opem pro iisdem uberius suble-

Digitized by Google

vandis implorans. Reliquam autem sui peculii partem in alios pios usus impendebat, sicque, exempli gratia, ad suum Tulphense coenobium pecuniam misit pro sacris utensilibus comparandis, atque pro quibusdam sacris functionibus ibidem instituendis quadringentorum scutatorum fundum reliquit. Tandem vir vere pius, ac vere israelita in quo dolus non erat poenitentiae potius rigore, quam annorum pondere fractus graviter aegrotare coepit, quam aegrotationem suae vitae postremam futuram esse praedixit. Itaque medicorum jussu lecto ab aliis compositus, nam ipse extra lectum mori cupiebat, brevi ad extremam horam devenit, in qua constitutus ferventissimo pietatis affectu atque cum omnium adstantium usque ad lacrymas commotione Ecclesiae Sacramenta suscepit, et paullo post oculos in coelum defixos tenens, piasque prout poterat preces congeminans, in osculo Domini requievit a laboribus suis XII calendas Martii 1857 cum 74 suae aetatis annum attigisset. Ejus transitus fama excitati Lucenses ad illius cadaver invisendum turmatim confluxerunt, et quamvis hetrusca lex publicam cadaverum expositionem vetaret, tamen Magii nostri corpus, quod post obitum refloruisse videbatur, nemine contradicente per integrum diem frequentissimae multitudini in medio ecclesiae palam fuit. Interea autem alii religionis causa demortui manus osculabantur, alii tunicae lacinias reliquiarum loco habendas recidebant, quidam capitis capillos illi evellebant, hi aliquod ad eum pertinens quaeritabant, illi vel ejus lineamenta papyro describebant, vel injecta in faciem massa gypsea imaginem excipiebant, singuli tandem illum sanctum uno ore proclamabant; et quoniam plurimi de totius ejus vitae ratione uberiorem notitiam exoptabant, idcirco in exequiarum illius celebratione noster perinsignis orator P. Carolus Ferri orationem funebrem recitavit, ejusque elogia in hebdomadaria Lucensium ephemeride, cui nomen *Araldo*, litteris consignavit. Alumnus fuit romanae Provinciae, in qua

Digitized by Google

antequam Lucam illius coenobii prioratum gerere accessisset, jam per plures annos tum Genestani, tum Marianae Villae, tum demum Tulphae priorem egerat.

Fr. Sixtus Schier.

Sixtus Schier natus est Pruggae in Austria anno 1727. Ab Augustinianis Patribus principia christianae Religionis edoctus, atque latinae linguae rudimentis imbutus, anno 1745 eumdem Ordinem amplexatus fuit. In scholis Ordinis Philosophiae atque Theologiae studiis addictus, aegro animo hujusmodi stadium decurrebat, optabat enim magis, ut ipse ajebat, omnigenae historiae atque criticae operam dare, ad quae commodius addiscenda excellenti memoria pollebat. Factus deinde nostrae Viennensis bibliothecae custos, ibidem uberrimum suae cupiditati pabulum invenit. Quamobrem in historica eruditione tantum profecit, ut non solum apud litteratos patrios, verum etiam apud externos ingentem famam sibi acquisierit, adeo ut viri praestantes ejus desiderio capti ad illum invisendum eminus accesserint. Nomen Sixti Schier, ita refert ipsius vitae scriptor, celebratum fuit in novalibus litterariis Viennensibus, Lipsiensibus, Ratisbonensibus, Jenensibus etc., ejusque cum claris viris litterarium commercium ostendit ipsius litterarum regestum. Non solum autem se ipsum litteris perpolivit, sed etiam suos sodales ad eas sectandas maximopere excitavit, fratresque magis idoneos, ita fere praefatus auctor, provocabat ut aliquid litteris ederent, atque in hunc finem etiam sua nomina darent. Denique hoc illi plurimum cordi fuit, ut nempe fratribus suis rectum litterarum gustum ingereret et amorem, remque Augustinianam redderet illustrem et orbi utilem. Non solum autem litteris vacabat noster P. Schier, sed pietatem etiam colebat.

Digitized by Google

Verba, actiones, vultus ipse, quo erat modesto, pallido, et ad pietatem composito, virum loquebantur religiosum ac Deo datum. Nullus illi sermo dulcior, aut jucundior quam qui de litteris aut rebus piis haberetur; quae vero modestiam aut puritatem vel eminus tantum verba laederent, non solum ipse numquam proferre auditus fuit, sed etiam adversus eos, qui talia eo praesente loqui auderent, illico insurgebat, neque facilius ad displicentiam aut offensionem commoveri potuit quam hujusmodi dictis. Legem sibi imposuerat ne cum sermo esset de absentibus ipsorum errata notarentur, et si socius aliquando in transversum deflecteret, discursu in alium repente mutato, errantem statim ad officium revocabat. Procul ab illo sermones nugaces et inanes, quos cum nugatoribus aversabatur. E monasterio haud facile pedem efferebat, nisi ad visitandos aegrotos, aut cum studiorum negotia id exigerent. Caeterum cum inter saeculares illi comparendum esset, talem se praebebat ut ejus conversatio cunctis aedificationi esset et exemplo. Nullam ille neglexit occasionem pia sermonibus ingerendi documenta, aut excurrendi etiam in rerum spiritualium campum, dicere solitus: *Amemus Deum nostrum.* Nullius ille commodi sectator, vestitus illi neglectus et attritus, per totam vitam abstemius, vinum aliquando solum gustabat, ac ultimis vitae annis semel duntaxat in die corpus reficiebat. Erga SS. Sacramentum vivam habens fidem omnem internam atque externam reverentiam exhibuit, atque ut ad id faciendum etiam alios induceret, piam quamdam (quam tamen occultam esse volebat) confoederationem inter juniores fratres instituit, quibus esset obligatio praesente SS. Sacramento singularem reverentiam, devotionem, ac fidem exercendi, injuncto exiguo precum penso ad augendum apud alios quoque ejusdem SS. Christi Corporis cultum. Ob singularem morum puritatem, et vitae integritatem magister novitiorum constitutus fuit. Cum anno 1772 febris, uti vocabant, putrida longe lateque grassaretur, ultro se obtulit ad

Digitized by Google

[illegible] eodem

[illegible] Ioannes [illegible] ut Peregrinus Ioannes [illegible] percussis in faciem [illegible] verbum pronunciare pe- [illegible] Mario Concepta Virgo [illegible] esset aliquo modo profe- [illegible] ad horrendam arrogantiam humilis coeno- [illegible] mente suorum inveni, atque [illegible] quomodo vales [illegible] Vos me [illegible] Vos Mario? Die- [illegible] Vos Mario! Hisce audilis [illegible] atque eodem temporis [illegible] statum redierunt. Post hoc [illegible] oculis eorum proferens [illegible] iterum eodem modo [illegible] statim ad Paulum [illegible] P. Prior Sebastor [illegible] ut qui non au- [illegible] ut qui [illegible] Deum [illegible] ut [illegible] corpus ut [illegible] e [illegible] Neque vero hoc solum extat exemplum compre- [illegible] Iesuum nostrum occulta atque nemoti cognoscendi [illegible] praeditum fuisse. Nam cum quidam oppidanus ob [illegible] Agrigentum, quae civitas 40 milliaria [illegible] Calatabellotta distat, ut apud illud tribunal judicaretur, per- [illegible] fuisset, universaque oppidi illius gens judicii exitum [illegible] solicita expectaret, Calatabellottae judex morae impatiens [illegible] Iesuum nostrum adiit rogans eum, quoniam illum sanctum existimabat, ut ipsi causae exitum manifestaret, cui humilis coenobita nullum a primo responsum dedit; ast nihilominus importune instanti tandem dixit: *Hodie hora decima nona Pa- risaeus capitis damnatus fuit;* et re[illegible] die ac ho[illegible]

Digitized by Google

item mirabilia de hoc venerabili viro narrantur, brevitatis causa praetermittenda esse censeo. Obiit , ac vir Deiparae cultui addictissimus in coenobio tae, cujus non semel prioratum gesserat, die is anno 1847 aetatis suae 90. Corpus ejus ut rationi pateret tribus diebus supra humum ser- , ac post triduum ex pertusis venis vivum san- isit. Tandem in choro separatim tumulatum fuit scriptione: *Ecce ubi servi Dei et Deiparae quiescunt atris Bacc. Pauli Rissuti hujus Augustinensis Cala- conventus filii, qui patriae ac religioni optime me- axime carus ad Superos vocatus ut semper optaverat e festivus evolavit.* Ex relatione mihi transmissa per Prov. Emmanuelem Santangelo, atque subscripta ncentio Cottone, Salvatore Arcario, Nicolao Grado, Scarpinati, atque Augustino Marsala converso. No- quod etiamnunc fideles ad ejus sepulcrum oraturi , atque lampadas accendunt.

Franciscus Lopez de Urraca natus est ex nobilibus us in oppido Almunia de Dona Godina Archidioecesis ugustanae in Hispania. Anno 1626 in coenobio hujus s per solemnem votorum professionem Augustinianae ni nomen dedit. Postquam apud Ordinem Philosophiam Theologiam didicisset, cathedram theologicam in Oscensi rsitate obtinuit. Non semel prioratum gessit, atque 663 Aragoniae provinciae praefectus fuit; quod utrum- unus singulari prudentia, magna sedulitate, atque in- observantiae regularis profectu adimplevit, eratque cun- eligiosis insigne exemplar vitae et morum. Anno 1670 atus fuit a Carolo II Episcopus Bosae in Sardinia, a tribus Augustinianis Episcopis, nempe F isco de oa Archiepiscopo Caesaraugustano, Ba o de calda Episcopo Oscensi, atque Andrea A po nsi inauguratus de translatus ne-

Digitized by Google

dram Algariensem in eadem insula, ac demum anno 1681 ad Episcopatum Barbastrensem in Aragonia, atque ubique episcopalis zeli luculentissima exempla reliquit. Ipsius episcopale palatium videbatur et erat observantissimum coenobitarum hospitium, in quo propriam unoquoque die horam officio divino, recitationi rosarii, caeterisque orationibus, atque negotiorum expeditioni ordinatim assignarat. Frugalis erat ejus mensa, ac modestissimus ornatus, neque sericum unquam adhibuit, ne in ipsis quidem suae dignitatis insignibus. Illius orationes erant assiduae atque ferventes, jejuniis ab Ecclesia praeceptis alia sua sponte adjungebat, atque in vigiliis B. Mariae Virginis, et Sanctorum Ordinis nonnisi pane et aqua vescebatur. Verbum Dei crebro annunciabat tam in urbibus quam in oppidis, frequens invisebat aegrotos, comitabatur SS. Viaticum dum ad illos ferebatur, atque eorum etiam confessiones excipiebat. Quotidie ut se in fide magis magisque confirmaret S. Athanasii symbolum recitabat, atque aliquando cum oráret auditus fuit Domino dicere ut si vellet ipsum in infernum mittere, fieret voluntas ejus, dummodo tamen non permitteret suum ibidem sanctissimum nomen ab illo exsecrationibus affici. Praeterea summa illius fuit erga proximum caritas, atque exemplum nostratis S. Thomae de Villanova imitatus, omnia, ipsamet quoque indusia, caeteraque indumenta, ac proprium insuper cubile pauperibus donavit. Prae nimia humilitate episcopale onus dimittere cupiebat; ast ne hoc faceret illi obstitit suus confessarius P. Philippus de Barbastro Cappucinus. Ad sanctissimae vitae terminum pervenit Barbastri anno 1695 cum Ecclesiam illam quatuordecim circiter annos optime gubernasset. Statim post obitum ab omnibus tamquam vir sanctus celebrari coepit, ac praesertim ab infante duorum annorum, qui illius cadaver expositum videns exclamavit: *Santo, santo, santo.* Per testamentum statuerat ut ipsius corpus sepeliretur apud Augustinianos in coenobio *de los Arcos,* quod duas

Digitized by Google

leucas Barbastro distabat, ast canonici, atque populus Barbastrensis maluerunt illum humare in ecclesia cathedrali, ad praefatum coenobium missis tantummodo ejus praecordiis. Jussu auctoritatis ecclesiasticae de illius virtutibus acta composita fuerunt. Ex P. Ramon de Huesca Cappuccino in theatro historico ecclesiarum Regni Aragoniae tomo nono. Licet hoc loco describatur pertinet tamen ad saeculum praecedens.

FF. Romanus Fischer, et Possidius Zitter.

Romanus Fischer Regiscuriae in arvis anno 1728 ortus, 1748 Munnerstadii solemnia vota nuncupavit. Ibidem per plures annos humaniores litteras professus est, ac postea nostrates Philosophiam ac Theologiam docuit. Ejusdem theologicae facultatis publicus professor fuit in Academia Erfurtensi, praefuitque variis coenobiis, ac demum totam Rheno-Svevicam provinciam rexit. Corporis sarcinam deposuit Munnerstadii anno 1801. Scripta ejus typis edita haec sunt: 1. *Epitome Philosophiae eclecticae.* 2. *Diversitas auxiliorum in statu innocentiae et naturae lapsae.* 3. *Honorius Papa in Synodo generali VI vere et juste condemnatus.* 4. *Laudatio funebris Emerici Josephi Arch. et Electoris Moguntini.* 5. *Sanctius Major Navarrae rex, trag.* 6. *Libellus precum lingua germanica exaratus.*

Possidius Zitter, Germanus, natus Neostadii ad Salam, a teneris annis Augustinianum Institutum amplexus, totum fere se tradidit studio linguarum veterum, ac litteris humanioribus. Plurimam vitae aetatem consumpsit in erudienda juventute in gymnasio Munnerstadiano, ibique scholarum praefectum egit. Praeter antiquitatis studia, ita noster Pius Keller, sacrae theologiae et linguae hebraicae miro cum suc-

Digitized by Google

dram Algariensem in eadem insula, ac demum anno 1681 ad Episcopatum Barbastrensem in Aragonia, atque ubique episcopalis zeli luculentissima exempla reliquit. Ipsius episcopale palatium videbatur et erat observantissimum coenobitarum hospitium, in quo propriam unoquoque die horam officio divino, recitationi rosarii, caeterisque orationibus, atque negotiorum expeditioni ordinatim assignarat. Frugalis erat ejus mensa, ac modestissimus ornatus, neque sericum unquam adhibuit, ne in ipsis quidem suae dignitatis insignibus. Illius orationes erant assiduae atque ferventes, jejuniis ab Ecclesia praeceptis alia sua sponte adjungebat, atque in vigiliis B. Mariae Virginis, et Sanctorum Ordinis nonnisi pane et aqua vescebatur. Verbum Dei crebro annunciabat tam in urbibus quam in oppidis, frequens invisebat aegrotos, comitabatur SS. Viaticum dum ad illos ferebatur, atque eorum etiam confessiones excipiebat. Quotidie ut se in fide magis magisque confirmaret S. Athanasii symbolum recitabat, atque aliquando cum oráret auditus fuit Domino dicere ut si vellet ipsum in infernum mittere, fieret voluntas ejus, dummodo tamen non permitteret suum ibidem sanctissimum nomen ab illo exsecrationibus affici. Praeterea summa illius fuit erga proximum caritas, atque exemplum nostratis S. Thomae de Villanova imitatus, omnia, ipsamet quoque indusia, caeteraque indumenta, ac proprium insuper cubile pauperibus donavit. Prae nimia humilitate episcopale onus dimittere cupiebat; ast ne hoc faceret illi obstitit suus confessarius P. Philippus de Barbastro Cappucinus. Ad sanctissimae vitae terminum pervenit Barbastri anno 1695 cum Ecclesiam illam quatuordecim circiter annos optime gubernasset. Statim post obitum ab omnibus tamquam vir sanctus celebrari coepit, ac praesertim ab infante duorum annorum, qui illius cadaver expositum videns exclamavit: *Santo, santo, santo.* Per testamentum statuerat ut ipsius corpus sepeliretur apud Augustinianos in coenobio *de los Arcos,* quod duas

Digitized by Google

leucas Barbastro distabat, ast canonici, atque populus Barbastrensis maluerunt illum humare in ecclesia cathedrali, ad praefatum coenobium missis tantummodo ejus praecordiis. Jussu auctoritatis ecclesiasticae de illius virtutibus acta composita fuerunt. Ex P. Ramon de Huesca Cappuccino in theatro historico ecclesiarum Regni Aragoniae tomo nono. Licet hoc loco describatur pertinet tamen ad saeculum praecedens.

FF. Romanus Fischer, et Possidius Zitter.

Romanus Fischer Regiscuriae in arvis anno 1728 ortus, 1748 Munnerstadii solemnia vota nuncupavit. Ibidem per plures annos humaniores litteras professus est, ac postea nostrates Philosophiam ac Theologiam docuit. Ejusdem theologicae facultatis publicus professor fuit in Academia Erfurtensi, praefuitque variis coenobiis, ac demum totam Rheno-Svevicam provinciam rexit. Corporis sarcinam deposuit Munnerstadii anno 1801. Scripta ejus typis edita haec sunt: 1. *Epitome Philosophiae eclecticae.* 2. *Diversitas auxiliorum in statu innocentiae et naturae lapsae.* 3. *Honorius Papa in Synodo generali VI vere et juste condemnatus.* 4. *Laudatio funebris Emerici Josephi Arch. et Electoris Moguntini.* 5. *Sanctius Major Navarrae rex, trag.* 6. *Libellus precum lingua germanica exaratus.*

Possidius Zitter, Germanus, natus Neostadii ad Salam, a teneris annis Augustinianum Institutum amplexus, totum fere se tradidit studio linguarum veterum, ac litteris humanioribus. Plurimam vitae aetatem consumpsit in erudienda juventute in gymnasio Munnerstadiano, ibique scholarum praefectum egit. Praeter antiquitatis studia, ita noster Pius Keller, sacrae theologiae et linguae hebraicae miro cum suc-

Digitized by Google

poena affecerit, solis privatis admonitionibus contentus ad regularis disciplinae jura sarta tecta servanda. Anno 1744 mense Augusti cum decem dierum secessum spiritualibus exercitiis impendendum inchoasset, subito morbo correptus, ac Sacramentis rite munitus biduo ante festum S. P. Augustini ex hac vita migravit, cum aetatis suae annum 64 attigisset. Testatur laudatus P. Mag. Emmanuel Vidal se postremam illius confessionem audivisse, in qua licet viginti suae vitae annorum recensionem fecerit, nullum tamen vel etiam veniale peccatum deliberate commissum declaravit. Nil igitur mirum si pauperrimas illius vestes, poenitentiae instrumenta, ac ipsa doctoratus insignia venerabundi fratres atque etiam externi in minutas partes discissa inter se diviserint ad illius memoriam retinendam, quem in coelis patronum ipsis futurum pie confidebant. In ejus epitaphio quod una cum coenobio anno 1809 deperiit ita legebatur: *Et dum hanc sanctam domum, religionem, scholam, civitatem moerentes sui absentia reliquit, hoc in loco coram oculatis testibus risit ipse post mortem.* Ita fere noster Dominicus Olabarria ex praefato Vidal.

FF. Michael Angelus Marcelli, et Aloysius Jonni.

Fr. Michael Angelus Marcelli, Sabinus, S. Theologiae Magister, Assistens, et in romano Sapientiae archigymnasio S. Scripturae interpres, ex hac vita migravit anno 1804, aetatis suae 82. Reliquit opus theologicum sub hoc titulo: *Institutiones theologicae, quas fr. Michael Marcellius etc. ad usum scholarum sui Ordinis concinnavit.* Opus posthumum typis impressum Fulginii ab anno 1847 ad 1851, in 7. vol. in 4.

De alio, nempe de Aloysio Jonni haec leguntur in diario ecclesiastico romano edito Romae anno 1825. *Nacque egli in Offida l'anno 1753; e dotato d'un felice talento, ed indole*

Digitized by Google

decisa per l'amore delle lettere e delle scienze, vi si applicò dalla gioventù, e non tardò a procurarsi un ritiro per la divozione, e per potere attendere con maggior pace agli studj anche più gravi, quali sono quelli delle scienze sacre. Abbracciò quindi l'istituto eremitano di S. Agostino, e diede saggi della sua dottrina nelle pubbliche dispute specialmente in Cesena, ove personaggi di profondi talenti, e di poi celebri nelle cattedre, e per la sacra porpora, provocarono la di lui facondia ed erudizione. Eletto lettore con sommi applausi seguitò a cattivarsi la stima, e pubblica ammirazione in quella città sino a che passò alla carica di reggente degli studj agostiniani in Ancona, indi in Perugia, facendo ovunque onore a se stesso, ed al sacro suo istituto. In seguito decorato della laurea in sacra teologia si ritirò nel convento di Pesaro, di dove dopo qualche anno, con biglietto del sommo pontefice Pio VI di fel. mem. fu chiamato in Roma nella carica di consultore dei Sacri Riti. Dall'anno 1797 sino all'ultimo dei suoi giorni sostenne questo delicatissimo impiego, essendo spesso deputato nelle congregazioni straordinarie, che venivano stabilite dai sommi pontefici in diverse circostanze. Esercitato nella contemplazione delle virtù degli eroi, era tanto più premuroso della gloria di Dio, e del decoro delle funzioni nel suo santuario, alle quali era sempre assiduo. Fu professore della sacra Scrittura per 27 anni nell'archiginnasio romano. Godendo della più bella considerazione presso i più rispettabili personaggi di questa dominante, fu sempre in ogni modo inalterabile nello spirito della profonda umiltà. Ebbe l'impiego di segretario generale del suo Ordine, ma costante nell'umile sentimento non volle accettare alcuna carica, anche della prima considerazione, a cui veniva chiamato dai desiderj ed instanti voti di tutta l'Agostiniana Religione. Questa ebbe solo il piacere di vedere, che con breve di Pio VII di fel. mem. gli erano stati accordati tutti gli onori, e prerogative che convengono ad un superiore generale, avendolo cioè decorato del titolo di

Digitized by Google

ex-generale dell' Ordine cogli annessi privilegi. Il suo nome fu rispettabile nelle accademie, alle quali era ascritto in Perugia, in Pesaro, ed in Roma in quella dell'Arcadia. Le sue poetiche produzioni erano del più sublime gusto; ed oltre alcuni scritti in materie sacre, che andava disponendo a maggiore perfezione, ha pure lasciate, in se stesse molto commendabili, le traduzioni in versi italiani: 1. del poema di S. Prospero de Ingratis, 2. degli epigrammi 494 di Cunik, 3. degli epigrammi di S. Prospero, 4. delle favole di Esopo. Era dotato di una complessione, che nel metodo regolare da lui mantenuto non fu mai soggetta alle malattie: una estrema fu invincibile. Rassegnato, e raccolto nello spirito di religione si separò da noi per vivere in altra miglior vita, in età di anni 72 compianto dai suoi confratelli, dagli amici, da tanti rispettabili personaggi di questa dominante, che sino all'ultimo dei suoi giorni l'onorarono colle dimostrazioni della più distinta considerazione.

FF. Nicolaus Maria Pius Ghislieri, et Franciscus Parenti.

P. Mag. Nicolaus Maria Pius Ghislieri, Aesii in Piceno ex nobilibus parentibus ortus, vir fuit singularis sanctitatis, cujus magnam opinionem, aeternamque memoriam suis concivibus moriens reliquit. Plenus dierum, ast meritorum plenior hanc mortalem sarcinam deposuit in patria anno 1817 aetatis suae 72. Ut piae fidelium venerationi fieret satis, tribus diebus illius corpus inhumatum extitit, quo temporis intervallo non solum diu, sed etiam noctu turmatim Aesinatum populus ad illud invisendum confluebat, adeo ut necesse fuerit ad consueta harum occasionum pericula praecavenda cum ad fores Ecclesiae, tum ad feretrum militum excubias haberi. Tertia tunica cadaveri fuit induta, quia duas priores

Digitized by Google

pietatis causa minutatim caedendo fideles sibi abstulerunt. Etiam post humationem aliquandiu ad illius sepulcrum populi concursus perduravit.

Alterius autem, nempe P. Francisci Parenti Lucensis praeclara vitae sanctimonia aperte dignosci potest ex sequentibus epistolarum fragmentis, quas ad illum scripsit V. Sacerdos Vincentius Pallotto Congregationis pretiosissimi Sanguinis institutor. Haec sunt ipsissima illius verba: *Nel nome soavissimo di Dio uno e trino .... ai piedi umiliato di S. Paternità mi permetta che a maggior gloria di Dio e di tutta la Corte celeste, e a vantaggio della sua e altrui anima le parli con sincerità secondo quei lumi che indegnissimamente ho ricevuto dal Signore riguardo alla sua commendevolissima persona .... Iddio vuole che Sua Riverenza per una via occulta agli occhi degli uomini e aperta alla divinità cammini umilmente a gran passi nella strada di una sublimissima perfezione, in modo che possa veracemente ripetere:* Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Domino. *Profitto della presente occasione per pregarla a volersi benignamente degnare d'immergermi con tutte le creature dell'universo nel preziosissimo Sangue del N. S. G. C. e racchiudermi nel suo SS. Cuore, e in quello della sua SS. Madre; e vivendo in una perpetua adorazione a Gesù Sacramentato oso baciare quel terreno che S. Riverenza rivestita della sublimissima dignità sacerdotale santamente con edificazione dei fedeli calpesta ....* Haec excerpta sunt ex epistola Casciam ad nostrum Franciscum missa die 23 Septembris 1819. Ea vero quae sequuntur in altera epistola habentur, quae scripta fuit die 31 Januarii anno 1820... *Iddio guarda S. R. con occhio propizio, mentre fra molti l'ha prescelta per regolare alcune anime che camminano nel bel sentiero della perfezione .... Quello che io (orazione e umiltà, orazione e umiltà) ho detto di S. R. nella prima lettera direttale, non mi è stato manifestato da alcuna creatura, ma ha voluto Iddio che le lo dichiarassi.* Obdormivit in Domino

Digitized by Google

Casciae, ubi Augustiniani coenobii priorem atque nostrarum monialium confessarium agebat, anno 1851 aetatis suae 80.

Fr. Patritius Silva Cardinalis.

Patritius Silva S. R. E. Cardinalis natus est ex nobilibus parentibus Leiriae in Lusitania anno 1756. Adolescens Ordinem Eremitarum S. P. Augustini amplexatus fuit, atque ibidem ad tantam doctrinae famam pervenit ut anno 1820 Archiepiscopus Eborensis a Pio VII inauguratus fuerit. Plurimum valebat gratia atque benevolentia apud Regem Joannem IV, qui illum suum creavit secretarium pro negotiis ecclesiasticis et justitiae, commendavitque Summo Pontifici Leoni XII ut eum in S. Cardinalium collegium adscriberet. Itaque anno 1824 S. R. E. Cardinalis a praefato Pontifice creatus fuit, atque 1826 eodem Rege instante ad patriarchalem Ulyssiponensem Ecclesiam translatus. Vixit usque ad annum 1840 aetatis suae 84. Quamvis Moronius hunc meritissimum Cardinalem tamquam secretis sectis addictum traduxerit, nihilominus constat illum de Ecclesia Catholica valde benemeritum fuisse; nam uti etiam ipsemet Gregorius XVI coram quibusdam nostratibus testatus fuit illius prudentiae atque zelo omnino debetur si difficillimis temporibus Lusitanum Gubernium communionem cum Romana Apostolica Sede non scidit. Quoad hoc audiatur P. Mag. ex Assistens Nicolaus Primavera, qui tempore subsequentis Capituli generalis notitias collegit ad illius elogium concinnandum. Caeterum Moronius non affirmat, sed tantummodo suspicatur; debuisset tamen animadvertere haud procul dubio decere tam gravem suspicionem de Emo Cardinali propalam divulgari.

Digitized by Google

FF. Paulus Rissuti, et V. Franciscus Lopez de Urraca.

Paulus Rissuti Calatabellottae in Sicilia anno 1758 ortum habuit ex honestis piisque parentibus Paulo Rissuti et Maria Daino, atque ubi ad 17 aetatis annum pervenit, in patrio coenobio Augustinianum habitum induit, licet postea Regalbuti tyrocinium confecerit. Vir fuit omni virtutum genere ornatus, amans solitudinis, studiosus poenitentiae, parcus cibi atque potus, brevis molestaeque cubationis sectator, atque in primis devotione erga Deiparam admodum fervens. Hujus devotionis virtute miracula quaedam patrasse fertur. Nam cum aliquando (anno scilicet 1827) Caltabellottae oppidum diuturna siccitate premeretur, atque propterea arescentibus arvis segetes universae periclitarentur, agnoscentes oppidani flagellum Dei, ad Pauli praesidium confugerunt illum obsecrantes ut suis precibus iratum Dominum placaret, atque peroptatam pluviam ipsis impetraret, pollicentes, si per ipsius interventionem voti compotes fiant, se Augustinianum Caltabellottae templum instauraturos. Quibus ille: *conditionem*, inquit, *admitto*, *sed publici chirographi cautionem mihi exhibete*. Mirum! chirographo per notarium Ragusa confecto, eoque Paulo tradito, statim nubes in horizonte apparuerunt, quae sine mora in imbrem effusae sitientes agros affatim humectarunt. Rem ita prout narratur contigisse tum oculati testes tum ipsa ecclesia instaurata atque ad nobiliorem formam redacta indubium testimonium praebent. Hujusmodi eventus magis magisque opinionem sanctitatis apud illos oppidanos Paulo nostro confirmavit et auxit; quamvis ad illam confirmandam atque augendam alia prodigia non defuerint. Nam cuidam Paulo de Caltabellotta, qui Pharisaeus nuncupabatur, a decem et septem annis oculorum sensu orbato Paulus noster ita visum restituit ut semper usque ad obitum bene oculis valuerit. Hoc mira-

Digitized by Google

culum est toti Calatabellottae notissimum. Praeterea in eodem Calatabellottae oppido quidam Baro, qui Peregrinus Montalbanus nominabatur, apoplexis ictu percussus ita distortis labiis evaserat ut nullum amplius verbum pronuntiare posset, quapropter pia illius uxor Paula Maria Concepta Paulum nostrum arcessivit ut infirmo si posset aliquo modo prodesset. Accessit itaque ad Baronem aegrotantem humilis coenobita, eumque multa hominum turba stipatum invenit, atque sine ulla cunctatione illum affatur dicens: *Quomodo vales domine Baro? Ne potes quidem dicere: Vivat Maria? Dic mecum*, inquiebat expansis manibus, *vivat Maria*! Hisce auditis statim Baro exclamavit: *Vivat Maria*! atque eodem temporis puncto illius labia in pristinum statum redierunt. Post haec mirantibus omnibus Rissutus noster ab oculis eorum protinus evanuit. Anno insequenti idem Baro iterum eodem modo apoplexi correptus fuit, quare propinqui statim ad Paulum arcessendum famulum miserunt, et dum P. Prior Salvator Arcarius ut illi nuncium praeberet ejus cellae ostium pulsaret, ipse intus respondit: *Scio quid petis; ast ego non amplius Baronem juvare possum, quia jam de corpore est egressus*. Et revera domum reversus famulus comperit rem ita se habere. Neque vero hoc solum extat exemplum comprobans Rissutum nostrum occulta atque remota cognoscendi virtute praeditum fuisse. Nam cum quidam oppidanus ob patratam filii necem Agrigentum, quae civitas 40 milliaria Calatabellotta distat, ut apud illud tribunal judicaretur, perductus fuisset, universaque oppidi illius gens judicii exitum sollicita expectaret, Calatabellottae judex morae impatiens Rissutum nostrum adiit rogans eum, quoniam illum sanctum existimabat, ut ipsi causae exitum manifestaret, cui humilis coenobita nullum a primo responsum dedit; ast nihilominus importune instanti tandem dixit: *Hodie hora decima nona Pharisaeus capitis damnatus fuit;* et revera nuncii postea eadem die ac hora sententiam mortis in eum prolatam fuisse retu-

Digitized by Google

lerunt. Alia item mirabilia de hoc venerabili viro narrantur, quae tamen brevitatis causa praetermittenda esse censeo. Obiit famulus Dei, ac vir Deiparae cultui addictissimus in coenobio Calatabellottae, cujus non semel prioratum gesserat, die 30 Decembris anno 1847 aetatis suae 90. Corpus ejus ut populi venerationi pateret tribus diebus supra humum servatum fuit, ac post triduum ex pertusis venis vivum sanguinem emisit. Tandem in choro separatim tumulatum fuit cum hac inscriptione: *Ecce ubi servi Dei et Deiparae quiescunt ossa Fr. Patris Bacc. Pauli Rissuti hujus Augustinensis Calatabellottae conventus filii, qui patriae ac religioni optime meritus et maxime carus ad Superos vocatus ut semper optaverat laetus atque festivus evolavit.* Ex relatione mihi transmissa per P. Mag. Prov. Emmanuelem Santangelo, atque subscripta a *PP.* Vincentio Cottone, Salvatore Arcario, Nicolao Grado, Carmelo Scarpinati, atque Augustino Marsala converso. Notandum quod etiamnunc fideles ad ejus sepulcrum oraturi accedunt, atque lampadas accendunt.

V. Franciscus Lopez de Urraca natus est ex nobilibus parentibus in oppido Almunia de Dona Godina Archidioecesis Caesaraugustanae in Hispania. Anno 1626 in coenobio hujus civitatis per solemnem votorum professionem Augustinianae Religioni nomen dedit. Postquam apud Ordinem Philosophiam atque Theologiam didicisset, cathedram theologicam in Oscensi Universitate obtinuit. Non semel prioratum gessit, atque anno 1663 Aragoniae provinciae praefectus fuit; quod utrumque munus singulari prudentia, magna sedulitate, atque ingenti observantiae regularis profectu adimplevit, eratque cunctis religiosis insigne exemplar vitae et morum. Anno 1670 designatus fuit a Carolo II Episcopus Bosae in Sardinia, atque a tribus Augustinianis Episcopis, nempe Francisco de Gamboa Archiepiscopo Caesaraugustano, Bartholomaeo de Froncalda Episcopo Oscensi, atque Andrea Aznar Episcopo Jacensi inauguratus. Ab illa sede translatus fuit ad cathe-

Digitized by Google

dram Algariensem in eadem insula, ac demum anno 1681 ad Episcopatum Barbastrensem in Aragonia, atque ubique episcopalis zeli luculentissima exempla reliquit. Ipsius episcopale palatium videbatur et erat observantissimum coenobitarum hospitium, in quo propriam unoquoque die horam officio divino, recitationi rosarii, caeterisque orationibus, atque negotiorum expeditioni ordinatim assignarat. Frugalis erat ejus mensa, ac modestissimus ornatus, neque sericum unquam adhibuit, ne in ipsis quidem suae dignitatis insignibus. Illius orationes erant assiduae atque ferventes, jejuniis ab Ecclesia praeceptis alia sua sponte adjungebat, atque in vigiliis B. Mariae Virginis, et Sanctorum Ordinis nonnisi pane et aqua vescebatur. Verbum Dei crebro annunciabat tam in urbibus quam in oppidis, frequens invisebat aegrotos, comitabatur SS. Viaticum dum ad illos ferebatur, atque eorum etiam confessiones excipiebat. Quotidie ut se in fide magis magisque confirmaret S. Athanasii symbolum recitabat, atque aliquando cum oráret auditus fuit Domino dicere ut si vellet ipsum in infernum mittere, fieret voluntas ejus, dummodo tamen non permitteret suum ibidem sanctissimum nomen ab illo exsecrationibus affici. Praeterea summa illius fuit erga proximum caritas, atque exemplum nostratis S. Thomae de Villanova imitatus, omnia, ipsamet quoque indusia, caeteraque indumenta, ac proprium insuper cubile pauperibus donavit. Prae nimia humilitate episcopale onus dimittere cupiebat; ast ne hoc faceret illi obstitit suus confessarius P. Philippus de Barbastro Cappucinus. Ad sanctissimae vitae terminum pervenit Barbastri anno 1695 cum Ecclesiam illam quatuordecim circiter annos optime gubernasset. Statim post obitum ab omnibus tamquam vir sanctus celebrari coepit, ac praesertim ab infante duorum annorum, qui illius cadaver expositum videns exclamavit: *Santo, santo, santo.* Per testamentum statuerat ut ipsius corpus sepeliretur apud Augustinianos in coenobio *de los Arcos,* quod duas

Digitized by Google

leucas Barbastro distabat, ast canonici, atque populus Barbastrensis maluerunt illum humare in ecclesia cathedrali, ad praefatum coenobium missis tantummodo ejus praecordiis. Jussu auctoritatis ecclesiasticae de illius virtutibus acta composita fuerunt. Ex P. Ramon de Huesca Cappuccino in theatro historico ecclesiarum Regni Aragoniae tomo nono. Licet hoc loco describatur pertinet tamen ad saeculum praecedens.

FF. Romanus Fischer, et Possidius Zitter.

Romanus Fischer Regiscuriae in arvis anno 1728 ortus, 1748 Munnerstadii solemnia vota nuncupavit. Ibidem per plures annos humaniores litteras professus est, ac postea nostrates Philosophiam ac Theologiam docuit. Ejusdem theologicae facultatis publicus professor fuit in Academia Erfurtensi, praefuitque variis coenobiis, ac demum totam Rheno-Svevicam provinciam rexit. Corporis sarcinam deposuit Munnerstadii anno 1801. Scripta ejus typis edita haec sunt: 1. *Epitome Philosophiae eclecticae.* 2. *Diversitas auxiliorum in statu innocentiae et naturae lapsae.* 3. *Honorius Papa in Synodo generali VI vere et juste condemnatus.* 4. *Laudatio funebris Emerici Josephi Arch. et Electoris Moguntini.* 5. *Sanctius Major Navarrae rex, trag.* 6. *Libellus precum lingua germanica exaratus.*

Possidius Zitter, Germanus, natus Neostadii ad Salam, a teneris annis Augustinianum Institutum amplexus, totum fere se tradidit studio linguarum veterum, ac litteris humanioribus. Plurimam vitae aetatem consumpsit in erudienda juventute in gymnasio Munnerstadiano, ibique scholarum praefectum egit. Praeter antiquitatis studia, ita noster Pius Keller, sacrae theologiae et linguae hebraicae miro cum suc-

Digitized by Google

cessu operam dabat, et quidquid otii habebat ad linguam francogallicam, italicam, et anglicam discendam impendebat. Claruit etiam admiranda graece et latine scribendi elegantia, in qua postrema princeps erat. Cum eximia hujus viri doctrina et industria singularis simplicitas et morum integritas conjuncta erat, ut fratribus suis exemplo esset imitatione dignissimo. In victu pauperrimus, paucissimisque rebus contentus erat; in cubiculo, quod fere nunquam nisi ter quaterve in anno ad ambulationem circa moenia oppidi faciendam relinquebat, semper rebus divinis, litterisque liberalibus vacabat. Doctorum virorum ac principum amicitia et gratia floruit, atque a supremo Ordinis Antistite Stephano Bellesini anno 1792 ob rite cognita atque perspecta praeclara illius merita S. Theologiae magisterio honestatus fuit. Hanc mortalem vitam finivit anno 1802 aetatis suae 80. Scripsit multa ad poeticam artem maxime et oratoriam spectantia, quae recenset laudatus Keller. Typis autem edidit. 1. *Dissertationem historicam de nostro Munnerstadiano coenobio.* 2. *Franconiae Superioris plausus cum Adamus Fridericus Episc. Bambergensis et Wirceburgensis Kissingam ad balnea venisset.* 3. *Bibliothecam ecclesiasticam Friburgensem nostratis Engelberti Kluepfelii multis auxit additionibus.* Consule manuscriptum quod asservatur in Bibl. Angelica sub lit. C. 8. 21.

FF. Seraphinus Francieri, et Augustinus Magi.

Seraphinus Francieri de Savona vir fuit magnae religionis atque humilitatis, de quo affirmare merito possumus, quod illius vita perpetuo abscondita fuerit cum Christo in Deo. Nam in Genestanensi S. Mariae Boni Consilii coenobio per multos annos cum Domino latens, ibidem inter assiduas orationes, jejunia, meditationes, atque caetera hujusmodi

Digitized by Google

pietatis officia suam aetatem usque ad senectam transegit. Potissimum autem claruit singulari erga Matrem Boni Consilii religione, ejusque cultum, maxime *Piam Unionem* provehendo, omni studio propagare sategit. Fuit apprime amans solitudinis atque recessus, neque extra coenobium egrediebatur nisi admodum raro, atque ut plurimum ad caritatis opera exercenda. Regularem observantiam exactissime custodivit, eamque pro virili parte jugiter promovit, fuitque unus ex iis, qui in illo coenobio perfectam vitam communem primitus amplexati fuerunt. Quoniam vero pietatis virtus perinde ac lux solis abscondi nullatenus potest, idcirco ab illius Genestanensi latibulo Savonensis nostri fama per omnem illius viciniae circuitum usque Romam diffusa spectatorum hominum, atque inter eos aliquot etiam Cardinalium magnam illi existimationem conciliavit, adeo ut non defuerint pietate conspicuae personae, quae Genestanum ad illum de rebus ad aeternae salutis negotium pertinentibus consulendum accederent; quippe quod ejusdem consilia, quemadmodum etiam res omnes, quae ad illum utcumque aliquando pertinuissent, magno in pretio ab omnibus habebantur. Obdormivit in Domino piissimus coenobita bonum virtutum suarum odorem superstitibus relinquens, duodecimo calendas Januarii anno 1856 aetatis suae 72.

Augustinus Magi, Lucensis, Limani in montibus natus, vir fuit pietate ac poenitentia conspicuus, cujus vitae tenorem quem triginta circiter annos sectatus fuit, paucis describam, Itaque venerabilis senex, qui ob praeclara ipsius virtutum exempla vulgo a Lucensibus pro viro sancto habebatur, quotidie ad conticinium ipsa etiam media hyeme e cubitu surgebat, ac leviter presso vestigio ne pedum sonitu quiescentes fratres excitaret per dormitorii mesaulas transiens ad ecclesiam accedebat, ibique in genua coram Domino provolutus reliquas noctis horas aut in coelestibus meditandis, aut in precibus congeminandis insumebat. Prima luce

Digitized by Google

Missam aliquantulum longiusculam singulari animi fervore celebrabat, qua peracta solutisque Deo debitis gratiarum actionibus ad exedram ad audiendas fidelium confessiones recta pergebat, ibique morabatur usquedum tintinnabulum coenobitas ad communem orationem mentalem convocaret. Hac completa iterum exedram repetebat, neque inde ante egrediebatur quam singulos praestolantes expedisset. Post haec in cubiculum se recipiebat, indeque post aliquantulum temporis urgentioribus negotiis impensum ad ecclesiam remeabat, ibidem usque ad meridiem permansurus. A prandio idipsum fere quod mane in ecclesia usque ad vesperam peragebat, adeo ut ecclesia perpetua ejus domus dici potuisset, praesertim quia extra septa monasterii numquam nisi necessitate coactus pedem efferebat. Ubi autem opportunum quiescendi tempus adveniebat, non quidem lecto fessa membra imponebat, quia in ejus cubiculo lectus omnino non erat, sed super sedilia nec tunicam, nec alia indumenta exutus necessarium somnum capiebat, atque ne ultra statutam horam hujusmodi cubatio protrahéretur, horologium excitans aliquum auri aptabat. Ad haec sub indusio, quo non quidem lineo, sed laneo semper utebatur, duo cilicia, unum nempe collo appensum, et alterum circa lumbos constrictum gestabat. Verum non his tantum, sed et aliis quoque Magius noster praeluxit austeritatis exemplis. Nam praeter consueta Ordinis jejunia tribus hebdomadae diebus a communibus obsoniis abstinebat, leguminibus et aqua contentus, cujus instituti ita tenax custos fuit ut numquam ab illo recedere voluerit, quamvis in designatos dies vel S. P. Augustini solemnitas, vel ipsamet etiam Domini nostri nativitas incidissent. Vinum autem semper abstemius nonnisi in Sacro faciendo degustabat. Erga pauperes singulari ferebatur caritate, iisque nedum escam suo sibi ori subductam, verum etiam haud exiguam suorum emolumentorum partem erogabat, divitum praeterea opem pro iisdem uberius suble-

Digitized by Google

vandis implorans. Reliquam autem sui peculii partem in alios pios usus impendebat, sicque, exempli gratia, ad suum Tulphense coenobium pecuniam misit pro sacris utensilibus comparandis, atque pro quibusdam sacris functionibus ibidem instituendis quadringentorum scutatorum fundum reliquit. Tandem vir vere pius, ac vere israelita in quo dolus non erat poenitentiae potius rigore, quam annorum pondere fractus graviter aegrotare coepit, quam aegrotationem suae vitae postremam futuram esse praedixit. Itaque medicorum jussu lecto ab aliis compositus, nam ipse extra lectum mori cupiebat, brevi ad extremam horam devenit, in qua constitutus ferventissimo pietatis affectu atque cum omnium adstantium usque ad lacrymas commotione Ecclesiae Sacramenta suscepit, et paullo post oculos in coelum defixos tenens, piasque prout poterat preces congeminans, in osculo Domini requievit a laboribus suis XII calendas Martii 1857 cum 74 suae aetatis annum attigisset. Ejus transitus fama excitati Lucenses ad illius cadaver invisendum turmatim confluxerunt, et quamvis hetrusca lex publicam cadaverum expositionem vetaret, tamen Magii nostri corpus, quod post obitum refloruisse videbatur, nemine contradicente per integrum diem frequentissimae multitudini in medio ecclesiae palam fuit. Interea autem alii religionis causa demortui manus osculabantur, alii tunicae lacinias reliquiarum loco habendas recidebant, quidam capitis capillos illi evellebant, hi aliquod ad eum pertinens quaeritabant, illi vel ejus lineamenta papyro describebant, vel injecta in faciem massa gypsea imaginem excipiebant, singuli tandem illum sanctum uno ore proclamabant; et quoniam plurimi de totius ejus vitae ratione uberiorem notitiam exoptabant, idcirco in exequiarum illius celebratione noster perinsignis orator P. Carolus Ferri orationem funebrem recitavit, ejusque elogia in hebdomadaria Lucensium ephemeride, cui nomen *Araldo*, litteris consignavit. Alumnus fuit romanae Provinciae, in qua

Digitized by Google

antequam Lucam illius coenobii prioratum gerere accessisset, jam per plures annos tum Genestani, tum Marianae Villae, tum demum Tulphae priorem egerat.

Fr. Sixtus Schier.

Sixtus Schier natus est Pruggae in Austria anno 1727. Ab Augustinianis Patribus principia christianae Religionis edoctus, atque latinae linguae rudimentis imbutus, anno 1745 eumdem Ordinem amplexatus fuit. In scholis Ordinis Philosophiae atque Theologiae studiis addictus, aegro animo hujusmodi stadium decurrebat, optabat enim magis, ut ipse ajebat, omnigenae historiae atque criticae operam dare, ad quae commodius addiscenda excellenti memoria pollebat. Factus deinde nostrae Viennensis bibliothecae custos, ibidem uberrimum suae cupiditati pabulum invenit. Quamobrem in historica eruditione tantum profecit, ut non solum apud litteratos patrios, verum etiam apud externos ingentem famam sibi acquisierit, adeo ut viri praestantes ejus desiderio capti ad illum invisendum eminus accesserint. Nomen Sixti Schier, ita refert ipsius vitae scriptor, celebratum fuit in novalibus litterariis Viennensibus, Lipsiensibus, Ratisbonensibus, Jenensibus etc., ejusque cum claris viris litterarium commercium ostendit ipsius litterarum regestum. Non solum autem se ipsum litteris perpolivit, sed etiam suos sodales ad eas sectandas maximopere excitavit, fratresque magis idoneos, ita fere praefatus auctor, provocabat ut aliquid litteris ederent, atque in hunc finem etiam sua nomina darent. Denique hoc illi plurimum cordi fuit, ut nempe fratribus suis rectum litterarum gustum ingereret et amorem, remque Augustinianam redderet illustrem et orbi utilem. Non solum autem litteris vacabat noster P. Schier, sed pietatem etiam colebat.

Digitized by Google

Verba, actiones, vultus ipse, quo erat modesto, pallido, et ad pietatem composito, virum loquebantur religiosum ac Deo datum. Nullus illi sermo dulcior, aut jucundior quam qui de litteris aut rebus piis haberetur; quae vero modestiam aut puritatem vel eminus tantum verba laederent, non solum ipse numquam proferre auditus fuit, sed etiam adversus eos, qui talia eo praesente loqui auderent, illico insurgebat, neque facilius ad displicentiam aut offensionem commoveri potuit quam hujusmodi dictis. Legem sibi imposuerat ne cum sermo esset de absentibus ipsorum errata notarentur, et si socius aliquando in transversum deflecteret, discursu in alium repente mutato, errantem statim ad officium revocabat. Procul ab illo sermones nugaces et inanes, quos cum nugatoribus aversabatur. E monasterio haud facile pedem efferebat, nisi ad visitandos aegrotos, aut cum studiorum negotia id exigerent. Caeterum cum inter saeculares illi comparendum esset, talem se praebebat ut ejus conversatio cunctis aedificationi esset et exemplo. Nullam ille neglexit occasionem pia sermonibus ingerendi documenta, aut excurrendi etiam in rerum spiritualium campum, dicere solitus: *Amemus Deum nostrum.* Nullius ille commodi sectator, vestitus illi neglectus et attritus, per totam vitam abstemius, vinum aliquando solum gustabat, ac ultimis vitae annis semel duntaxat in die corpus reficiebat. Erga SS. Sacramentum vivam habens fidem omnem internam atque externam reverentiam exhibuit, atque ut ad id faciendum etiam alios induceret, piam quamdam (quam tamen occultam esse volebat) confoederationem inter juniores fratres instituit, quibus esset obligatio praesente SS. Sacramento singularem reverentiam, devotionem, ac fidem exercendi, injuncto exiguo precum penso ad augendum apud alios quoque ejusdem SS. Christi Corporis cultum. Ob singularem morum puritatem, et vitae integritatem magister novitiorum constitutus fuit. Cum anno 1772 febris, uti vocabant, putrida longe lateque grassaretur, ultro se obtulit ad

Digitized by Google

opem sacram ferendam simul cum nostrate S. Theologiae doctore Charo Kare iis qui magno numero in publico nosocomio decumbebant. Obtenta a superiore licentia dum ad nosocomium accederet in via socio dixit: *Quam nos essemus felices si fieremus victima caritatis*! Nec desiderio sunt frustrati, siquidem febri illa maligna correpti, inde reduces reipsa cecidere victimae caritatis; ac socius quidem die 15 Martii. Id cum percepisset Sixtus illud identidem ingeminabat: *Dilexerunt se in vita, nec in morte erunt separati.* Et revera obiit die 21 ejusdem mensis annos natus 45. Ita fere noster Martinus Rosnack in vita ipsius quam praefixit ejus operi de Reginis Hungariae primae stirpis. Legi potest etiam Bibliotheca nova nostratis Engelberti Klupfelii. Haec ejus opera typis edita recensentur in praefata Bibliotheca nova nostratis Engelberti Klupfelii. 1. *Oratio de S. Leopoldo Marchione Austriae* 2. *Epistola ad amicum de antiqua accuratione caesareae bibliothecae Vindobonensis.* 3. *Commentatio de primis Vindobonae typographis cum variis ad rem adnotationibus.* 4. *De duobus sermonibus Augustini primum Zagrabiensis, dein Lucerini Episcopi a Jo. Tomco vitae beati hujus viri insertis, quorum genuinitatem discussit et examinavit.* 5. *Dissertatio de regiae Budensis bibliothecae Mathiae Corvini ortu, lapsu, interitu, et reliquiis.* 6. *De V. Hildeberti primum Cenamensis Episcopi, dein Turonensis Archiepiscopi operibus, eorum genuinitate, integritate, editionibus etc.* 7. *Gregorius Lodomerii Arch. Strigoniensis sub annum* 1798 *defuncti legitimus successor vindicatus et illustratus.* 8. *Specimen Styriae litteratae.* 9. *De Maria Porphyrogenita sponsa, Anna, et Maria conjugibus Belae III Hungariae Regis.* 10. *Dicta memorabilia Sanctorum et Beatorum Ordinis Erem. S. P. Augustini.* 11. *Buda sacra sub priscis Regibus.* 12. *Memoria Academiae Istropolitanae, seu Posoniensis.* 13. *Memoria antiquae Provinciae Hungariae Augustinianae.* 14. *Commentarium de vitis, rebusque gestis Episcoporum et Archiepiscoporum Viennensium.*

Digitized by Google

15. *Sex meditationes spirituales super modum, quo D. P. Augustinus se gessit erga se ipsum, erga proximum, et Deum.* 16. *Exempla pro renovatione spiritus et votorum proposita in aliquibus Sanctis Augustinianis, et alia praeter multa manuscripta adhuc inedita.* Haec tria postrema exarata sunt lingua germanica, caetera autem latina.

FF. Stephanus Baldassarre, et Jo. Augustinus Carabelloni.

Stephanus Baldassarre de Sora in Campania fuit S. Theologiae Magister, atque Ordinis Procurator generalis. Ingenii praestantia, atque eruditionis amplitudine paucos pares habuit. Nullum fere aut litterarium aut scientificum opus indicari potest, in cujus lectione vir vere encyclopedicus versatus non fuerit. Vitae communis amore captus se contulit ad Neapolitanum S. Mariae Magdalenae coenobium, ibique usque ad obitum permansit, qui contigit anno 1851 aetatis suae 82. Quippe qui erat etiam excellens poeta typis evulgavit haec poemata italico sermone exarata: 1. *Poema pastorale sub titulo*: La Susanna. *In hoc opere suum nomen tantummodo litteris initialibus edidit. Accedit Tespesius, apologus graecus e Plutarcho desumptus.* 2. *Specimen poematum sacrorum et profanorum.* 3. *Congressus animantium cum appendice arabograeca.*

Joannes Augustinus Carabelloni, Ligur de Triora, S. Theologiae Magister, qui fuit Romanus Regens, Assistens Italiae, concionator pontificius, commissarius generalis Liguriae, atque in Genuensi Universitate Theologiae moralis professor, claruit concionandi gloria, orientalium linguarum peritia, principum benevolentia, atque morum probitate. Obiit Genuae anno 1818 aetatis suae 67. Scripsit latine, praeloque tradidit: 1. *Syllexim in novum Testamentum.* 2. *Excursionem in Religionis elementa.* 3. *De agiographia primigenia*

Digitized by Google

cessu operam dabat, et quidquid otii habebat ad linguam francogallicam, italicam, et anglicam discendam impendebat. Claruit etiam admiranda graece et latine scribendi elegantia, in qua postrema princeps erat. Cum eximia hujus viri doctrina et industria singularis simplicitas et morum integritas conjuncta erat, ut fratribus suis exemplo esset imitatione dignissimo. In victu pauperrimus, paucissimisque rebus contentus erat; in cubiculo, quod fere nunquam nisi ter quaterve in anno ad ambulationem circa moenia oppidi faciendam relinquebat, semper rebus divinis, litterisque liberalibus vacabat. Doctorum virorum ac principum amicitia et gratia floruit, atque a supremo Ordinis Antistite Stephano Bellesini anno 1792 ob rite cognita atque perspecta praeclara illius merita S. Theologiae magisterio honestatus fuit. Hanc mortalem vitam finivit anno 1802 aetatis suae 80. Scripsit multa ad poeticam artem maxime et oratoriam spectantia, quae recenset laudatus Keller. Typis autem edidit. 1. *Dissertationem historicam de nostro Munnerstadiano coenobio.* 2. *Franconiae Superioris plausus cum Adamus Fridericus Episc. Bambergensis et Wirceburgensis Kissingam ad balnea venisset.* 3. *Bibliothecam ecclesiasticam Friburgensem nostratis Engelberti Kluepfelii multis auxit additionibus.* Consule manuscriptum quod asservatur in Bibl. Angelica sub lit. C. 8. 21.

FF. Seraphinus Francieri, et Augustinus Magi.

Seraphinus Francieri de Savona vir fuit magnae religionis atque humilitatis, de quo affirmare merito possumus, quod illius vita perpetuo abscondita fuerit cum Christo in Deo. Nam in Genestanensi S. Mariae Boni Consilii coenobio per multos annos cum Domino latens, ibidem inter assiduas orationes, jejunia, meditationes, atque caetera hujusmodi

Digitized by Google

pietatis officia suam aetatem usque ad senectam transegit. Potissimum autem claruit singulari erga Matrem Boni Consilii religione, ejusque cultum, maxime *Piam Unionem* provehendo, omni studio propagare sategit. Fuit apprime amans solitudinis atque recessus, neque extra coenobium egrediebatur nisi admodum raro, atque ut plurimum ad caritatis opera exercenda. Regularem observantiam exactissime custodivit, eamque pro virili parte jugiter promovit, fuitque unus ex iis, qui in illo coenobio perfectam vitam communem primitus amplexati fuerunt. Quoniam vero pietatis virtus perinde ac lux solis abscondi nullatenus potest, idcirco ab illius Genestanensi latibulo Savonensis nostri fama per omnem illius viciniae circuitum usque Romam diffusa spectatorum hominum, atque inter eos aliquot etiam Cardinalium magnam illi existimationem conciliavit, adeo ut non defuerint pietate conspicuae personae, quae Genestanum ad illum de rebus ad aeternae salutis negotium pertinentibus consulendum accederent; quippe quod ejusdem consilia, quemadmodum etiam res omnes, quae ad illum utcumque aliquando pertinuissent, magno in pretio ab omnibus habebantur. Obdormivit in Domino piissimus coenobita bonum virtutum suarum odorem superstitibus relinquens, duodecimo calendas Januarii anno 1856 aetatis suae 72.

Augustinus Magi, Lucensis, Limani in montibus natus, vir fuit pietate ac poenitentia conspicuus, cujus vitae tenorem quem triginta circiter annos sectatus fuit, paucis describam, Itaque venerabilis senex, qui ob praeclara ipsius virtutum exempla vulgo a Lucensibus pro viro sancto habebatur, quotidie ad conticinium ipsa etiam media hyeme e cubitu surgebat, ac leviter presso vestigio ne pedum sonitu quiescentes fratres excitaret per dormitorii mesaulas transiens ad ecclesiam accedebat, ibique in genua coram Domino provolutus reliquas noctis horas aut in coelestibus meditandis, aut in precibus congeminandis insumebat. Prima luce

Digitized by Google

Missam aliquantulum longiusculam singulari animi fervore celebrabat, qua peracta solutisque Deo debitis gratiarum actionibus ad exedram ad audiendas fidelium confessiones recta pergebat, ibique morabatur usquedum tintinnabulum coenobitas ad communem orationem mentalem convocaret. Hac completa iterum exedram repetebat, neque inde ante egrediebatur quam singulos praestolantes expedisset. Post haec in cubiculum se recipiebat, indeque post aliquantulum temporis urgentioribus negotiis impensum ad ecclesiam remeabat, ibidem usque ad meridiem permansurus. A prandio idipsum fere quod mane in ecclesia usque ad vesperam peragebat, adeo ut ecclesia perpetua ejus domus dici potuisset, praesertim quia extra septa monasterii numquam nisi necessitate coactus pedem efferebat. Ubi autem opportunum quiescendi tempus adveniebat, non quidem lecto fessa membra imponebat, quia in ejus cubiculo lectus omnino non erat, sed super sedilia nec tunicam, nec alia indumenta exutus necessarium somnum capiebat, atque ne ultra statutam horam hujusmodi cubatio protrahéretur, horologium excitans aliquum auri aptabat. Ad haec sub indusio, quo non quidem lineo, sed laneo semper utebatur, duo cilicia, unum nempe collo appensum, et alterum circa lumbos constrictum gestabat. Verum non his tantum, sed et aliis quoque Magius noster praeluxit austeritatis exemplis. Nam praeter consueta Ordinis jejunia tribus hebdomadae diebus a communibus obsoniis abstinebat, leguminibus et aqua contentus, cujus instituti ita tenax custos fuit ut numquam ab illo recedere voluerit, quamvis in designatos dies vel S. P. Augustini solemnitas, vel ipsamet etiam Domini nostri nativitas incidissent. Vinum autem semper abstemius nonnisi in Sacro faciendo degustabat. Erga pauperes singulari ferebatur caritate, iisque nedum escam suo sibi ori subductam, verum etiam haud exiguam suorum emolumentorum partem erogabat, divitum praeterea opem pro iisdem uberius suble-

Digitized by Google

vandis implorans. Reliquam autem sui peculii partem in alios pios usus impendebat, sicque, exempli gratia, ad suum Tulphense coenobium pecuniam misit pro sacris utensilibus comparandis, atque pro quibusdam sacris functionibus ibidem instituendis quadringentorum scutatorum fundum reliquit. Tandem vir vere pius, ac vere israelita in quo dolus non erat poenitentiae potius rigore, quam annorum pondere fractus graviter aegrotare coepit, quam aegrotationem suae vitae postremam futuram esse praedixit. Itaque medicorum jussu lecto ab aliis compositus, nam ipse extra lectum mori cupiebat, brevi ad extremam horam devenit, in qua constitutus ferventissimo pietatis affectu atque cum omnium adstantium usque ad lacrymas commotione Ecclesiae Sacramenta suscepit, et paullo post oculos in coelum defixos tenens, piasque prout poterat preces congeminans, in osculo Domini requievit a laboribus suis XII calendas Martii 1857 cum 74 suae aetatis annum attigisset. Ejus transitus fama excitati Lucenses ad illius cadaver invisendum turmatim confluxerunt, et quamvis hetrusca lex publicam cadaverum expositionem vetaret, tamen Magii nostri corpus, quod post obitum refloruisse videbatur, nemine contradicente per integrum diem frequentissimae multitudini in medio ecclesiae palam fuit. Interea autem alii religionis causa demortui manus osculabantur, alii tunicae lacinias reliquiarum loco habendas recidebant, quidam capitis capillos illi evellebant, hi aliquod ad eum pertinens quaeritabant, illi vel ejus lineamenta papyro describebant, vel injecta in faciem massa gypsea imaginem excipiebant, singuli tandem illum sanctum uno ore proclamabant; et quoniam plurimi de totius ejus vitae ratione uberiorem notitiam exoptabant, idcirco in exequiarum illius celebratione noster perinsignis orator P. Carolus Ferri orationem funebrem recitavit, ejusque elogia in hebdomadaria Lucensium ephemeride, cui nomen *Araldo*, litteris consignavit. Alumnus fuit romanae Provinciae, in qua

Digitized by Google

antequam Lucam illius coenobii prioratum gerere accessisset, jam per plures annos tum Genestani, tum Marianae Villae, tum demum Tulphae priorem egerat.

Fr. Sixtus Schier.

Sixtus Schier natus est Pruggae in Austria anno 1727. Ab Augustinianis Patribus principia christianae Religionis edoctus, atque latinae linguae rudimentis imbutus, anno 1745 eumdem Ordinem amplexatus fuit. In scholis Ordinis Philosophiae atque Theologiae studiis addictus, aegro animo hujusmodi stadium decurrebat, optabat enim magis, ut ipse ajebat, omnigenae historiae atque criticae operam dare, ad quae commodius addiscenda excellenti memoria pollebat. Factus deinde nostrae Viennensis bibliothecae custos, ibidem uberrimum suae cupiditati pabulum invenit. Quamobrem in historica eruditione tantum profecit, ut non solum apud litteratos patrios, verum etiam apud externos ingentem famam sibi acquisierit, adeo ut viri praestantes ejus desiderio capti ad illum invisendum eminus accesserint. Nomen Sixti Schier, ita refert ipsius vitae scriptor, celebratum fuit in novalibus litterariis Viennensibus, Lipsiensibus, Ratisbonensibus, Jenensibus etc., ejusque cum claris viris litterarium commercium ostendit ipsius litterarum regestum. Non solum autem se ipsum litteris perpolivit, sed etiam suos sodales ad eas sectandas maximopere excitavit, fratresque magis idoneos, ita fere praefatus auctor, provocabat ut aliquid litteris ederent, atque in hunc finem etiam sua nomina darent. Denique hoc illi plurimum cordi fuit, ut nempe fratribus suis rectum litterarum gustum ingereret et amorem, remque Augustinianam redderet illustrem et orbi utilem. Non solum autem litteris vacabat noster P. Schier, sed pietatem etiam colebat.

Digitized by Google

Verba, actiones, vultus ipse, quo erat modesto, pallido, et ad pietatem composito, virum loquebantur religiosum ac Deo datum. Nullus illi sermo dulcior, aut jucundior quam qui de litteris aut rebus piis haberetur; quae vero modestiam aut puritatem vel eminus tantum verba laederent, non solum ipse numquam proferre auditus fuit, sed etiam adversus eos, qui talia eo praesente loqui auderent, illico insurgebat, neque facilius ad displicentiam aut offensionem commoveri potuit quam hujusmodi dictis. Legem sibi imposuerat ne cum sermo esset de absentibus ipsorum errata notarentur, et si socius aliquando in transversum deflecteret, discursu in alium repente mutato, errantem statim ad officium revocabat. Procul ab illo sermones nugaces et inanes, quos cum nugatoribus aversabatur. E monasterio haud facile pedem efferebat, nisi ad visitandos aegrotos, aut cum studiorum negotia id exigerent. Caeterum cum inter saeculares illi comparendum esset, talem se praebebat ut ejus conversatio cunctis aedificationi esset et exemplo. Nullam ille neglexit occasionem pia sermonibus ingerendi documenta, aut excurrendi etiam in rerum spiritualium campum, dicere solitus: *Amemus Deum nostrum.* Nullius ille commodi sectator, vestitus illi neglectus et attritus, per totam vitam abstemius, vinum aliquando solum gustabat, ac ultimis vitae annis semel duntaxat in die corpus reficiebat. Erga SS. Sacramentum vivam habens fidem omnem internam atque externam reverentiam exhibuit, atque ut ad id faciendum etiam alios induceret, piam quamdam (quam tamen occultam esse volebat) confoederationem inter juniores fratres instituit, quibus esset obligatio praesente SS. Sacramento singularem reverentiam, devotionem, ac fidem exercendi, injuncto exiguo precum penso ad augendum apud alios quoque ejusdem SS. Christi Corporis cultum. Ob singularem morum puritatem, et vitae integritatem magister novitiorum constitutus fuit. Cum anno 1772 febris, uti vocabant, putrida longe lateque grassaretur, ultro se obtulit ad

Digitized by Google

opem sacram ferendam simul cum nostrate S. Theologiae doctore Charo Kare iis qui magno numero in publico nosocomio decumbebant. Obtenta a superiore licentia dum ad nosocomium accederet in via socio dixit: *Quam nos essemus felices si fieremus victima caritatis*! Nec desiderio sunt frustrati, siquidem febri illa maligna correpti, inde reduces reipsa cecidere victimae caritatis; ac socius quidem die 15 Martii. Id cum percepisset Sixtus illud identidem ingeminabat: *Dilexerunt se in vita, nec in morte erunt separati.* Et revera obiit die 21 ejusdem mensis annos natus 45. Ita fere noster Martinus Rosnack in vita ipsius quam praefixit ejus operi de Reginis Hungariae primae stirpis. Legi potest etiam Bibliotheca nova nostratis Engelberti Klupfelii. Haec ejus opera typis edita recensentur in praefata Bibliotheca nova nostratis Engelberti Klupfelii. 1. *Oratio de S. Leopoldo Marchione Austriae* 2. *Epistola ad amicum de antiqua accuratione caesareae bibliothecae Vindobonensis.* 3. *Commentatio de primis Vindobonae typographis cum variis ad rem adnotationibus.* 4. *De duobus sermonibus Augustini primum Zagrabiensis, dein Lucerini Episcopi a Jo. Tomco vitae beati hujus viri insertis, quorum genuinitatem discussit et examinavit.* 5. *Dissertatio de regiae Budensis bibliothecae Mathiae Corvini ortu, lapsu, interitu, et reliquiis.* 6. *De V. Hildeberti primum Cenamensis Episcopi, dein Turonensis Archiepiscopi operibus, eorum genuinitate, integritate, editionibus etc.* 7. *Gregorius Lodomerii Arch. Strigoniensis sub annum* 1798 *defuncti legitimus successor vindicatus et illustratus.* 8. *Specimen Styriae litteratae.* 9. *De Maria Porphyrogenita sponsa, Anna, et Maria conjugibus Belae III Hungariae Regis.* 10. *Dicta memorabilia Sanctorum et Beatorum Ordinis Erem. S. P. Augustini.* 11. *Buda sacra sub priscis Regibus.* 12. *Memoria Academiae Istropolitanae, seu Posoniensis.* 13. *Memoria antiquae Provinciae Hungariae Augustinianae.* 14. *Commentarium de vitis, rebusque gestis Episcoporum et Archiepiscoporum Viennensium.*

Digitized by Google

15. *Sex meditationes spirituales super modum, quo D. P. Augustinus se gessit erga se ipsum, erga proximum, et Deum.* 16. *Exempla pro renovatione spiritus et votorum proposita in aliquibus Sanctis Augustinianis, et alia praeter multa manuscripta adhuc inedita.* Haec tria postrema exarata sunt lingua germanica, caetera autem latina.

FF. Stephanus Baldassarre, et Jo. Augustinus Carabelloni.

Stephanus Baldassarre de Sora in Campania fuit S. Theologiae Magister, atque Ordinis Procurator generalis. Ingenii praestantia, atque eruditionis amplitudine paucos pares habuit. Nullum fere aut litterarium aut scientificum opus indicari potest, in cujus lectione vir vere encyclopedicus versatus non fuerit. Vitae communis amore captus se contulit ad Neapolitanum S. Mariae Magdalenae coenobium, ibique usque ad obitum permansit, qui contigit anno 1851 aetatis suae 82. Quippe qui erat etiam excellens poeta typis evulgavit haec poemata italico sermone exarata: 1. *Poema pastorale sub titulo*: La Susanna. *In hoc opere suum nomen tantummodo litteris initialibus edidit. Accedit Tespesius, apologus graecus e Plutarcho desumptus.* 2. *Specimen poematum sacrorum et profanorum.* 3. *Congressus animantium cum appendice arabograeca.*

Joannes Augustinus Carabelloni, Ligur de Triora, S. Theologiae Magister, qui fuit Romanus Regens, Assistens Italiae, concionator pontificius, commissarius generalis Liguriae, atque in Genuensi Universitate Theologiae moralis professor, claruit concionandi gloria, orientalium linguarum peritia, principum benevolentia, atque morum probitate. Obiit Genuae anno 1818 aetatis suae 67. Scripsit latine, praeloque tradidit: 1. *Syllexim in novum Testamentum.* 2. *Excursionem in Religionis elementa.* 3. *De agiographia primigenia*

Digitized by Google

et translatitia adjectis ex hebraeo textu divinis testimoniis ab Apostolis et Evangelistis e veteri Testamento in novum adscitis, revocatisque ad fontes nunnullis coptico-sacris fragmentis.

V. Stephanus Bellesini.

V. Stephanus Bellesini natus est Tridenti ex parentibus nobilitate atque opibus conspicuis anno 1774 die 25 Novembris. Pater ejus Joseph Bellesini publici tabellionis munus in eadem urbe exercuit, ac Mater Maria Ursula Meinchembek christianae vitae conversatione commendabatur. Haec religiosa foemina quammaxime exoptabat ut sibi ea nocte mori contingeret, qua Domini nativitas celebratur, atque revera hanc gratiam assiduis precibus postulatam tandem obtinuit; quare exinde publice in patria dici coepit eam reapse sanctam in vita extitisse, atque hunc ejus filium magnae sanctitatis, qua tunc jam explendescebat, initia ab ea prorsus duxisse. Et revera pia mulier nihil antiquius habuit quam ut in corde pueri pietatis semina infigeret. Hic autem utpote qui optimo ingenio atque ad virtutem prono praeditus erat, maternam pietatem nedum in se transtulit, verum etiam amplificavit et auxit, adeo ut adhuc septennis a parocho S. Sinaxi initiatus fuerit. Jam inde ab illa aetate refulgebat in puerulo mira erga majores natu observantia, singularis modestia, vehemens in Sacramentorum frequentia fervor, atque peculiaris erga Deiparam religio; quare jure meritoque ab omnibus S. Aloysius Gonzaga nuncupabatur. Religiosorum virorum comitatu maxime delectabatur, atque e contra a profanorum hominum societate omnino abhorrebat, et cum aliquando per liberiorem quemdam gestum a quodam tentatus fuisset, statim horrescens sollicita fuga se ab illo subtraxit. Sciens autem mater consilium esse puero monasticum aliquod institutum amplectendi, tradidit illum fratri suo P. Fulgentio Meinchembek tunc Tridentino Augus-

Digitized by Google

tiniano Priori, ut ejus vocationem probaret, eumque in re tanti momenti opportune dirigeret. Hinc factum est ut cum crebrius ad coenobium accederet nostrum Eremitanum Ordinem adamare coeperit, eique nomen dare statuerit. Itaque anno 1790 a praefato P. Fulgentio in patrio coenobio habitum accepit, ab eoque post aliquot dies Bononiam ad novitiatum S. Jacobi Majoris perductus fuit. Post peractum tyrocinium se contulit Romam sub Generali Stephano Bellesini, atque post confectum Philosophiae cursum Bononiam rediit ad theologicas disciplinas addiscendas circa annum 1797. Factus pro-defendens, ob gallicas perturbationes, ac praesertim propter edictum, quo exteri religiosi e Statu Ecclesiae a Gallis occupato egredi cogebantur, in patrium coenobium remeavit nondum Sacerdotio initiatus. Ibidem sacrario addictus praeter summum decoris domus Dei studium atque caeterarum sacrarum rerum curam magno verbum Dei evangelizandi amore flagravit, (erat enim diaconus) quo in munere ita egregie se gessit ut illius conciones non solum in nostra et in cathedrali ecclesia, sed et in aliis quoque illius viciniae summopere expeti coeperint, atque templa eo concionante auditorum frequentia redundarent. Factus subinde Sacerdos ac facultate audiendi confessiones donatus, verbo et exemplo multam utilitatem populo afferebat. Interea autem accidit napoleonica suppressio, ac promulgato Tridenti suppressionis decreto, quatuor tantum ex nostratibus, inter quos hic etiam Bellesinius adnumerabatur, in S. Marci coenobio permanere permissi sunt. Quo tempore Stephanus noster verbi Dei praedicationi potissimum incumbebat. Verum quia jusjurandum quod gallicum gubernium expetebat praestare noluit, a concionandi munere exercendo abstinere coactus fuit. Ut autem prout poterat Religioni prodesset, atque pueros a scholarum normalium, quas catholicae disciplinae osores instituerant, aditione removeret, in nostro coenobio, quod adhuc incolebat, gratuitam elementarem scho-

Digitized by Google

lam aperuit. Quae res causa fuit ut paullo post una cum sociis e praefato coenobio egredi debuerit. Hac adversitate minime fractus, mortuo jam patre, una cum nostrate P. Francisco dell'Orsola ipsius consobrino in domum germani fratris nomine Angeli, quocum etiam vidua mater vivebat, se recepit, ibique eodem P. Francisco dell'Orsola adjutore nedum praedictam elementarem gratuitam scholam prosequitur, verum etiam aliam pariter gratuitam pro puellabus egenis per idoneas magistras sub ipsius directione ad pietatem atque opportunas artes informandis instituit, non aliis scilicet adminiculis quam ea exigua pensione, quae a gubernio ad suam sustentationem illi fuerat assignata, atque quibusdam oblationibus, quae ad ejus instantiam cum a consanguineis, tum ab aliis concivibus illi tradebantur. In hisce autem scholis ipse libentius catechistam agebat, ac puerorum sordidiorum, quos naturalis aliorum morositas fastidiebat, curam sibi vindicabat. Item caritate erga pauperes ita fervebat, ut ubicumque indigentes comperisset, ab iis quoquomodo sublevandis se continere non posset, eosque non solum pecunia, verum etiam vestibus, linteis, indusiisque propriis donaret, visus propterea non semel aut pallio, aut femoralibus, aut subucula exutus domum reverti. Tanta vero fuit modestia ut tunc etiam cum in domo fratris maneret nulli unquam foeminae, neque ipsis consanguineis exceptis, in suum cubiculum aditum permiserit, tantoque insuper orationis studio ut etiam post multam dici fatigationem integras noctes insomnes orando transigeret. Quidquid autem interdiu a scholarum curis illi supererat temporis, totum illud vel excipiendis fidelium confessionibus, vel aegrotis visitandis, aut verbo Dei praedicando, aut aliis id genus piis operibus peragendis impendebat, sanctus propterea ab omnibus nuncupatus. Hac ejus sanctitatis fama longe lateque diffusa complures etiam exterae personae ad illum invisendum data opera Tridentum se conferebant. Vir Augustiniani Ordinis amantissimus,

Digitized by Google

atque futurorum veluti praescius firmam spem habebat secius ocius fore ut iterum Ordo restitueretur, atque hac de causa nunquam canonicatum illi sponte oblatum admittere voluit, ut sic liberius posset data occasione ad suam Augustinianam Eremum convolare. Et revera anno 1817 restitutis jam coenobiis clam absque syngrapho ne a consanguineis impediretur Romam versus iter arripuit, atque non antea quam Bononiam pervenisset discessionis suae propinquos monuit. Verumtamen quia tota civitas ejus desiderio flagrabat, idcirco magistratus illius vigore legum prohibentium reditum ad illa claustra, a quibus jussu gallici gubernii quis expulsus fuisset, per publicas ephemerides praecepit ei ut intra duos menses sub exilii poena atque bonorum confiscationis in patriam reverteretur. At ille suae Religionis studium atque obsequium hujusmodi legibus praeferens, atque comminatas poenas nihil penitus timens, in Ordine permansit paratus omnia propter Augustiniani Instituti amorem sustinere. Bononiae a Generali Rotellio epistolas accepit, quibus Romam ad S. Augustinum novitiorum magistrum agere vocabatur. Erga novitios autem ita se gessit, ut quilibet in eo patris benignitatem, fratris amorem, servi officia, amici consilia, angeli consolationem, atque omnium virtutum compendium inveniret. Sublato Romae novitiatu mansit ibidem supprior atque magister professorii usque ad annum 1822 quo ad dirigendum novitiatum Civitatis Plebis in Umbriam missus fuit. Quippe quod perfectam vitam communem summopere expetebat, idcirco emixas ad Deum preces et ipse effundere non cessabat, et a tyronibus simul effundi jugiter satagebat ut in aliquo coenobio institueretur. Accidit autem interea ut anno 1826 a Generali Josepho Mistretta hujusmodi vitae genus in Genestani coenobium invectum fuerit, quod ubi noster V. Stephanus rescivit, ut illuc mitteretur petiit, atque obtinuit, tyronum institutioni iterum praefectus. Jam quadriennio hoc munus fungebatur

Digitized by Google

cum ex obedientia parochi officium suscipere debuit. Tunc vero maxime summa illius erga pauperes caritas elucere coepit; licet enim pro ipsorum indigentiis sublevandis non modicam annuam pensionem cum a coenobii Praesule, tum a Paliani Duce impetrasset, nihilominus pro abundantiori subsidiorum largitione eosdem rogare numquam cessabat. Hisce autem non contentus repetitas litteras ad ditiores confratres suos Romae, Neapoli, et alibi degentes, necnon ad consanguineos et amicos in patria morantes mittebat ut pecuniam illi suppeditarent suis paroecianis egenis erogandam. Praeterea siqui divites atque pecuniosi fideles Genestani sanctuarium visitatum accedebant, ipsos statim stipem aliquam pro suis pauperibus rogatum adire non praetermittebat. Quin etiam vestes, lintea, fruges, cibosque alios ad nuditatem, et famem eorum levandam ostiatim in oppido emendicare non erubescebat, nec dubitavit etiam propter eamdem causam aere alieno aliquando se gravare. Ad haec majorem melioremque sui quotidiani victus partem famelicis reservabat, suaeque parsimoniae ea etiam (annuente Priore) esculenta adjiciebat, quae confratrum refectioni in mensa supererant. Quando Genestani oppidum diro typhi morbo afflictabatur, ipse pater pauperum, quamvis hernia laborans, annis gravis, vitae asperitatibus attritus, exantlatis laboribus fractus, atque propter praecipitem lapsum debilitatus, huc atque illuc per clivosas praeruptasque illius oppidi vias infectis opportuna auxilia praebiturus diu noctuque cursitabat, ac sine contagionis formidine ad eorum lectulos accedebat, nullo vel minimo ad sui cautelam remedio adhibito, ne si aliter se gereret, aegrotantes magis perturbari aut moerere possent, omnemque illis cum spiritualem, tum temporalem opem suppeditabat. Hinc vidisses illum vel Sacramenta exeuntibus ministrantem, vel iisdem usque dum animam efflarent jugiter adstantem, vel inopibus medicamina pecuniasque distribuentem, vel frigescentibus lodices procurantem, vel

Digitized by Google

jacentibus suis ipse manibus lectulos sternentem, sordesque purgantem, vel demum convalescentes cibo potuque reficientem. Haec vero heroicae caritatis officia non solum in sua, sed in aliis etiam indiscriminatim paroeciis exercebat, ut nimirum alios sacerdotes praesertim juvenes a contagionis periculo removeret. Tandem ex nimia aegrotantium frequentatione contracto morbo obiit Genestani in festo SS. Purificationis B. M. V. anno 1840 aetatis suae 65 die et hora obitus sui antea praedictis. Adhuc vivens miraculis atque prophetiae dono claruit. Nam cuidam novitio (Gorlero genuensi) lethaliter aegrotanti proximam sanationem asseveranter adpromisit, atque eventus vaticinio respondit. Biennio antequam e patria discederet in coelesti visione futuram Ordinis instaurationem praevidit, atque sub silentii fide aliquibus praedixit. Vitae communis in aliquo Augustiniani Ordinis coenobio institutionem multo ante praenunciavit. Item cordium penetralia introspexit, atque secreta cogitata cognovit. Saepe in extasim rapiebatur, atque altissimae contemplationis dono, et imperio in daemones clarebat. Ejus epistolae quando aperiebantur suavissimum exhalabant odorem, qui naturali odori non poterat comparari. Aliquando laternam lapsu fractam atque extinctam praesentibus tyronibus ad pristinum statum, integram formam, lucemque restituit, et quadam die inter densum nivis imbrem aperto curru iter faciens, obstupescente auriga, floccis intactus itineris metam attigit. In tyrocinio P. Nicolaum Paglieri gravi gutturis inflatione ad vitae extremum redactum adhibita tantum ad B. Virginem prece et aquae lustralis aspersione ab omni morbo subito liberavit. Post octo menses ejus corpus integrum, incorruptum, et flexibile repertum fuit, atque cum novus ad hoc opus paratus loculus prae nimia angustia illud capere non posset, statim novo prodigio ad nutum Cardinalis Pedicini coram adstantibus se intra illum accomodavit. Inter caetera autem ejus miracula post obitum patrata hoc potissimum memoria dignum videtur, quod nimi-

Digitized by Google

rum anno 1845 Genuae in Liguria quamdam monialem capucinam nomine Mariam Hyacintham Rebora noctu illi apparens momento temporis ab insanabili tumore liberavit. P. Mag. Augustinus Vesco nostri Ordinis sodalis et parochus S. Mariae de Consolatione in praefata civitate eidem moniali ad nostrum V. Bellesinium recursum suaserat, eique propterea quasdam ejusdem reliquias tradiderat. Vide processum de causa beatificationis et canonizationis ejusdem, qui typis editus asservatur Romae in nostra Bibliotheca Angelica.

FF. Thomas Ortiz, et Alvarus de Benavente.

Thomas Ortiz, Hispanus, factus Augustinianus in coenobio Vallisoletano adhuc juvenis anno 1691 ad insulas Philippinas navigavit. Missus postea ad Sinarum Imperium per annos 18 illam missionem mira prudentia atque sanctitate rexit Vicarii Provincialis munere decoratus. Missionarius indefessus plurimos Jesu Christo peperit, septemque hominum millia sacro baptismate abluit, atque aliorum nostratum opera adjutus 23 ecclesias erexit. Exorta controversia de ritibus Sinensium ipse primus omnium se subjecit mandatis Card. Caroli Thomae de Tournon, atque idipsum a suis neophytis faciendum curavit. Cum vero non omnibus missionariis illius agendi ratio atque obedientia S. Sedis Legato praestita placuissent, non paucas molestias sustinere debuit, qua de causa Sinarum Imperium relinquens ad Philippinas remeavit. Ibidem primo factus fuit Prior coenobii Manilensis, ac postea anno scilicet 1716 Provincialis. Omnibus omnia factus in religiosa conversatione omnium virtutum exemplar se praebuit. In coenobio S. Mariae de Guadalupa vitam degens totum se dedit librorum scriptioni ita ut nunquam toto vitae suae tempore ad omnium utilitatem adlaborare cessarit. Tandem meritis conspicuus decessit in senectute bona Manilae anno 1743. Impressit idiomate sinico: 1. *Vitam S. P. Augustini, et S. Matris Monicae.* 2. *Considerationem*

Digitized by Google

bonae doctrinae. 3. *Expositionem novissimorum.* 4. *Methodum juvandi ad bene moriendum.* 5. *Catechismum ejusque expositionem.* 6. *Meditationes pro singulis diebus.* 7. *Grammaticam.* 8. *Catechismum hispano-tagalum ad audiendas confessiones.* 9. *Regulas meditandi et alia.* De hoc nimis pauca dicta sunt in saeculo praecedenti.

Alvarus de Benavente, Salmanticensis, adhuc juvenis contulit se ad insulas Philippinas anno 1668, ibique strenuum missionarium egit apud Indos Pampangos, atque etiam magna cum laude illam Provinciam rexit. Postea vero una cum nostrate P. Joanne Rivera profectus fuit ad Sinarum Imperium, atque ivit in provinciam Kiamsi, in qua nondum Christi evangelium annuntiatum fuerat. Sedem suam fixit una cum praefato P. Rivera in civitate Kao Kingfu, ibique Dei verbum disseminare coeperunt, multisque ad fidem conversis per multos labores, magnamque constantiam fundamenta jecerunt missionum PP. Augustinensium apud Sinarum Imperium aedificata ecclesia sub titulo et protectione SS. Nominis Jesu anno 1680. Ad dignitatem episcopalem titulo Ascalonitani Episcopi sublimatus, a S. Sede constituitur Vicarius Apostolicus Kiamsi, suumque vicariatum summa prudentia administravit. Tandem cumulatus meritis obdormivit in Domino anno 1709. Reliquit grammaticam linguae pampangae typis editam, atque dictionarium ejusdem linguae ineditum, item vocabularium linguae sinicae, atque opus de historia naturali ex sinico in sermonem hispanicum translatum.

FF. Valerianus Zellner, Bonaventura Wunder, et Joannes Libens

Valerianus Zellner, Bavarus, vir fuit magnae eruditionis, qui potissimum litterarum politiorum notitia excelluit. E mortali corpore egressus est Monachii anno 1765 aetatis

Digitized by Google

suae 45. Scripta ejus typis edita sequentia sunt: 1. *Retho rica sacra, seu norma accurate et utiliter concionandi.* 2. *Via brevis et perspicua perveniendi ad epistolarum notitiam.* 3. *Dissertatio historico-dogmatica de primatu Petri.* 4. *In historia ecclesiastica imperiali mixta ac dissertationibus elucubrata pervenit ad saeculum VIII, quam una cum positionibus historicis ex primis octo saeculis edidit anno* 1756. Ex nostrate Ossinger.

Bonaventura Wunder Gentifori in Carinthia patre senatore et judice ejusdem civitatis ortus anno 1724, vixit usque ad 1788, aetatis suae 65. Fuit S. Theologiae Magister, secretarius suae Provinciae Austriae et Hungariae, Prior coenobii Tridentini, ac postea Gentiforensis et Labacensis. Praelo tradidit: 1. *Orationem panegyricam S. Joannis Evangelistae.* 2. *Assertiones ex Theologia scholastico-dogmatico-historica de peccato originali, gratia Salvatoris, Sacramentis in genere et tribus in specie una cum controversiis historico-chronologicis.* 3. *Libellum germanice exaratum cui titulus: sanctitas et miracula S. Nicolai de Tolentino.* 4. *Synopsim asceticomoralem historicam de vitae religiosae statu, ortu, progressu, et disciplina.* 5. *Aurelii ad Galenum epistolas quatuor de vinculo matrimonii sermone latino et germanico exaratas, et alia.*

Joannes Libens, Belga, Lovaniensis doctor, publicus in eadem Academia S. Theologiae professor, atque illius coenobii Prior, floruit saeculo 18. Plures typis edidit dissertationes theologicas, nempe: 1. *De fide, spe, et caritate.* 2. *Verbum incarnatum, ejusque salutaria Sacramenta.* 3. *Jubilaei thesaurum theologice expositum.* 4. *Quaestiones selectas ad mentem SS. Augustini et Thomae.* 5. *Quaestionem theologicam de detractione et contumelia.* 6. *Dissertationem sub titulo: Filius prodigus in Augustino poenitentium speculo theologice expensus, et alia.*

Digitized by Google

PRAETERMISSI

Fr. Adrianus Hueber, Bavarus, qui ab Ossinger dicitur magnus politiorum litterarum atque Astronomiae amator, anno 1758 praelo mandavit *tractatum de historia Missae catholicae*, in quo datur notitia omnium liturgiarum orientalium et occidentalium. Extat in Bibl. Angelica.

Fr. Agnellus Merz, Bavarus, S. Theologiae Lector, atque excellens philosophus, qui ab Ossinger dicitur etiam gallicae linguae peritus, anno 1758 typis evulgavit *Schema systematicum Philosophiae ecclecticae*, 1761 opus cui titulus: *Vires intellectus humani circa cognitionem rerum naturalium expensae*, et 1765 aliud sub titulo: *Arbor scientiae boni et mali secundum Scripturas, et Ecclesiae, ac S. P. Augustini doctrinam exposita.* Debitum naturae persolvit anno 1787.

Fr. Agnellus Metrger, Tyrolensis, S. Theologiae Bacc. qui obiit anno 1782 praelo tradidit *opusculum de passione et resurrectione Domini nostri Jesu Christi juxta vaticinia Isaiae prophetae.*

Fr. Albertus degli Antoni, Lucensis, S. Theologiae Magister, fuit celeberrimus concionator, qui praesertim Romae immortale sibi nomen comparavit. Fuit etiam Assistens generalis, consultor SS. Rituum, ac socius academiae Religionis Catholicae. Fato cessit Romae anno 1837 aetatis suae 51.

Fr. Alexander Samhaber, Germanus, S. Theologiae Magister, atque juris canonici professor, bis fuit Provinciae Rheno-Svevicae administrator. Mortalem sarcinam deposuit Wirceburgi anno 1790 aetatis suae 70. Typis evulgavit. 1. *Opusculum de judice causarum matrimonialium contra tractatum*

Digitized by Google

Launoy de regia in matrimonia potestate, adversus quem ostendit quod soli Ecclesiae hujusmodi potestas conveniat. 2. *Opusculum de origine, progressu, fontibus, ac nexu Theologiae et juris canonici.*

Fr. Alexius Molitor, Germanus, vir spectata vitae probitate praeditus, famosus fuit compositor musices. Supremum diem explevit Moguntiae anno 1773 aetatis suae 42.

Fr. Alipius Gartner, Germanus, S. Theologiae Bacc. anno 1776 typis evulgavit *dissertationem latinam de jure naturae in genere spectato*, et 1779 *alteram de praecellenti, ac primigenia Episcoporum potestate.*

Fr. Aloysius Castiglione, Siculus, vir fuit multae orationis, magnae poenitentiae, atque mirae obedientiae. Confessarium egit monialium S. Francisci Salesii in civitate Minervii, quas etiam ad observandam perfectam vitam communem induxit. Extremum diem obiit cum fama sanctitatis in Neapolitano S. Mariae Magdalenae coenobio anno 1858 aetatis suae 54 cum esset prior ac magister novitiorum.

Fr. Aloysius Cerezo, Hispanus, S. Theologiae Doctor, vir fuit singularis ingenii, et rarae memoriae. Praeter litterarum peritiam calluit etiam egregie musicam et caligraphiam. Obiit tempore pestis victima caritatis anno 1811 aetatis suae 43. Vide Bibliothecam D. Justi Pastoris Fuster. Scripsit lingua patria, typisque edidit: 1. *Catechismum mahumetanum ut inde argumenta sumeret ad reprobanda quaedam falsa dogmata, quae tunc apud Hispanos divulgabantur.* 2. *Atheismum sub nomine pacti socialis propositum pro hispanica constitutione ab ipso refutatum.* 3. *Orationem funebrem D. Josephi Monnino.*

Fr. Aloysius Moriani, Lucensis, S. Theologiae Magister, fuit celebris in Italia concionator. Obiit senex Fulginii anno 1810.

Fr. Ambrosius Manchi, Neapolitanae S. Joannis ad Carbonariam alumnus, fuit S. Theologiae Magister in S. P. Au-

Digitized by Google

gustini doctrina admodum versatus. Anno 1770 librum typis edidit *de superno adjutorio innocenti creaturae necessario.*

Fr. Ambrosius Schultheis, Henstrevensis e Franconia superiori, parochus Erfordiae, et egregius concionator, decessit anno 1787 aetatis suae 64. Praelo tradidit sermones quadragesimales lingua germanica exaratos in illud: *Porro unum est necessarium.*

Fr. Angelicus Fischer, Monacensis, ante suppressionem fuit Lector in coenobio Monacensi, ac socius P. Provincialis, postea vero in professorum gymnasii ejusdem urbis numerum adscriptus fuit, ac demum variis in locis parochum egit. Debitum naturae persolvit anno 1847 aetatis suae 79. Typis evulgavit: 1. *Fundamenta primaria Theologiae dogmaticae.* 2. *Historiam ecclesiasticam Augustini Calmet e gallico in germanicum sermonem translatam.* 3. *De methodo doctrinae Religionis Catholicae.* 4. *De necessitate domesticae educationis.* 5. *Doctrinam Ecclesiae Catholicae de romano Episcopo utpote visibili hujus Ecclesiae capite.* 6. *Septem conciones pro Dominicis Quadragesimae et die Paschatis.* 7. *Traduxit et illustravit Tacitum de statu, moribus, et populis Germaniae.*

Fr. Angelus Antonius Lombardi, Beneventanus, S. Theologiae Magister, Assistens generalis, atque Parochus S. Augustini, anno 1859 typis evulgavit historiam imaginis S. Mariae Virginis sub titulo *Virginis Virginum et Matris omnium*, quae in ecclesia S. Augustini colitur.

Fr. Anselmus Anacher, Vindobonensis, S. Theologiae Magister, atque in eadem Universitate S. Scripturae interpres, mortalis vitae cursum complevit anno 1770. Praelo tradidit: 1. Opusculum nostratis Aegidii Domer cui titulus: *Divus Augustinus romano-catholicae fidei confessor et propugnator.* 2. *Orationem de Spiritu Sancto, et aliam de S. Joanne Evangelista, quas in Vindobonensi Universitate recitavit.* 3. Ex lingua italica in germanicam transtulit libellum cujus titulus: *Considerationes aliquot super translatione pro-*

Digitized by Google

digiosae imaginis Mariae Virginis de Bono Consilio ex Albania ad oppidum Genestani.

Fr. Antoninus Jorio, de Anxano, alumnus Congregationis S. Joannis ad Carbonariam, S. Theologiae Lector, atque indefessus concionator, anno 1853 typis edidit sermone italico: 1. *Sabbatum sanctificatum, sive exercitia pietatis ad honorem B. M. V. pro singulis totius anni sabbatis*, *vol.* 2. *Item relationem historicam de imagine, inventione, sanctuario, et prodigiis B. M. V. de Miraculis, quae colitur apud nostrates Andriae vol.* 1. 3. Sub nomine Odarici Montanini medicinae doctoris typis etiam evulgavit duo volumina in 12 quae per ironiam inscripsit: *Le bellezze del protestantesimo proposte alle gioje degli italiani*, *opera dedicata all'episcopato, al clero ed al popolo d'Italia.* 4. *Memorias S. Jovinae martyris.*

Fr. Antoninus de Vita, Panormo oriundus, missionarius apostolicus, qualificator, et consultor S. Officii in Sicilia, usque a pueritia Deum timere coepit, atque Augustinianam Religionem amplexatus, omnium virtutum exemplis refulsit, praecipue vero claruit magno regularis observantiae zelo, singulari modestia, animique puritate, necnon mira humilitate, ferventi Dei amore, atque impenso erga Deiparam obsequio, cujus etiam cultum sub titulo Matris Boni Consilii maxime promovit. Ad proximorum salutem procurandam verbo Dei e sacris rostris enunciando, atque confessionibus excipiendis sedulo incubuit. Denique post diuturnam aegrotationem patientissime toleratam ad coelestem patriam transivit e coenobio Corleonis anno 1769 aetatis suae 61.

Fr. Antonius de la Cruz, nobilis Hispanus, cum esset tribunus militum, atque Gubernii Gaditani secretarius, eremitanum habitum induit in coenobio S. Mariae de Regula, ibique multos annos priorem egit. Vir fuit amans solitudinis, et recessus, atque mortificationi, et poenitentiae addictus. Ex hac vita migravit cum opinione sanctitatis anno 1828.

Digitized by Google

Fr. Antonius Espina, Hispanus, Gerundae anno 1800 praelo tradidit *artem caligraphicam sermone patrio expositam.*

Fr. Antonius Fabre, Hispanus, S. Theologiae Magister, vir fuit apprime doctus, qui varias elucubravit librorum versiones e lingua latina, atque gallica in sermonem patrium, atque etiam quamdam conflavit pinacothecam numismatum atque historiae naturalis. Reliquit etiam apologiam opusculi nostratis Emmanuelis de Pinillos, quo S. P. Augustini monachatus defenditur. Mortalem tunicam exuit in Gaditano coenobio anno 1810.

Fr. Antonius Luengo, Hispanus, in Mexicum navigavit, ibique fuit S. Theologiae Magister, prior Angelopolis, atque studiorum reformator, quippe qui primus omnium in illis gymnasiis Augustinianum systema juxta nostratum Norisii, et Berti placita doceri curavit. Reliquit duos tomos inéditos sub titulo: *Isagoges Augustinianae, sive introductiones S. P. Augustini in universam Theologiam tam scholasticam quam dogmaticam.*

Fr. Antonius Maria de Raquena, Hispanus, S. Theologiae Magister, ac variis titulis in sua Hispania decoratus, nepos nostratis P. Mag. Francisci Xaverii de Raquena Vic. generalis Hispanorum, praelo tradidit varios sermones lingua patria exaratos. Adhuc versatur inter vivos.

Fr. Antonius Morat, Hispanus, prior coenobii Gerundani, vir fuit multae eruditionis, atque exquisitae litteraturae. Decessit anno 1790, typisque evulgavit *vitam V. Mariae Isabellae Francesch y Escarpi Dominicanae de monasterio Angelorum Barcinonensi.*

Fr. Antonius Mozo, Hispanus, procurator provinciae Philippinarum in Curia Matritensi, praelo tradidit *historiam missionum Augustinensium.* Obiit Manilae anno 1794.

Fr. Antonius Olaiz, Hispanus, postquam multos annos in coenobio S. Mariae de Regula sanctissimam vitam duxisset, multosque suis exemplis ad bonum excitasset, extra

Digitized by Google

claustrum propter novissimam coenobitarum expulsionem mori coactus, sanctam vitam excucullatus finivit.

P. Fr. Antonius Trissi de Regalbuto, Siculus, vir fuit sanctitate vitae conspicuus, qui obdormivit in Domino ibidem anno 1745 aetatis suae 80.

Fr. Augustinus Antonius Minuart, Hispanus, undecim annos natus Augustinianae Familiae nomen dedit, atque quindecim annorum aetate jam erat Philosophiae Lector. Postea vero evasit S. Theologiae Magister, atque ejusdem facultatis professor in Barcinonensi Universitate, in qua civitate etiam prioratum gessit. Decessit cum magna opinione sanctitatis anno 1743. In lucem emisit: 1. *Vitam V. Antonii Centeno decani Ecclesiae Barcinonensis.* 2. *Elucidationem super sententia definitiva circa identitatem corporis S. P. Augustini.*

Fr. Augustinus Brigida, Genestanensis, S. Theologiae Magister, variorum coenobiorum prior, utriusque Theologiae in Seminario Civitatis Plebis professor, romanae provinciae praeses, ac nunc assistens generalis, et Bibl. Angelicae theologus, qui egregie callet etiam cantum firmum, et caligraphiam, industrie confecit opus, cui titulus: *Additio et continuatio antiphonarii et gradualis, in qua praeter eorum, quae in nostro sacro Ordine canebantur correctionem et reformationem, de novo invenitur compositum quidquid Missali, ac Breviario Augustiniano accessit ab anno* 1814 *ad praesentem* 1862. Item alterum sub titulo: *Missarum choralium collectio adjecto hymnario juxta usitatam apud nos Augustinenses modulationem.* Sunt ad usum chori S. Augustini de Urbe. Ostendit etiam suam industriam in componendo libro quem inscripsit: *Lucerna del ven. convento de' RR. PP. Agostiniani di S. Maria del Popolo di Roma etc.*

Fr. Augustinus Cesaretti, Hetruscus, in Seminario Massae maritimae Philosophiae professor, anno 1784 praelo tradidit *memorias sacras et profanas antiquae dioecesis Po-*

Digitized by Google

puloniae, quae nunc praefato nomine appellatur, italico sermone expositas.

Fr. Augustinus Corvesi, de Nicea in Provincia, egregius verbi Dei praeco, anno 1785 praelo tradidit *orationem funebrem in laudem Mariae Antoniae Ferdinandae Infantis Hispaniae, et Reginae Sardiniae, et* 1786 *orationem sacro-politicam, quam recitaverat in aula Senatus Reipublicae Lucensis.*

Fr. Augustinus Eura, Barcinonensis, S. Theologiae Magister, atque Episcopus Orensis, florebat anno 1760. Reliquit opus manuscriptum in quinque tomos in 4 distributum, cui titulus: *Defensio SS. Patrum, et Ecclesiae Doctorum contra calumnias Barbayraccii*, et aliud de potestate et primatu Petri et successorum ejus, necnon quaedam poetica.

Fr. Augustinus Flamenco, Hispanus, vir sacris litteris eruditissimus, sed ob pietatem magis commendandus, praelo tradidit Segoviae anno 1789 *discursus historicos super Pentatheuco hispanica lingua exaratos.*

Fr. Augustinus Killeen, Hibernus, S. Theologiae Doctor, traduxit in linguam anglicam *Analogiam inter novum et vetus Testamentum P. Martini Becani Jesuitae*, quae versio anno 1859 Dublini edita ab Arch. Tuano Machale commendatur.

Fr. Augustinus Mulone, Siculus, S. Theologiae Magister, atque juris canonici egregie peritus, magni nominis concionator fuit toti insulae notissimus. Fato concessit anno 1801.

Fr. Augustinus Nicolaus Bianchi, Mantuanus, S. Theologiae Lector, atque S. Officii consultor, anno 1767 praelo mandavit: 1. Opus cui titulus: *I due libri del S. P. Agostino composti per ispiegare e commentare il divino ragionamento fatto ai discepoli dal Redentore sul monte* etc. 2. Dissertationem apologeticam sub titulo: *S. Anselmo Vescovo di Lucca purgato, e difeso dalla pretesa macchia di aver errato col prendere la investitura del suo Vescovado dal Re Arrigo IV di Lamagna.*

Fr. Augustinus Reguera, Hispanus, S. Theologiae Ma-

Digitized by Google

gister, fuit prior coenobii Gaditani, examinator synodalis variarum dioecesum, vir singularis probitatis, et celebris concionator. Obiit extra claustrum post ultimam coenobitarum expulsionem.

Fr. Augustinus Riera, Hispanus, anno 1767 typis evulgavit *dialogum sacrum Ecclesiae cum Christo Crucifixo lingua patria expositum.*

Fr. Augustinus Rizzo, de Adernione in Sicilia, vir fuit omni eruditione exornatus, atque ingenio promptus. In theologicis atque mathematicis disciplinis fuit egregie versatus, atque in verbo Dei disseminando, et praecipue in Sanctorum moribus delineandis strenuissimum se oratorem praebuit. Nec fuit musarum ignarus. Decessit dum Provinciam regebat anno 1820 aetatis suae 65.

Fr. Augustinus Santelli, Hetruscus, S. Theologiae Magister, anno 1770 typis evulgavit opus tribus tomis comprehensum sub titulo: *Stato antico e moderno, ovvero origine di Livorno dalla sua fondazione fino all'anno* 1646 *già dato in luce da fr. Agostino Magri Agostiniano, al presente fornito da fr. Agostino Santelli Maestro del medesimo Ordine di apologetiche e critiche dissertazioni e note, e condotto sino all'anno* 1770.

Fr. Augustinus Suppan, Styrus, alumnus provinciae Austriae, fuit illustris suae aetatis concionator. Florebat anno 1768. Praelo tradidit plures orationes panegyricas lingua germanica exaratas, nempe *SS. Vincentii Ferrerii, Ivonis, Bernardi, Francisci de Assisio, Thomae Aquinatis, Barbarae etc.*

Fr. Augustinus Zeppi, Anconitanus, anno 1736 impressit *panegyricam orationem S. Nicolai de Tolentino*, et 1748 *alteram B. Imeldae Lambertini.*

Fr. Augustus Fischer, Germanus, S. Theologiae doctor, atque in Erfurtensi Academia eloquentiae, Asciburgi vero in Licaeo Theologiae moralis professor, anno 1813 paroeciam

Digitized by Google

Lohranae regendam suscepit. Ex hac vita migravit anno 1817 aetatis suae 51. Per praelum in lucem emisit sequentia sermone patrio exarata: 1. *Imaginem christiani in omnibus vitae conditionibus.* 2. *Compendium Religionis christianae primum pro scholis catholicis, ac deinde pro omnibus, qui rectam cognitionem doctrinae catholicae Ecclesiae desiderant.* Opus praeclarum pluries impressum. 3. *Conciones quadragesimales huc respicientes, nimirum quam vim animus vere christianus ad temporalem, aeternamque hominum salutem habeat.*

Fr. Aurelius Reichenbach, Vindobonensis, claruit angelicis moribus, religione erga Deiparam, atque amore castitatis. Praeter theologicas atque philosophicas disciplinas calluit etiam linguam italicam, gallicam, graecam, hebraicam, hispanicam, atque bohemicam. Inchoavit historiam ecclesiasticam, sed immatura morte praeventus absolvere non potuit. Ex hac vita migravit anno 1760. Reliquit typis impressa: 1. *Asserta theologica scholastico-dogmatico-historica de Deo uno et trino.* 2. Dissertationem theologico-canonicam in ea verba cap. 8. de Sim. *Prohibemus ne ab iis qui ad Religionem transire volunt aliqua pecunia exigatur*, mss.

Fr. Bartholomaeus Augustinus Barberini anno 1782 Papiae praelo tradidit *critico-historicam narrationem italico sermone exaratam de vita Severini Boethii patritii, consulis, et philosophi celebratissimi.*

Fr. Basilius Thomas Rosell, Hispanus, S. Theologiae doctor, majoris observantiae cupiditate in solitarium Aquae Vivae coenobium se recepit, ibique extremum diem obiit anno 1807 aetatis suae 77. Scripsit sermone patrio, typisque edidit: 1. *De obligationibus, ac moribus coenobitarum generatim, atque speciatim Augustinensium.* 2. *Dissertationem de antiquitate, atque numquam interrupta continuatione Ordinis nostri.* Reliquit etiam varia manuscripta.

Fr. Beniaminus L'Arena, Beneventanus, S. Theologiae

Digitized by Google

Magister, sub praelo habet opus cui titulus: *Compendio cronistorico della Religione rivelata.* Typis etiam edidit *orationem funebrem nostratis revmi P. M. Josephi Palermo Episcopi Porphyriensis.*

Fr. Bernardus Clemens Sala, Hispanus, factus sacerdos ivit Havanam, ac postea Mexicum, ubi illius Universitatis theologicam lauream obtinuit. Anno 1779 rediit in Europam, et Gadibus mansionem suam fixit. Typis evulgavit *varios sermones lingua patria exaratos, nimirum de S. Maria Matre Pietatis dolorosa, de S. Josepho, de Pentecoste, de S. Vincentio Ferrerio, et alios.*

Fr. Bernardus Gonzalez Diaz, Hispanus, S. Theologiae professor in Universitate Vallisoletana, ac postea Mexici rector collegii S. Pauli, necnon qualificator S. Officii, florebat anno 1814. Publici juris fecit *sermonem de nostra Domina de Covadonga, alterum de eadem sub titulo de Remedio, ac tertium pro restitutione Ferdinandi VII.*

Fr. Bernardus Lago, Hispanus, illustris fuit Vallisoletani collegii alumnus. Cum ad insulas Philippinas navigasset, parochi munus per aliquot annos apud Indos Tagalos exercuit, fuitque Manilensis coenobii concionator. Anno 1823 in regionem vulgo Abra dioecesis Novae Segoviae se contulit, ibique multos annos Evangelii propagationi adlaborans plusquam duo hominum millia ad Christi fidem convertit, atque baptismatis lavacro mundavit, pluraque oppida et missiones fundavit. Fato concessit strenuissimus missionarius anno 1839.

Fr. Bruno Holzapfl, Bavarus, artis musicae peritia excelluit, fuitque celebris pulsator organi. Florebat anno 1768. Composuit, ac typis mandavit varia opera musicalia, quae citantur apud Ossinger.

Fr. Cajetanus Maria Garrasi, Catanensis, S. Theologiae Magister, et Siciliae Provincialis, fuit celebris concionator regius, qui primum Liparensem Episcopatum, ac postea

Digitized by Google

Messanensem Archiepiscopatum obtinuit. Vitam cum morte commutavit anno 1817 aetatis suae 89. Reliquit *varias doctas atque elegantes orationes funebres et panegyricas typis editas.*

Fr. Calogerus Galluzzo, Siculus, S. Theologiae Magister, et Trinacriae Provincialis, dicitur in elogio, quo ejus effigies Saccae decoratur, vir virtute, scientia, et regimine clarus, graecis, hebraicis, latinisque litteris et arte oratoria illustris, in facultatibus theologicis, moralibus et misticis versatissimus, geometricis disciplinis, arithmeticis, algebraicis, et architectonicis peritissimus, necnon in verbo Dei disseminando quasi facula ardens. Decessit anno 1828 aetatis suae 69.

Fr. Carolus Ferri, Cingulanus, qui nunc Lucae in Tuscia Augustinianum Studium regit, specialem mentionem meretur ob ingentem admirationem, quam concionando in praecipuis Italiae urbibus quotidie excitat.

Fr. Casimirus Diaz, Hispanus, alumnus Provinciae insularum Philippinarum, et apud illam definitor, et magister studentium, praelo tradidit librum sermone patrio exaratum, cui titulus: *Parochus Indorum.* Reliquit etiam varia manuscripta. Decessit anno 1746.

Fr. Clemens Bazzichi, Hetruscus, S. Theologiae Magister, Prior, et Provincialis Florentiae, anno 1856 occasione qua nostrates illud S. Joannis coenobium recuperarunt, typis evulgavit elegantem libellum sub titulo: *Gli Agostiniani in Livorno.*

Fr. Constantius Scheiblein, Germanus, egregius concionator, florebat anno 1790. Reliquit tres orationes germanicas: 1. *De devastata per gallos civitate Spirensi.* 2. Adversus assertum illud: *In omni religione datur salus.* 3. *In laudem defuncti Imp. Josephi II.*

Fr. Daniel Marcolini, Venetus, S. Theologiae Magister, et S. Scripturae interpres in templo S. P. Augustini Romae, necnon totius Ordinis Procurator generalis, fuit suo tem-

Digitized by Google

pore haud obscuri nominis versificator, ut ejus scripta testantur. Florebat anno 1790. Ipsius ingenii monumenta extant: 1. Duo hymni qui habentur in officio Passionis Domini, nempe *Moerentes oculi spargite lacrymas* atque *Aspice, infami Deus ipse ligno,* item hymnus in laudem V. M. de Bono Consilio, qui incipit: *Plaude festivo pia gens honore*, et quaedam alia poetica cum latina tum italica. 2. Versiones orationis *Ante oculos,* hymni *Te Deum*, sequentiae Missae S. P. Augustini, quae incipit *De profundis tenebrarum*, hymni S. P. Augustini incipientis *Magne Pater*, psalmi *Miserere mei Deus*, et aliae quae habentur in calendariis Ordinis ab anno 1783 usque ad 1787. 3. *Lectiones secundi nocturni BB. Andreae de Monte Regali*, *Clementis ab Auximo*, *Gregorii Celli de Veruculo*, *Philippi de Placentia*, *Catharinae de Pallantia*, *Julianae de Busto Arsitio*, *apparitionis V. M. de Bono Consilio*, *atque brevis italica narratio ejusdem apparitionis*. 4. *Theses de pluralitate martyrum contra Henricum Dodwellium.*

Fr. Didacus Bergano, Hispanus, Provincialis insularum Philippinarum, in lucem edidit: 1. *Grammaticam idiomatis pampangi.* 2. *Vocabularium ejusdem idiomatis.* Ex hac vita migravit anno 1747.

Fr. Didacus Gracia, Hispanus, qualificator S. Officii, examinator synodalis, atque Theologiae professor in Universitate Caesaraugustae, illiusque coenobii prior, anno 1703 typis edidit *conciones quadragesimales lingua patria conscriptas.*

Fr. Didacus a Zuaga, Mexicanus, anno 1735 per praelum publici juris fecit *constitutiones tertii Ordinis S. P. Augustini cum adnotationibus, et explicationibus pro sodalibus.*

Fr. Dionysius Ciappolini, Hetruscus, anno 1752 typis evulgavit lingua patria *compendium vitae nostratis B. Alphonsi de Orosco, et* 1756 *compendium historiae imaginis V. M. de Bono Consilio.*

Fr. Dominicus Diaz, Hispanus, insignis architectus, non-

Digitized by Google

nulla reliquit in Philippinis insulis suae peritiae monumenta. Obiit Manilae anno 1745.

Fr. Domitius Prestifilippi, de Regalbuto in Sicilia, S. Theologiae Magister, vir fuit regularis observantiae zelo conspicuus, eamque in illa Provincia, quam bis administravit, instaurare sategit. Monasterium S. Mariae Angelorum Regalbuti a fundamentis erexit, eique annos viginti sanctissime praefuit. Extremum diem clausit anno 1754 aetatis suae 74.

Fr. Emericus Stangenberger, Germanus, egregius concionator, florebat anno 1790. Praelo tradidit: 1. *Orationes sacras de diversis Religionis nostrae dogmatibus lingua germanica exaratas.* 2. Transtulit e gallico sermone in germanicum *Considerationes super praecipuas veritates christianae Religionis.*

Fr. Emmanuel Buzeta, Hispanus, insularum Philippinarum commissarius, una cum nostrate Philippo Bravo anno 1850 typis evulgavit *Dictionarium geographicum statisticum historicum earumdem insularum lingua patria conscriptum.* 2. Edidit etiam *grammaticam linguae tagalae.*

Fr. Emmanuel Campanile, Neapolitanus, anno 1845 cum nondum tunicam exuisset, praelo mandavit *librum italicum, in quo habentur quaedam conciones et orationes panegyricae.*

Fr. Emmanuel Davalos, Hispanus, vir pietate atque moribus spectabilis, alumnus fuit Provinciae insularum Philippinarum. Adolescens cum rem militarem in Hispania sequeretur, desertor a signis abscessit, cumque propterea morte plectendus in vincula conjectus fuisset, ab hoc discrimine mirabiliter ereptus fuit. Deinde ut arctius se Deo conjungeret, Augustinianae Familiae nomen dedit in Castellae Provincia, atque ad Philippinas trajecit, ibique multos annos Indorum institutioni impendit. Cum vero multis variisque scrupulis vexaretur, ad Manilense coenobium se recepit, atque ibidem humilitate, assidua oratione, ciliciis, atque

Digitized by Google

jejuniis seipsum jugiter exercens, acerrimum bellum ab humani generis hoste diu sustinuit, qui aliquando etiam verberationibus ita sanctum coenobitam affecit, ut illum seminecem humi reliquerit. Nihil tamen hisce conatibus adversarius consequebatur, quin potius illum magis magisque ad Dei amorem excitabat. Tandem tot victoriis cumulatus, meritisque plenus obdormivit in Domino Manilae anno 1759.

Fr. Emmanuel Farias, Mexicanus, prior Vallisoleti in provincia Mechoacanensi, examinator synodalis, qualificator S. Officii, et historicus Ordinis, florebat anno 1750. Typis edidit: 1. *Sermonem de Domina nostra de Guadalupa.* 2. *De S. Christo Triritzquari.* 3. *De Domina nostra de Carmelo.* 4. *Orationem funebrem nostratis P. Mag. Mathiae Escobar provincialis Mechoacanensis.*

Fr. Emmanuel Mariaga, Hispanus, habitum induit in nostro Manilensi coenobio, fuitque indefessus Philippinarum missionarius, ubi ingentem Indorum numerum sacro baptismate abluit, atque ex iis populum collegit sub nomine, et invocatione S. Jacobi anno 1736. Ex hac vita migravit anno 1744.

Fr. Emmanuel Merchan, Hispanus, S. Theologiae Magister, et prior coenobii Hispalensis, vir fuit apostolico zelo atque doctrina illustris, qui cum opinione sanctitatis obdormivit in Domino anno 1805 aetatis suae 56.

Fr. Emmanuel Morillo, Mexicanus, S. Theologiae Magister, rector collegii S. Pauli Mexici, et qualificator S. Officii, reputatus fuit unus e praecipuis Americae theologis, qua existimatione haud indignum fuisse ex variis lucubrationibus, quas ineditas reliquit, dignosci potest. Florebat anno 1754.

Fr. Emmanuel de Pinillos, Hispanus, S. Theologiae Magister, rector collegii Complutensis, prior coenobii Toletani, ac postea Matritensis, anno 1761 praelo mandavit *librum*

Digitized by Google

lingua patria exaratum, quo S. P. Augustini statum monasticum defendit.

Fr. Emmanuel Salmon, Hispanus, post expulsionem militum Napoleonis I ex Hispania primus omnium gloriosissimi belli historiam sermone patrio confecit, typisque edidit 4 vol. in 8. contentam.

Fr. Emmanuel Vargas, Mexicanus, concionator et praeses provinciae SS. Nominis Jesu, anno 1753 typis edidit *spiritualia exercitia ad sublevandam passionem Domini nostri Jesu Christi sermone hispanico exarata.*

Fr. Eugenius Ceballos, Hispanus, S. Theologiae Magister, ob divinarum humanarumque litterarum peritiam saepius a nostrate Mendez, et aliis laudatus, sacrae eloquentiae famam Matriti reliquit. Typis edidit: 1. *Orationem funebrem nostratis doctissimi Henrici Florez.* 2. *Auxit atque in meliorem formam reduxit lexicum latino-hispanicum Antonii Nebrissensis.* 3. *Eleganter vertit in sermonem hispanicum libros confessionum S. P. Augustini, quae versio saepius typis commissa fuit.*

Fr. Eugenius Kaiser, Germanus, professor Theologiae moralis et polemicae in Licaeo Constantiensi, ubi etiam dogmaticam et linguas orientales cum hermeneutica utriusque Testamenti docuerat, anno 1791 electus fuit provincialis Austriae. Vivebat adhuc anno 1811. Praelo tradidit: 1. *Sacrificium Missae a Propheta Malachia praedictum.* 2. *Hermeneuticae sacrae canones praecipuos.*

Fr. Eusebius Franck, Germanus, S. Theologiae Bacc. qui ex hac vita migravit anno 1792 aetatis suae 80, claruit egregii concionatoris nomine. Per praelum publici juris fecit *varias orationes panegyricas lingua patria conscriptas,* nimirum *SS. Francisci de Paula, Peregrini, Ignatii de Lojola, Josephi a Cupertino, Kiliani, Bonifacii, Joannis Nepomuceni etc.*

Fr. Famianus Pacifici, Umber, S. Theologiae Magister,

Digitized by Google

Provincialis, et Assistens, reliquit eximii concionatoris famam. Obiit Romae anno 1844 aetatis suae 71.

Fr. Felicianus Hausler, Germanus, vir moribus ac bonis litteris commendabilis, philosophicas disciplinas docuit. Fato concessit Viennae anno 1789 aetatis suae 38. Typis evulgavit: 1. *Dissertationem duplicem de existentia Dei, et mundo.* 2. *Orationem in festo immaculatae Conceptionis B. M. V.*

Fr. Ferdinandus Josephus Hellaert, Antuerpiensis, propter justitiam exilium sub Josepho II, et sub Gallis deportationem et carcerem perpessus, deinde in Hollandia fervens missionarius, ac tandem Antuerpiae disertus concionator, ibidem in Domino obdormivit anno 1820 aetatis suae 64.

Fr. Ferdinandus Pignone del Carretto, Neapolitanus, e principibus Alexandriae, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam alumnus, vir morum innocentia, ac vitae sanctitate spectabilis, ex hac vita migravit anno 1793 aetatis suae 74.

Fr. Ferdinandus Staudinger, Germanus, haud obscuri nominis concionator, decessit anno 1784 aetatis suae 75. Impressit tres orationes lingua patria exaratas, unam scilicet de S. Elisabetha, alteram de S. Joanne de Deo, et tertiam cui titulus: *Mulier fortis Salomonica.*

Fr. Franciscus Kranz, Germanus, S. Theologiae Bacc. anno 1770 typis mandavit *tractatus sex de locis theologicis ad usum Augustinianae juventutis*, et anno 1773 *dissertationem theologicam de natura gratiae actualis, et ejusdem efficacia.*

Fr. Franciscus Belza, Navarrus, S. Theologiae Magister, atque Matritensis Dominae de Aragonia collegii rector, anno 1791 recognovit, atque correxit opus nostratis Faustini Cliquet cui titulus: *Flor de la Moral.* Scripsit etiam *dissertationem canonicam super Praelatorum regularium electione.*

Fr. Franciscus Breva, Hispanus, in Valentina Academia S. Theologiae doctor, calluit etiam linguas graecam, hebraicam et arabicam. Docuit in praefata Universitate Theolo-

Digitized by Google

giam moralem et dogmaticam atque disciplinam ecclesiasticam. Obiit Valentiae anno 1808 aetatis suae 56. Scripsit lingua patria, typisque mandavit: 1. *Orationes panegyricas S. Joannis a S. Facundo et D. Thomae Aquinatis.* 2. *Dialogos mortuorum, in quibus excitatur odium in vitia, atque amor erga virtutes.* 3. *Expositionem in sex prima capita Evangelii S. Matthaei.*

Fr. Franciscus de la Encina, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum, decessit anno 1759. Scripsit *grammaticam idiomatis Zebuani*, quam praelo tradidit anno 1835 P. Julianus Bennejo Philippinarum provincialis. Scripsit etiam *vocabularium ejusdem linguae.*

Fr. Franciscus Facundus de Acosta, Hispanus, alumnus ejusdem provinciae Philippinarum, vir fuit magnae industriae, qui anno 1762 tormenta bellica ad invadentes Anglos repellendos ex aere conflavit. Fato concessit anno 1765.

Fr. Franciscus Hurtado, Hispanus, S. Theologiae Magister, fuit prior coenobii Aquae Vivae, vic. provincialis Valentiae, examinator synodalis, regius librorum recensor, concionator, atque publicus annalium scriptor. Florebat anno 1829. Praelo tradidit *varias orationes funebres et panegyricas.*

Fr. Franciscus Mayor, Hispanus, S. Theologiae Magister, vir fuit multiplicis eruditionis, magni studii, atque tenacissimae memoriae. Dicitur a Justo Pastore Fuster vir universalis eruditionis, quippe qui egregie callebat theologiam, sacros canones, disciplinam ecclesiasticam, historiam sacram et profanam, geographiam, commercium, agriculturam, politicam etc. Fuit prior, et vic. provincialis Valentiae. Ad hujus vitae terminum pervenit anno 1818 aetatis suae 74. Scripsit: 1. *Dissertationem de perspicuitate operum S. P. Augustini.* 2. *Dissert. de legitimitate causarum pro saecularizatione regularium.* 3. *De jure canonico, et alia.*

Fr. Franciscus Ongaroni, Papiensis, S. Theologiae Ma-

Digitized by Google

gister, anno 1778 typis evulgavit tres dissertationes latinas, nempe *de moribus et religione Constantini Magni*, *de religione et gestis Juliani Apostatae*, *deque templi hierosolymitani instauratione ab eodem Juliano attentata, et divinitus impedita.*

Fr. Franciscus Villacorta, Hispanus, alumnus Vallisoletani missionum collegii, vir fuit doctrina, atque religiosae observantiae studio illustris. Cum ad Philippinas navigasset, per aliquot annos ibidem parochi munus exercuit, fuitque Manilensis coenobii prior. Electus illius provinciae apud regiam Matritensem Aulam procurator, per 25 annos magno cum provinciae emolumento hunc locum tenuit. Ad Archiepiscopatum Manilensem a Ferdinandó VII designatus, hanc dignitatem recusavit. Vallisoleti tandem septuagenarius obiit anno 1844 cum jam antea Assistentis generalis titulo decoratus fuisset. Typis edidit hispanice: 1. Librum cui titulus: *Administratio spiritualis PP. Augustinensium calceatorum provinciae Philippinarum.* 2. *Principia gubernii monarchici.* 3. *Directorium spirituale pro religiosis ad vitam perfectam aspirantibus.*

Fr. Fructuosus Fehrer, Germanus, S. Theologiae Doctor Erfurtensis, atque in eadem academia ejusdem facultatis professor, decessit anno 1817 aetatis suae 64. Typis evulgavit *disquisitionem theologico-criticam utrum S. Cyprianus Carthaginensis Episcopus sit auctor doctrinae de unica Christi religione atque ecclesia salvifica.*

Fr. Fructuosus Huetter, Vindobonensis, S. Theologiae Doctor Bononiensis, atque apud Ordinem Magister, laudatur ab Ossinger eximii concionatoris nomine. Fuit variorum coenobiorum prior, et provincialis. Florebat circa annum 1770. Reliquit duas orationes typis editas unam scilicet latinam sub titulo: *D. Leopoldus pater patriae*, quam in Universitate Viennensi recitavit, et alteram germanicam de B. Maria Virgine.

Fr. Gaspar Scheurer, Vindobonensis, S. Theologiae Doctor, claruit doctrina atque pietate. Fuit provincialis, assis-

Digitized by Google

tens utriusque Germaniae, atque in Universitate Viennensi primus promovendorum ad theologicum doctoratum examinator, necnon theologicae facultatis decanus. Cultum erga B. Virginem de Bono Consilio strenue promovit. Piissimam animam Domino reddidit anno 1759 aetatis suae 56. Typis edidit *orationem de Pentecoste habitam in Viennensi Universitate,* atque reliquit *varias dissertationes manuscriptas.*

Fr. Gaspar Gobiert, Belga, alumnus coenobii Bruxellensis, sacerdos invictus, ac religiosus nomine et re, tempore perturbationis gallicae ab iniquis judicibus in odium religionis, et propter immotam fidem mortis damnatus, in publico foro capite obtruncatus martyr occubuit anno 1793 aetatis suae 59 una cum nostrate P. Anastasio Lemercier praefati coenobii subpriore, qui ob eamdem causam ad idem supplicium raptus fuit annos natus 58.

Fr. Gaudiosus Jageman, studiorum Regens, et aulicus Magni Ducis Hetruriae confessarius, traduxit in italicum sermonem, typisque edidit Florentiae anno 1770 *Introductionem ad notitiam physicam et politicam Europae* Antonii Friderici Busching. Postea a nostro Ordine egressus traduxit etiam *magnum opus geographicum ejusdem auctoris.*

Fr. Godefridus Woller, Vindobonensis, qui dicitur ab Ossinger vir moribus candidus, et ingenio acutus, haud obscuri concionatoris nomine floruit. Debitum naturae persolvit anno 1767 aetatis suae 56, cum variorum coenobiorum prioratum gessisset. Reliquit *orationem latinam de Spiritu Sancto, quam in Viennensi Universitate recitavit, et alteram germanicam de S. Joanne Nepomuceno, utramqne typis editam*

Fr. Gregorius Rosler, Germanus, dicitur ab Ossinger optimus religiosus, et musicae peritissimus, ut ejus opera testantur. Fuit etiam egregius concionator. Florebat anno 1766. Praelo tradidit. 1. *Melodramma ecclesiasticum in* 15 *scenas divisum, idest quindecim Offertoria festis Domini, et com-*

Digitized by Google

muni Sanctorum accommodata, etc. 2. *Oves octo harmonicas in ovile fraternum receptas, seu octo symphonias a* 2 *violinis et organo stylo moderno et facili elaboratas.* 3. *Vineas florentes, seu* 6 *litanias lauretanas etc.* 4. *Sex Missas, quarum ultima est de Requiem.* Vide praefatum Ossinger.

Guilelmus Angerer, Vindobonensis, fuit vir solidae virtutis, clarus ingenio, atque eloquentissimus concionator. Praefuit novitiis aliquot annos, a quibus hoc solatium habuit, quod omnes Ordini valde utiles evaserunt, quos inter eminet celeberrimus Sixtus Schier. Calluit etiam mathesim, fuitque laboris manualis amans; quare novam methodum invenit tapetes raro artificio componendi, pluraque solaria horologia confecit. Florebat anno 1768. Praelo tradidit *varios sermones lingua patria conscriptos.*

Fr. Hieronymus Augustinus Zazzeri, Aretinus, quem noster Berti appellat librorum helluonem, jure laudatur tamquam vir multa eruditione, atque vitae integritate spectabilis. Fuit Ordinis secretarius, assistens Italiae, professor S. Scripturae in romano Sapientiae archigymnasio, necnon consultor SS. Rituum. Obiit Neapoli anno 1750. Nominatur a Bollandistis sub die 26 Julii pag. 347. Reliquit typis editam vitam nostratis Card. Henrici Noris.

Fr. Hieronymus Maria Buzi, Picenus, S. Theologiae Magister, atque in Auximano Seminario ejusdem facultatis professor, anno 1767 typis evulgavit *Compendium Theologiae nostratis Jo. Laurentii Berti, et* 1773 *Supplementum de locis theologicis, lib.* 10.

Fr. Jacobus Ricca, Ligur de Civetia, S. Theologiae Magister, assistens Italiae, procurator generalis, in romana Sapientia S. Scripturae professor, examinator cleri romani, atque consultor SS. Rituum, vir fuit multiplici eruditione clarus, atque linguae hebraicae scientissimus; quapropter post ipsius obitum pluries ab immortali Pontifice Pio IX coram nostratibus fuit honorificis verbis commendatus. Obiit

Digitized by Google

in patria anno 1861 aetatis suae 65. Reliquit *eruditam dissertationem italicam super lib.* 1. *Fr. Xaverii Patritii Jesuitae de interpretatione Scripturarum typis editam.*

Fr. Ignatius Rossini, de Monte Sancto in Piceno, vir magnae pietatis, multaeque simplicitatis, qui multos annos Tolentini novitiorum magistrum, et postea Recineti priorem egit, obiit cum fama sanctitatis in hoc postremo coenobio anno 1859 aetatis suae 75.

Fr. Joachimus Martinez, Hispanus, provincialis insularum Philippinarum, scripsit lingua patria *historiam praedictarum insularum typis editam Manilae anno* 1803 *magno cum omnium plausu.* Confecit etiam *censum earumdem insularum, atque descriptionem aliquarum ex ipsis, necnon novendium B. Mariae Virginis idiomate tagalo exarátum.* Fato concessit anno 1818.

Fr. Joachimus Sardo, Mexicanus, concionator, et prior conventus de Chalma, anno 1810 lingua hispanica scripsit, typisque edidit *historiam Crucifixi de Chalma una cum vitis nostratum VV. Bartholomaei de Jesu Maria, et Joannis de S. Josepho.*

Fr. Joannes Ananias Faetti, Picenus, S. Theologiae Magister, concionator, atque in Cingulano Seminario utriusque Theologiae professor, anno 1848 typis edidit opusculum sub titulo: *Recita dei salmi da farsi a seconda delle varie circostanze della umana vita con una breve esposizione.*

Fr. Joannes Baptista Cortivo, Germanus, S. Theologiae doctor, vir fuit acerrimi ingenii, atque theologus admodum disertus. Graecii bis fuit decanus Universitatis, ac postea Viennae publicus professor Theologiae moralis. Fato concessit Viennae anno 1787 aetatis suae 80. Praelo tradidit: 1. *Dissertationem de divinis nominibus, quorum disputantibus de Trinitate frequens est usus.* 2. *Dissertationem de prodigio stationis solis et lunae imperante Josue.* 3. *Aliam dissertatio-*

Digitized by Google

nem theologicam juxta Augustini sententiam de dotibus et praerogativis status innocentiae.

Fr. Joannes Baptista Theodosius Bernenc, Gallus, S. Theologiae Magister, atque Galliarum Assistens, anno 1755 typis evulgavit *Systema Augustinianum de divina gratia* excerptum ex operibus nostratum Fulgentii Bellelli, et Jo. Laurentii Berti.

Fr. Joannes Baptista Nouvaillac, Gaditanus, Hispalensis doctor utriusque juris, professor religionis et moralis in illa Universitate, examinator synodalis variarum dioecesum, judex tribunalis apostolici regiae gratiae, etc. vir fuit profundae doctrinae, atque celebris concionator. Decessit anno 1856 aetatis suae 53. Typis evulgavit *varios sermones, atque librum de religione et morali.*

Fr. Joannes Caliendo, de Scisciano in dioecesi Nolae, S. Theologiae Magister, atque ex Assistens, fuit religiosus, cujus vita caeteris exemplo erat atque documento. Medicorum consilio in patriam profectus, ibidem anno 1850 ita pie obiit ut conterranei tunicam ejus frustatim pietatis causa sibi caeciderint, eumque turmatim ad sepulcrum comitati fuerint. Habebat annos 48.

Fr. Joannes Carbia, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum, praelo tradidit *librum meditationum idiomate pampango compositum.* Ex hac vita migravit anno 1785.

Fr. Joannes de Azevedo, Lusitanus, claruit potissimum scientia Theologiae moralis. Obiit anno 1756 aetatis suae 81. Typis edidit: 1. *Tribunal theologicum et juridicum contra subdolos confessarios in Sacramento poenitentiae ad venerem sollicitantes securioribus auctorum tum veterum tum recentiorum declarationibus undequaque exornatum etc.* 2. *Tribunal errorum cognitorum in 24 partes distributum.*

Fr. Joannes de Deo Cavezudo, Peruanus, S. Theologiae Magister, Assistens, et Vic. generalis in America, et postea

Digitized by Google

Assistens in Hispania, vir fuit magnae poenitentiae, atque famosus concionator. Designatus fuerat ad Episcopatum de Guayana. Fato concessit anno 1852, aetatis suae 77.

Fr. Joannes Diaz, Hispanus, S. Theologiae Lector, anno 1780 patria lingua scripsit, typisque edidit *librum de educatione juventutis religiosae.*

Fr. Joannes de Nieva, Hispanus, vir multa doctrina, ac spectata virtute ornatus, fuit prior variorum conventuum, examinator synodalis aliquot dioecesum, provincialis, atque famosus concionator. Decessit anno 1826.

Fr. Joannes Facundus Raulin, Caesaraugustanus, Hispaniarum Assistens, Romae anno 1845 typis evulgavit *historiam latinam Ecclesiae Malabaricae cum Diamperitana Synodo apud Indos Nestorianos coacta a nostrate Alexio de Menezez anno* 1599, *et cum liturgia Malabarica.*

V. Joannes Fossa, Neapolitanus, Ordinis nostri tertiarius, cujus causa beatificationis agitur, claruit potissimum caritate erga proximos in nosocomiis aegrotantes, atque in carceribus detentos. Obiit Neapoli cum fama sanctitatis anno 1828, aetatis suae 61, cum caelibem vitam perpetuo duxisset, ejusque corpus augustiniana tunica indutum in majori S. P. Augustini ecclesia sepultum fuit.

Fr. Joannes Hidalgo, Hispanus, nobili familia ortus, S. Theologiae Magister, doctor atque professor Universitatis Hispalensis, ex hac vita migravit anno 1768. Praelo tradidit *opus philosophicum.*

Fr. Joannes Laurentius Papalardi, Neapolitanus, S. Theologiae Magister, atque in Verulano Seminario ejusdem facultatis professor, florebat anno 1767. Typis edidit: 1. Opusculum cui titulus: *Refutatio hypotheseon Pelagianorum, Semipelagianorum, Arminianorum, et Anabaptistarum.* 2. Alterum cui titulus: *Fanaticorum, et pseudomysticorum hypotheseos refutatio.* 3. Aliud sub titulo: *Expositio et summaria refutatio hypotheseos atheorum.* 4. *Apologeticam concertatio-*

Digitized by Google

nem de doctrina morum quatuor SS. Ecclesiae PP. Ambrosii, Augustini, Joannis Chrysostomi, et Gregorii Magni.

Fr. Joannes Magellanes, Mexicanus, S. Theologiae Lector in collegio S. Pauli Mexici, atque doctor theologus illius Universitatis, reliquit inedita carmina latina, atque hispanica, typisque edidit: 1. *Historiam apparitionis SS. Crucifixi de Chalma.* 2. *Preces ad eamdem sacram effigiem.* 3. *Item preces ad S. Guilelmum Ducem Aquitaniae, imp. anno* 1731.

Fr. Joannes Olalla, Hispanus, provincialis insularum Philippinarum, reliquit *diversos sermones lingua ilocana exaratos, in quibus doctrinam christianam exposuit.* Horum sermonum quidam impressi fuerunt Matriti anno 1847. Obiit Manilae anno 1786.

Fr. Joannes Serrano, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum anno 1824 variis meditationibus auxit librum exercitiorum a nostrate Petro Herrera lingua tagala antea editum, additis etiam meditationibus et soliloquiis S. P. Augustini in sermonem tagalum translatis.

Fr. Joannes Thomas Rinaldi, a Burgo S. Sepulcri in Hetruria, S. Theologiae Magister, quem noster clarissimus Berti in Breviario historico appellat librorum helluonem, florebat anno 1755. Reliquit imp. 1. *Theses historico-dogmaticas de Romanis Pontificibus saeculi secundi.* 2. *Item theses historico-dogmaticas de liturgia graecorum, et orientalium.*

Fr. Joannes Vander Vinckel, Belga, natus prope Gandavum anno 1738, S. Theologiae Magister, atque variis in locis, et praesertim Lovanii S. Scripturae atque Theologiae professor, provincialis, et nostrarum illius regionis missionum apostolicus praefectus, claruit potissimum multa pietate usque ad suae vitae terminum, qui fuit anno aetatis suae 74.

Fr. Joannes Viniegra, de Angelopoli in Mexico, insignis concionator, anno 1745 lingua hispanica scripsit, praeloque mandavit *Cor magni Patris et Doctoris Ecclesiae S. Augustini.*

Digitized by Google

Fr. Joannes de Zafra, Hispalensis, fuit prior variorum conventuum, praefectus bibliothecae publicae S. Acacii, examinator synodalis aliquot dioecesum, vir magnae poenitentiae, et famosus concionator propter eximias ipsius virtutes omnibus valde acceptus. Fato concessit in patria anno 1852, aetatis suae 83.

Fr. Josephus Aloysius Vargas, nobilis Castellanus, cum esset exercitus dux Augustinianum habitum induit in nostro coenobio S. Mariae de Regula, ibique multos annos in poenitentiae operibus vixit. Ad meliorem vitam transivit Hispali anno 1834.

Fr. Josephus Avena, Siculus, S. Theologiae Magister, vir sanctitate vitae clarus ex hoc mundo transiit anno 1760.

Fr. Josephus Azzoni, Senensis, postquam apud suos jam Regentis, atque Provincialis munere perfunctus fuisset, anno 1759 ad noviter erectam cathedram theologicam Vindobonensis Universitatis vocatur. Ibidem mansit usque ad annum 1763, quo Senas historiam ecclesiasticam professurus rediit. Dicitur fuisse verae pietatis ex corde sectator. Illo emendante et corrigente e typis iterum prodierunt anno 1761: *Principia juris publici ecclesiastici catholicorum ad statum Germaniae accommodata in usum tyronum Vindobonae.*

Fr. Josephus Belderrain, Mexicanus, praefectus provinciae SS. Nominis Jesu, anno 1810 typis edidit *exhortationem ad superiores et fratres Mexicanos Ord. S. P. Augustini.*

Fr. Josephus Callistus de Orihuela, Peruanus, S. Theologiae Doctor, ex opulenta familia ortus, celebris fuit concionator, theologus, et sacrorum canonum peritus, necnon Episcopus Calamensis (1819) et postea de Cuzco in Peruvia. Hanc episcopalem cathedram, ad quam 1821 translatus fuerat, paucos post annos abdicavit, ut in Limano coenobio humiliorem utique, sed tutiorem vitam duceret. Ob singularem pietatem, ac spectatissimam morum innocentiam ab omnibus pro viro sancto habebatur.

Digitized by Google

Fr. Josephus Chiozza, Ligur-Lodanensis, S. Theologiae Magister, anno 1770 Florentiae praelo tradidit *apologeticon suae dissertationis theologicae de arcano Dei praedestinationis mysterio.*

Fr. Josephus Dini, de Carferoniana, S. Theologiae Magister, atque Ordinis Assistens, vir non minus theologicis, quam canonicis disciplinis eruditus, non solum doctrina, verum etiam pietate, prudentia, consilio, rerum agendarum dexteritate, atque Augustiniani Ordinis amore excelluit. Testis est Hetruriae provincia, quam duabus vicibus administravit, atque potissimum Pisanum coenobium, quod jamdiu rude et fatiscens, iterum a fundamentis erexit, atque illustravit, ejusque bona, quae prius exigui assis erant, ampliavit, atque in meliorem formam redegit. Magno Leopoldo acceptissimus fuit, ejusque apud illum auctoritas plurimum Eremitanae Familiae profuit. Debitum naturae persolvit Pisis anno 1794, aetatis suae 80.

Fr. Josephus Gomez, Hispanus, S. Theologiae Magister, vir fuit insignis probitatis, atque singularis simplicitatis, qui spectabilem se reddidit ob exactissimam praeceptorum Ordinis observantiam. Illibatum virginitatis lilium perpetuo servasse creditur. Fuit variorum coenobiorum Prior, liberalis in pauperes, atque adeo humilis ut non semel episcopalem mitram recusarit. Decessit cum sanctitatis fama anno 1809.

Fr. Josephus Gonzalez, Hispanus, cum tunicam Manilae in Philippinis induisset, postea in Hispaniam remeavit, ibique anno 1743 fundamenta jecit nostri Vallisoletani collegii pro missionibus Philippinarum sub invocatione SS. Nominis Jesu, quod deinde laudabiliter, ac sancte rexit usque ad obitum, qui contigit anno 1762.

Fr. Josephus Gotz, Hamburgensis, S. Theologiae Doctor Erfurtensis, et Provincialis, mortalem tunicam exuit Wir-

Digitized by Google

ceburgi anno 1790, aetatis suae 70. Typis edidit opus sub titulo: *Augustiniana de rerum creatione sententia.*

Fr. Josephus Goveda et Agreda, Hispalensis, S. Theologiae Magister, et Doctor Hispalensis, fuit examinator synodalis aliquot dioecesum, socius variarum academiarum, Prior patrii coenobii, et Provincialis. Typis evulgavit lingua patria: 1. Duo volumina in 4. sub titulo: *Effata politica.* 2. Alterum cui titulus: *Philosophia moralis et Augustiniana.* 3. *Varias orationes funebres.* Supremum diem explevit in patria anno 1847.

Fr. Josephus Herice, Hispanus, insignis fuit Philippinarum missionarius, ubi per duodeviginti annos ad fidem multos Indos convertit. Pie sancteque obiit anno 1742.

Fr. Josephus Llorente, Hispanus, Matriti degens cum fureret in res sacras impiorum audacia, verbum divinum ad bonorum solatium annuntiare numquam destitit. Ex hac vita migravit senex anno 1853. Reliquit *conciones, atque orationes panegyricas typis editas.*

Fr. Josephus Maugis, Belga, in Lovaniensi Universitate S. Theologiae professor, anno 1754 typis edidit: 1. *Dissertationem theologicam, in qua examinatur utrum attritio mere servilis certo sufficiat in Sacramento poenitentiae.* 2. *Dissertationem de relatione operum in Deum.* 3. *Vindicias ejusdem dissertationis.* 4. *Theses theologicas.*

Fr. Josephus Melià, Hispanus, S. Theologiae Doctor, vir fuit magnae eruditionis, qui ex hac vita migravit anno 1805, aetatis suae 70. Praelo tradidit *quaedam pia opuscula de Patriarcha S. Josepho.*

Fr. Josephus Mollà, et Villanova, Hispanus, S. Theologiae Magister, insignis theologus et concionator, tanti meriti extitit, ut ad mitram Gerundae designatus fuerit. Ad plures abiit anno 1796, aetatis suae 68. Typis mandavit *varios sermones hispanicos, nempe in canonizatione S. Josephi*

Digitized by Google

Calasanctii, de sepultura D. N. Jesu Christi, et orationem funebrem nostratis revm̃i Raphaelis Lasala.

Fr. Josephus Ranghiasci, Eugubinus, antequam cucullum exuisset, Tuderti anno 1845 typis evulgavit *historiam civitatis Nepesinae cum brevi notitia aliarum urbium antiquarum.*

Fr. Josephus Spitteri, Melitensis, insignis musicae magister atque compositor, adhuc vitam degit in Vallettae coenobio. Composuit quaedam ad musicam pertinentia.

Fr. Laurentius Marin, Navarrus, Matriti anno 1805, et 1806 impressit *Institutiones theologiae pastoralis lingua patria conscriptas, vol. 2. in 4.*

Fr. Laurentius Semeria, Ligur, S. Theologiae Magister, et jam rethoricae professor in Fulginate Seminario, qui adhuc vitam degit, publici juris fecit duas elegantes orationes sub titulo: *I trapassati.*

Fr. Leopoldus Christl, Vindobonensis, atque in eadem urbe concionator, ad hujus vitae terminum pervenit anno 1777, aetatis suae 50. Praelo tradidit *varias orationes panegyricas, unam nempe in laudem B. M. Virginis de Bono Consilio, alteram S. Barbarae virginis et martyris, et alias.*

Fr. Leopoldus Rachenfels, Vindobonensis, dicitur ab Ossinger artium liberalium magister, et facundus orator. Pie obiit anno 1759. Impressit duas orationes panegyricas lingua patria conscriptas, unam nempe S. Peregrini, et alteram S. Francisci Xaverii.

Fr. Lucas Centeno, Mexicanus, S. Theologiae Magister, tribus vicibus Provincialis Mechoacanensis, atque notarius apostolicus, anno 1761 cum Romae degeret typis edidit *cum variis additamentis vitam nostratis V. Didaci de Besalanque lingua hispanica scriptam a nostrate Petro Salguero.*

Fr. Ludovicus Stagnitta Pagano, Siculus, S. Theologiae Lector, atque academiae Castriregalis socius, anno 1855

Digitized by Google

Catanae typis tradidit libellum italicum, in quo habentur *varii sermones, et orationes panegyricae.*

Fr. Marcellinus Diez de Anton, Burgensis, S. Theologiae Magister, atque in patrio coenobio Prior, vir fuit varia eruditione, ac praesertim theologica clarus. Floruit usque ad annum 1841. Impressit: 1. *Pias meditationes pro hebdomada sancta.* 2. *Epistolam de Romani Pontificis primatu honoris et jurisdictionis.* 3. *Novendiales preces coram Brugensi SS. Crucifixi imagine recitandas cum historia ejusdem imaginis.*

Fr. Martinus Crane, Hibernus, Prior Dublinensis, anno 1858 typis evulgavit *librum anonymum lingua anglica scriptum de rebus Augustinianis in Hibernia a primis temporibus usque ad praesens una cum notitia Episcoporum, Provincialium, ac Priorum ejusdem Ordinis.*

Fr. Mathias Escobar, Mexicanus, variorum coenobiorum prior, examinator synodalis, ac definitor provinciae Mechoacanensis, qui florebat anno 1746, typis edidit *varios sermones lingua patria exaratos.*

Fr. Maximus Imhof, Bavarus, fuit publicus physicae et mathesis professor in schola Monacensi, ejusdem urbis litterarum academiae, atque collegii pro libris judicandis socius, pinacothecae physicae director et custos, Augustiniani coenobii Prior, ac demum Ludovico Electoris filio, qui postea Bavariae rex factus est, physicae atque chemiae magister. Conventu extincto canonicorum collegio B. Mariae Virginis aedis Monacensis adscriptus fuit, atque ordine coronae meritorum a rege Maximiliano decoratus. Vivis defuit anno 1817, aetatis suae 60. Praelo tradidit: 1. *Positiones ex logica, metaphysica, et mathesi.* 2. *Theoreticem electricitatis.* 3. *Principia prima veritatis religionis christianae, una cum fontibus, seu criteriis theologiae revelatae.* 4. *Epitomem institutionum physicae et matheseos applicatae.* 5. *Institutiones physicas.* 6. *De emendatione physici climatis in Bavaria.* 7. *Specimen praelectionum physicae experimen-*

Digitized by Google

talis. 8. *Quid assecuta sit scientia naturae ex operationibus quorumdam physicorum et medicorum quinquaginta abhinc annis.* 9. *Orationem de magna temporis necessitate minuendi studiosorum numerum in Bavaria, etc.*

Fr. Melchior Mayer, Germanus, qui anno 1818 paroeciam Brachenzellanam in Wurtembergica ditione regebat, typis lingua patria evulgavit: 1. *De Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae sex conciones instar catechesis.* 2. *Librum Tobiae, sive imaginem vitae sanctae.* 3. *Libellum pro scholarum magistris, ac praesertim pro illis, qui cupiunt e cathedra docere.* 4. *Homilias in Evangelia Dominicarum, festorum Domini, et Sanctorum.*

P. Fr. Michael Cursel, Tridentinus, vir fuit totus pietatis operibus addictus. Ad sanctae conversationis terminum septuagenarius Pisis pervenit anno 1852.

Fr. Michael Huerta, Hispanus, S. Theologiae Magister, celebris concionator regius, et Vic. generalis Hispanorum usque ad annum 1826, qui nuper decessit valde senex, praelo tradidit *varios sermones lingua patria exaratos.*

Fr. Nebridius Zyra, Svevus, S. Theologiae Doctor Erfurtensis, atque variorum coenobiorum Prior, et bis Provincialis, decessit anno 1786, aetatis suae 75. Typis edidit: *De consensu negativo positivam voluntatis determinationem antecedente.*

Fr. Nicolaus Ciottoni, Tolentinas, S. Theologiae Magister, et insignis concionator, qui Picenam Provinciam duabus vicibus rexit, anno 1856 Pisauri praelo mandavit *orationem funebrem in laudem nostratis P. Mag. Josephi Palermo Episcopi Porphyriensis.*

Fr. Nicolaus Faralli, Hetruscus, prior coenobii S. Spiritus Florentiae, ac magister novitiorum, claruit insigni pietate, atque religiosae perfectionis exemplo. Octogenarius obiit Florentiae hisce nunc diebus cum opinione sanctitatis.

Fr. Nicolaus Lara, Jucutanensis, S. Theologiae Lector,

Digitized by Google

atque juris canonici licentiatus, innotuit maxime apud litteratos ob multas defensiones juridicas. Decessit anno 1808. Typis evulgavit: 1. *Preces ad S. P. Augustinum.* 2. *Item preces ad Sanguinem Domini.* 3. *Orationem panegyricam S. Joannis Evangelistae.*

Fr. Nicolaus Maria Coppa, Neapolitanus, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam alumnus, humilitatis ac patientiae fuit insigne exemplar. Varia coenobia in quibus prioratum gessit, instauravit, et auxit, atque ad praefatae Congregationis regimen bis evectus, regularem disciplinam juxta apostolicam vivendi formam confirmare, atque augere maximopere studuit. In Domino obdormivit Neapoli in coenobio S. Mariae Spei anno 1804, aetatis suae 72.

Fr. Nicolaus Maria Troisius, de Solofra in Regno Neapolitano, qui a nostrate Berti dicitur vir magno ingenio praeditus, fuit S. Theologiae Magister, et Assistens. Praelo tradidit anno 1752 egregium librum sub titulo: *Sacre novene per l'immacolata Concezione di Maria, e per S. Giuseppe ecc. Contiene la prima nove diffusi ragionamenti rilevati dalle nove espressioni della Salutazione Angelica, moralità ecc. L'altra più succinta per uso dei divoti di Maria immacolata da farsi nelle Chiese.* Item edidit anno 1742 *orationem funebrem latinam nostratis Fulgentii Bellelli* et 1735 *theses historico-dogmaticas de iis quae eventura sunt in novissimis diebus.*

Fr. Nicolaus Paschalis Roig, Hispanus, excellens organorum pulsator, anno 1778 typis evulgavit *explicationem theoretices et praxis cantus firmi et figurati.* Decessit anno 1787.

Fr. Patritius Eugenius Moriarty, Hibernus, S. Theologiae Magister, jam Assistens, ac Commissarius generalis in Statibus Unitis Americae, famosus orator, ac strenuus adversus protestantes Religionis Catholicae propugnator, qui varias terrae plagas egregie concionando peragravit, nunc Philadelphiae in Pensilvania vitam degit.

Fr. Paulus Emes, Germanus, S. Theologiae Doctor Er-

Digitized by Google

furtensis, ac Magister Ordinis, qui duabus vicibus Rheno-Svevicam provinciam rexit, extremum diem obiit Munnerstadii anno 1814, aetatis suae 71. Per praelum in lucem emisit. 1. *Dissertationem de argumento Religionis ab antiquitate desumpto.* 2. *Orationem funebrem Leopoldi II Imperatoris.*

Fr. Paulus Fornaciari, Lucensis, S. Theologiae Magister, et Commissarius generalis, qui varia coenobia in Umbriae provincia post suppressionem restituit, fuit celebris concionator. A Ducissa Maria Aloysia Borbonia in consilium assumptus religiosorum causam praesertim in praediorum restitutione multum adjuvit. Septuagenarius obiit Lucae in recessu montium Brancoli anno 1827.

Fr. Petrus Angelus Damiani, Umber, typis evulgavit anno 1760 *sermonem historicum de primaeva Ordinis nostri propagatione, et alterum de ejusdem Ordinis statu primitivo, deque Augustinianis illustribus provinciae Umbriae.* Impressit etiam anno 1772 *orationem panegyricam S. Josephi de Cupertino.*

Fr. Petrus Iosephus Gallarreta, Hispanus, in Matritensi collegio S. Theologiae Regens, anno 1779 ex gallico in hispanicum sermonem vertit: *Institutionem christianam adjectis adnotationibus illustratam, vol.* 3. *in* 8.

Fr. Petrus Koprziva, Germanus, qui morabatur in abbatiali Brunae coenobio in Moravia, anno 1777 praelo mandavit *dissertationem de libertinismo societati et statui noxio.*

Fr. Petrus Martyr Puig, Hispanus, magister novitiorum Barcinone, et examinator synodalis Orgelii, anno 1769 Barcinone impressit *vitam V. Clarinae viduae Joannis Riera tertiariae Augustinianae.*

Fr. Philippus Balzofiore, de insula Aenaria, S. Theologiae Magister, poeta, atque orator, juris canonici haud ignarus, et variarum academiarum socius, anno 1860 typis edidit elegantem librum cui titulus *Studj giovanili ecc.* in

Digitized by Google

quo habentur quaedam oratoria et poetica ab eruditis commendata, et anno 1861 egregium opus poeticum in lucem emisit sub titulo: *La Madonna.* Impressit etiam *orationem panegyricam S. Camilli de Lellis, aliam in canonizatione vigintiseptem SS. Martyrum, elogium funebre P. Antonii Bresciani Jesuitae, hymnos ad Pium IX, sermonem de fidei propagatione, et alia.*

Fr. Philippus Benincasa, alumnus Congregationis S. Joannis ad Carbonariam, anno 1768 Neapoli typis edidit *vitam S. Nicolai de Tolentino lingua italica descriptam*, et 1778 *vitam nostratis V. Joannis Nicolai Chiesa.*

Fr. Philippus Giorgi, de Apiro in Piceno, S. Theologiae Bacc. atque Vicarius S. Officii Tolentini, typis evulgavit anno 1856 *vitam S. Nicolai de Tolentino tribus vol. in* 8. *contentam.*

Fr. Pius Keller, Bavarus, Commissarius generalis, atque in nostro Munnerstadiano gymnasio professor, anno 1860 Herbipoli typis edidit latinum libellum sub titulo: *Monumentum pietatis*, in quo agit de aliquibus illius provinciae nostratibus illustribus.

Fr. Prosper Dallinger, Germanus, claruit potissimum historiae naturalis scientia. Oppresso Ordine, verba sunt Pii Keller, sacrorum cura sive parochia, quae erat Schoentali dioeceseos Ratisbonensis, deinde Haagae dioeceseos Monacensis, ad eum delata est, ubi 1826 hac vita cessit. Habebat annos 63. Fuit multarum academiarum socius, ejusque scripta sermone patrio typis edita haec sunt: 1. *Historia completa searabei.* 2. *Oda Bojarii adolescentis ad Maximilianum Josephum IV cum acciperet regnum.* 3. *Sermo de fragilitate vitae humanae.* 4. *Tres orationes in variis occasionibus habitae.* 5. *De cultura et usu urticae.* 6. *De cultura carthami tinctorii, et resedae luteolae.* 7. *De cultura et usu helianthi annui, et alia.*

Fr. Prosper Marini anno 1753 Mediolani typis edidit

Digitized by Google

theologicam criticam disceptationem de sacris utriusque testamenti codicibus.

Fr. Raphael Lasala, Hispanus, S. Theologiae Doctor, ob sua praeclara merita prius electus fuit (1768) Episcopus Adrimetensis, et Suff. Valentiae, ac postea Episcopus Solsonensis. Ad meliorem vitam transivit anno 1792, aetatis suae 76. In lucem emisit. 1. *Orationes panegyricas S. Ludovici Galliarum Regis, ac S. Josephi Calasanctii.* 2. *Catechismum majorem doctrinae christianae.* 3. *Catechismum minorem.*

Fr. Salvator Scerri, Melitensis, S. Theologiae Magister, jam Melitae provincialis, et nunc in Mathilicensi Seminario Theologiae dogmaticae et moralis professor, anno 1858 Mathilicae praelo mandavit opusculum versibus latinis digestum cui titulus: *Epos Marianum in Immaculatam Conceptionem etc.*

Fr. Sigismundus a Cruce, Germanus, fuit egregius concionator, cujus extant in Bibliotheca Angelica 19 *conciones de Passione Domini lingua germanica editae anno* 1787.

Fr. Simplicianus Umbhanus, Germanus, S. Theologiae Bacc. anno 1770 typis evulgavit librum latinum cui titulus: *Spiritus Augustini contra spiritus fortes.* Est dialogus inter Augustinum et Licentium.

Fr. Terentius Pantucci, Picenus, S. Theologiae Lector, atque in Melitensi Seminario physicae et matheseos professor, anno 1862 in eadem insula typis edidit libellum sub titulo: *Sulle questioni correnti ecc.*

Fr. Theophilus Frahamber, Bavarus, S. Theologiae Magister, qui dicitur ab Ossinger vir singulari magnitudine ingenii, morumque integritate praeditus, anno 1755 et 1764 Bavariae provinciam regebat. Typis evulgavit: 1. Tractatum cui titulus: *Sensus genuinus axiomatum philosophicorum in scholis frequentius usitatorum.* 2. *Orationem panegyricam S. Catharinae Alexandrinae.* 3. Ex italico in latinum sermo-

Digitized by Google

nem transtulit *Stimulos Mabillonii ad excitandos religiosos ad studia*, quos ex gallico in italicum verterat noster Hieronymus Ceppi.

Fr. Theophilus Huebpaver, Bavarus, S. Theologiae Magister, fuit prior Monacensis, in eadem urbe publicus juris canonici et historiae ecclesiasticae professor, atque provincialis. Decessit anno 1825, aetatis suae 76. Impressit: 1. *Asserta theologica.* 2. *Prospectum juris ecclesiastici universi publici et privati.*

Fr. Theophilus Schinl, Vindobonensis, dicitur ab Ossinger fervidus verbi Dei disseminator. Vixit usque ad annum 1761, aetatis suae 56. Praelo tradidit *varios sermones lingua patria conscriptos*, *nimirum de immaculata B. M. V. Conceptione, de SS. Georgio, Francisco Xaverio, Sebastiano, deque septem Fundatoribus Ordinis Servorum B. M. V. et alios.*

Fr. Thomas Candeal, Hispanus, S. Theologiae Magister, vir fuit in Theologia morali apprime versatus. Laudatur a Justo Pastore Fuster tamquam religiosae vitae exemplar. Ad meliorem vitam transivit anno 1782. Scripsit lingua patria *vitam S. Monicae.*

Fr. Thomas Germi, in Liguria prope Sarezanam ortus, merito a doctrina, sed magis a pietate laudatur. Fuit S. Theologiae Magister, variorum coenobiorum prior, praeceptor novitiorum, et provincialis, insuper in Amerino Seminario Theologiae dogmaticae et moralis professor, in Spoletino concilio Episcopi Eugubini socius, ac demum apostolico zelo plenus concionator. Claruit potissimum amore poenitentiae, animarum zelo, orandi assiduitate, regularis disciplinae promovendae studio, erga proximos maxime domesticos benevolentia, atque erga pauperes caritate. Ad haec in excipiendis fidelium confessionibus indefessus fuit. Suarum virtutum desiderium superstitibus relinquens pretiosam in conspectu Domini justorum mortem oppetiit Eugubii anno 1859, aetatis suae 52.

Digitized by Google

Fr. Thomas Maria Fanucchi, S. Theologiae Magister, et Collegii Romani Regens, in oppido Baschi Tudertinae dioecesis tempore quadragesimalis praedicationis ipsis paschalibus festis morbo correptus, quinto aegritudinis die, laboribus ac poenitentiae assiduitate confectus cum odore sanctitatis obdormivit in Domino anno 1757, aetatis suae 40.

Fr. Thomas Perez, Hispanus, S. Theologiae doctor Universitatis Valentinae, lingua patria per praelum evulgavit: 1. *Vitam V. Annae Ruiz Mantellatae Augustinianae, et doctrinam mistico-simbolicam, quam eidem Dominus revelavit.* 2. *Dissertationem dogmatico-misticam de perfecta et plena animae purgatione.* 3. *De origine imaginis S. Mariae de Succursu Valentiae.* 4. *Sermonem et novendium nostrae Dominae de Aquaviva.* Obiit Valentiae anno 1750.

Fr. Thomas Soro, Valentinus, ex ergastulo carnis egressus est anno 1749. Typis edidit latine: 1. *Declamationes ex corde peccatoris lapsi ad poenitentiam gemitusque coram Deo se humiliantis et misericordiam exposcentis.* 2. *Sermonem de professione monialis.*

Fr. Thomas Torres, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum, per multos annos apud Sinenses missionarium egit, ibique propter fidei confessionem verbera et vincula perpessus fuit. Transivit ad recipiendam a Domino mercedem laborum suorum anno 1768.

Fr. Vincentius Coll, Hispanus, S. Theologiae Magister, claruit eloquentia, atque haud obscuri poetae nomine. Mortalis vitae cursum complevit anno 1805. Reliquit *orationem panegyricam S. Thomae Aquinatis, et aliam S. Thomae de Villanova, utramque typis editam.*

Fr. Vincentius Elordui, Navarrus, S. Theologiae Magister, vir morum austeritate, solitudinis amore, atque animarum zelo praeclarus, floruit circa finem saeculi 18. Reliquit *volumen hispanico sermone exaratum de Ecclesiae mente in poenitentiae Sacramento ministrando, in quo S. Ca-*

Digitized by Google

roli monitis, conciliorum, ac SS. Patrum doctrinis inhaerens canones poenitentiales ad sacerdotum eruditionem illustravit.

Fr. Vincentius Labaig, et Lasala, Hispanus, S. Theologiae Magister, claruit potissimum eloquentia pergami. Fuit concionator regius, socius variarum academiarum, examinator synodalis Toleti etc. Decessit anno 1820. Nominatur a Justo Pastore Fuster. Typis tradidit *sermones panegyricos SS. Francisci Borgiae, Jacobi Majoris, Joannis de Deo, atque varias orationes pro gratiarum actione, funebres, etc.*

Fr. Vincentius Refi, Fabrianensis, S. Theologiae Magister, fuit emunctae naris concionator, cujus auream eloquentiam praecipuae Italiae urbes admiratae sunt. Immaturam mortem oppetiit Pisis iturus Lucam ad quadragesimales conciones habendas anno 1853, aetatis suae 39.

Fr. Wolfgangus Lanius, Vindobonensis, laudatur ab Ossinger concionatoris nomine. Typis evulgavit anno 1759 *orationem panegyricam S. Philippi Benitii*, et 1763 *alteram in festo septem dolorum B. M. V.*

PP. MM. Verani, et Lacorte postremis hisce temporibus magnam doctrinae, et probitatis famam reliquerunt, ille nimirum Augustae Taurinorum, hic autem Neapoli, ubi incredibili plausu aulicum concionatorem egit.

CATALOGUS PRIORUM GENERALIUM

Anno 1785 Francisco Xaverio Vasquez vita functo Ordinis habenas suscepit famosissimus Antonius Augustinus Giorgi Ariminensis, electus Vicarius Generalis superiori anno 1784.

Anno 1786 Romae habentur comitia generalia, in quibus Ordini praeficitur Stephanus Bellesini Romanus, qui confirmatus fuit Bononiae anno 1792.

Digitized by Google

Anno 1797 per Breve Apostolicum fit Vicarius Generalis Dominicus Lippici de Soriano in provincia Romana, qui iterum per Breve Apostolicum propter temporum calamitates in officio confirmatus fuit anno 1798.

Anno 1800 item per Breve Apostolicum Ordinis regimen committitur Georgio Rey Barchinonensi, cui anno 1806 similiter per Breve Pontificium suffectus fuit Septimius Rotelli de Muro Vallium in Piceno. Sub hujus generalatu, in ipsa nimirum Ordinis restitutione, praecipuas partes egit P. Mag. Josephus Rabù oriundus ex Helvetia, sed nativitate Romanus, Parochus S. Augustini, qui Commissarii Generalis nomine post napoleonicam suppressionem res Ordinis componere coepit.

Anno 1822 postquam gallicana tempestas cessaverat, atque feliciores dies religiosis Ordinibus elucere coeperant, Romae celebrata fuerunt comitia generalia, in quibus Religionis clavus traditus fuit Josepho Mistretta de Semellio in Sicilia, qui jam in patria fuerat Philosophiae et Mathesis professor, item suae provinciae Praesul, Assistens, ac Procurator Generalis. Vir fuit vario scientiarum genere conspicuus, atque exoticarum linguarum notitia praeditus. Debitum naturae persolvit in patria anno 1831, aetatis suae 74.

Anno 1829 post abdicationem Josephi Mistretta per Breve Apostolicum committitur Ordinis regimen Thomae Antolini de Filotrano in Piceno, qui fuit vir magnae doctrinae, atque prudentiae, quique Romae apud SS. Congregationes Rituum, Indulgentiarum, et Reliquiarum immortale sibi nomen comparavit. Fato concessit Genuae anno 1830, aetatis suae 67. Antea fuerat praeceptor Rethoricae in Amerino Seminario, et Philosophiae in Licaeo Perusino, Secretarius Ordinis, Provincialis Umbriae, et Procurator Generalis.

Anno 1830 Antolinio defuncto fit Vicarius Generalis Jo-

Digitized by Google

sephus Brunori de Corinaldo in Piceno, cui anno 1831 successit Laurentius Tardy Pedemontanus.

Anno 1835 Comitia generalia Romae congregantur, et creatur Generalis Thomas Credennino Neapolitanus, quo abdicante anno 1839 electus fuit Vicarius Generalis Philippus Angelucci de Matilica in Piceno, qui in duobus generalibus Capitulis (1841, et 1847) confirmatus Ordinem gubernavit usque ad annum 1850, quo Tolentini a visitanda provincia Romandiolae redux mortalem sarcinam deposuit. Praeclara hujus viri merita non solum Ordini, verum etiam S. Sedi innotuerunt, a qua propterea bis ad Episcopatum designatus fuit, licet humillimus coenobita hujusmodi honorem semper recusarit. Ante susceptum Generalatum fuerat Provincialis Marchiae Anconitanae, atque in patrio Seminario utriusque Theologiae professor.

Anno 1850 factus fuit per Breve Apostolicum Vicarius Generalis Josephus Palermo Siculus, qui anno 1853 a Patribus Romae congregatis invitus ac reluctans in officio confirmatus fuit.

Anno 1855 Josepho Palermo ad Porphyriensem infulam, atque Sacrarii Pontificii praefecturam evecto, ac propterea aliquot post menses Generalatum abdicante a Summo Pontifice Pio IX ad Augustinianam Familiam regendam praeter omnium expectationem vocatus fuit Prior Firmani coenobii P. Mag. Paulus Micallef Melitensis, qui anno 1859 a visitandis utriusque Americae provinciis redux (ad quas simul cum P. Mag. Assistente Guilelmo Moschini tunc Ordinis Secretario accesserat) a Patribus Romae congregatis in suscepto regimine plenis suffragiis retentus fuit. Nunc et Ordinem optime gubernat, et Consultoris S. Officii munus exercet, cui donet Dominus vitam atque incolumitatem quam diutissimam, ut ea qua praestat singulari pietate coelestium benedictionum rorem in Augustinianam Eremum evocet, his praesertim nequissimis diebus, quibus dia-

Digitized by Google

bolica tenebrarum potestas ad religiosos Ordines evertendos omnem lapidem movere non desinit.

N. B. In catalogo saeculi praecedentis ad annum 1673 post Nicolaum de Oliva supple: Anno 1676 Nicolao de Oliva ad Episcopatum Cortonae designato Innocentius XI Vicarium Generalem elegit Dominicum Valvasorium Mediolanensem, qui fuerat jam Assistens Italiae, et Procurator Generalis, eumque Patres anno 1679 Romae congregati in officio confirmarunt. Hic anno 1686 factus fuit Episcopus Gravinae, obiitque anno 1689.

SACRARII PONTIFICII PRAEFECTI

Anno 1764 post obitum Silvestri Merani a Clemente XIII Sacrarii Pontificii praefecturam, atque infulam Porphyriensem accepit Nicolaus Angelus Maria Landini Florentinus, dictus a nostrate clarissimo Berti eloquentissimus orator, qui vixit usque ad annum 1782. Eodem anno 1782 Pius VI Sacristam elegit, atque Episcopum Porphyriensem Franciscum Xaverium Cristiani de Monte Granario in Piceno, virum doctum, ac celebrem concionatorem, qui propterea Quadragesima anni 1794 jubente Pontifice vices gessit praedicatoris Apostolici tunc aegrotantis.

Anno 1800 post obitum Francisci Xaverii Cristiani a Pio VII creatus fuit Sacrista noster Hipponensis Episcopus V. Josephus Bartholomaeus Menochio de Carmaniola in Pedemontio, Episcopatus titulo in Porphyriensem translato. Fuit ejusdem Pontificis confessarius, atque in variis itineribus comes.

Anno 1823 Menochio cum sanctitatis opinione vita functo idem Pontifex ad Porphyriensem infulam atque Sa-

Digitized by Google

crarii Apostolici praefecturam promovit Subsacristam Josephum Perugini de Monte Falisco, cui anno 1829 in utraque dignitate successit Joannes Augustoni de Firmo in Piceno.

Anno 1839 post obitum Joannis Augustoni Gregorius XVI Sacristam elegit, atque Episcopum Porphyriensem Josephum Mariam Castellani nativitate Romanum, at origine Corsicum, qui parochum agebat S. Augustini, quique anno 1854 postquam simul cum caeteris Episcopis dogmaticae definitioni de immaculata Virginis conceptione interfuisset, inopinata morte e vivis sublatus fuit.

Eodem anno 1854 a Summo Pontifice Pio IX in Sacristam assumitur, atque Porphyriensi infula decoratur Josephus Palermo Siculus, tunc temporis Ordinis Generalis, qui ante expletum biennium ab electione Panormi debitum naturae persolvit.

Anno 1856 praefatus Summus Pontifex Porphyriensem infulam, atque Sacrarii Apostolici praefecturam tradidit Subsacristae P. Mag. Francisco Marinelli Patritio Tolentinati, qui apud Ordinem fuerat Provincialis Marchiae Anconitanae, et postea Prior S. Augustini de Urbe. Sospitet illum Deus, meritis praesertim atque intercessione conterranei sui S. Nicolai de Tolentino, cujus templum in patria et consecravit, et pretiosa supellectili donavit, majora utique eidem donare paratus postquam congregaverit Dominus dispersos Israel, atque ejecerit de loco sancto gentem perfidam, quae latronum more Ecclesiarum bona invadit.

Digitized by Google

CARDINALES, PATRIARCHAE, ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI AUGUSTINIANI QUI FLORUERUNT SEXTO SAECULO POST UNIONEM.

Antonius ab Assumptione, Lusitanus, Episc. S. Thomae Meliaporensis in Indiis Orientalibus 1782.

Antonius Augustinus de Suosa, Lusitanus, Episcopus Portus Alacris in Lusitania 1757.

Antonius Burbano Popayanensis, Episc. Rosae, et Suffraganeus, postea vero Episcopus Popayanensis in America meridiana 1837.

Antonius Correa, Lusitanus, Arch. SS. Salvatoris in Brasilia 1779.

Augustinus Gervasio, Salernitanus, Episc. Gallipolis, et postea Arch. Capuae 1792.

Augustinus Petrus Blaquier, Barchinonensis, Episc. Novae Segoviae in Philippinis insulis 1801.

Bernardus a S. Cajetano, Ulyssiponensis, Episc. S. Thomae Meliaporensis in Indiis Orientalibus 1759.

Cajetanus Maria Garrasi, Catanensis, Arch. Messanae 1759.

Cajetanus Pace-Forno, Melitensis, Episc. Melitae, et Arch. Rhodi 1859.

Carolus Maria Nicolaus Fabj, Insuber, Episcopus Bobii 1781.

Daniel O' Connor, Hibernus, Episc. Salditanus in partibus infidelium 1842.

Didacus Malo de Portugal, Hispanus, Episc. Uxamae, et postea Gienni in Vandalitia 1795.

Dionysius de Villavicentio, Hispanus, Episc. Nicaraguae in America centrali 1736.

Emmanuel Gryalbo, Hispanus, Episc. Cacerensis in Philippinis 1848.

Digitized by Google

Emmanuel de Jesu, Goanus, Episc. S. Thomae Meliaporensis in Indiis Orientalibus 1787.

Emmanuel Maria Pignone del Carretto, Neapolitanus, Episc. Suessae 1792.

Franciscus Armanà, Hispanus, Episc. Luci Augusti in Hispania, et postea Arch. Tarraconensis 1785.

Franciscus ab Assumptione y Brito de Marianna Episc. Olindae in Brasilia, et postea Arch. Goanus in Indiis Orientalibus 1775.

Hyacinthus Rolfi, Pedemontanus, Episc. Sulcitanus in Sardinia 1783.

Hyacinthus della Torre, Pedemontanus, Arch. Sassaritanus in Sardinia, et postea Episc. Aquarum Statiellarum in Monte Ferrato, ac tandem Arch. Augustae Taurinorum 1805.

Hilarion Diez, Hispanus, Arch. Manilae in Philippinis insulis 1826.

Jacobus Alipius Goold. Hibernus, Episc. Melbournensis in Australia 1847.

Jacobus Doyle, Hibernus, Episcopus Kildarensis, et Leighlinensis in Hibernia 1819.

Jacobus O' Daly, Hibernus, Episc. Fenaborensis, alias Kilfenorensis in Hibernia 1750.

Joachim de Atzaide, Lusitanus, Episc. Meliaporensis in Indiis Orientalibus 1804.

Joachim a Virgine de Sopretan, Hispanus, Episc. Nominis Jesu in Philippinis 1804.

Josephus Bartholomaeus Menochio, Pedemontanus, Episc. Hipponensis et Suff. Regiensis 1796.

Josephus Bertieri Pedemontanus, Episc. Comi, et postea Episc. Papiae, et Arch. Amasiae 1792.

Josephus Ludovicus de Lila, Limanus, Episc. Guamangae in Peruvia 1764.

Josephus Callistus de Orihuela, Limanus, Episc. Cala-

Digitized by Google

mensis in partibus infidelium 1819, et postea de Cusco in Peruvia 1822.

Josephus Pezzella, Beneventanus, Episc. Interamnae in Aprutio, et postea Episc. Calvensis, et Theanensis in Terra Laboris 1828. Hic fuit Commissarius Apostolicus pro restituendis Augustinianis coenobiis in Regno Neapolitano citra Fretum Mamertinum post suppressionem napoleonicam. Fato concessit anno 1833.

Josephus Segui, Hispanus, Arch. Manilae in Philippinis 1840.

Marcus Cabelo, Cordubensis, Episc. Acciensis in Regno Granatensi 1804.

Matthaeus de Navia Bolano, Limanus, Episc. Nicaraguae in America Hispanica 1757.

Michael Angelus Calandrelli, Beneventanus, Episc. Acerni in Regno Neapolitano 1792.

Nicolaus Zoppetti, Fulginas, Episc. Fabriani et Matilicae in Piceno 1785.

Patritius de Silva, Lusitanus, Arch. Eborensis, et postea Patriarcha Ulyssiponensis, et Cardinalis 1826.

Raphael de la Sala, Hispanus, Episc. Adrumeti, et Suff. Valentiae, et postea Episc. Solsonensis in Hispania 1773.

Salvator Maria Cacamo, Panormitanus, confessarius Ferdinandi IV Regis Neapolitani, et Episc. Larissae in Graecia 1815.

Sanctes Gomez Marannon, Episc. SS. Nominis Jesu in Philippinis insulis 1830.

Theodorus a S. Maria, Lusitanus, Episc. S. Thomae de Meliapor in Indiis orientalibus 1756.

Vincentius Barreiro, Hispanus, Episc. Cacerensis, et postea Novae Segoviae in Philippinis insulis 1848.

Vincentius Barisani, Neapolitanus, Episc. Hieracensis in Regno Neapolitano 1798.

Pro sequentibus, quorum Augustiniana professio apud

Digitized by Google

Cracas non indicatur, lege in diario romano concistoria, nempe pro Salvatore Maria Cacamo Arch. Larissae vide concistorium diei 6 Septembris anni 1815, pro Josepho Callisto Orihuela Episc. Calamensi concist. 29 Martii 1819, pro Sancte Gomez Marannon Episc. Nominis Jesu 28 Septembris 1829, et pro Antonio Burbano Episc. Rosensi 19 Maji 1837.

SANCTIMONIALES AUGUSTINIANAE, QUAE HOC SEXTO SAECULO EREMITARUM ORDINEM SANCTITATIS SPLENDORE ILLUSTRARUNT.

Anna Catharina Emmerich, cujus fama nuperis hisce temporibus replevit orbem terrarum, ortum habuit Flamsckae prope parvam civitatem Coesfeld dioecesis Monasteriensis in Borussia ex pauperibus, at honestis piisque parentibus die 8 Septembris anni 1774, fuitque in hac postrema civitate lustralibus lymphis expiata in paroecia S. Jacobi. Cum autem usque ad annum 1802 in paterna domo coelestem potius cum coelitibus quam humanam cum hominibus vitam duxisset, post varias fortiter superatas adversas vicissitudines, tandem eodem anno in S. Agnetis monasterio Dulmensi Ordinis S. P. Augustini sacrum virginitatis velum sumpsit, ac post peractum de more tyrocinium solemnia vota emisit. Verum anno 1812 post monasterii suppressionem extra claustrum egredi coacta fuit, atque ibidem permansit usque ad obitum, qui contigit die 9 Februarii anni 1824. Claruit familiari Christi, Deiparae, Angelorum, atque Sanctorum consuetudine et colloquiis, altissimis contemplationibus, coelestibus ecstasibus, arcanis visionibus, frequentibus corporis sublationibus, visibilibus divinae caritatis ardoribus, spiritualibns deliquiis, miris ab aliis in se cruciatuum

Digitized by Google

translationibus, ac demum excruciantibus sanguineisque dominicae passionis stigmatibus. Vide ejus vitam notissimo libro praefixam in omnes linguas translato cui titulus: *Dolorosa passio Domini nostri Jesu Christi juxta contemplationes Annae Catharinae Emmerich Religiosae Augustinianae.* Item juxta ipsius meditationes alius liber confectus fuit sub titulo: *Vita B. Mariae Virginis etc.*

Anna Maria Cirilli nostri Ordinis tertiaria professa obiit Urbeveteri cum opinione sanctitatis anno 1754. Ob varia miracula, quae ad ejus invocationem patrabantur, illmus ac revmus DD. Josephus Marciani ejusdem civitatis Episcopus jussit illius cadaver e communi sepulcro erui, atque separatim in nostra S. P. Augustini ecclesia prope januam majorem duabus arcabus inclusum collocari. Repositus fuit in loculis plumbeus tubulus continens chirographum per notarium publicum confectum. Ex actorum Ordinis codicibus.

V. Clarina, Barcinonensis, vidua D. Joannis Riera, tertiaria professa Ordinis S. P. Augustini, sanctitatis fama conspicua, rarae patientiae exemplar, in civitate solitaria, lacrymarum gratia fecunda, humilitate eximia, caritate flagrans, caeterarumque virtutum ornamento praefulgens, anno 1744 aetatis suae 57 Barcinone ex hac vita migravit.

Maria Josepha Crosta, Neapolitana, quae nostrate Fideli Amalfi adjutore Neapoli apud S. Ephrem nostrarum Mantellatarum monasterium erexit, cum opinione sanctitatis ex hac vita migravit anno 1830, aetatis suae 52.

Maria Monica Crucifixa Crosta, praecedentis germana soror, tertii Ordinis S. P. Augustini professa, sanctitatis famam superstitibus reliquit anno 1816, aetatis suae 34. Jacet ejus corpus in ecclesia S. P. Augustini majori, ubi apposito epitaphio legentibus indicatur. Inter caetera illius miracula hoc etiam narratur, quod nimirum cum ante obitum se optare dixisset ne a viris ipsius cadaver tangeretur,

Digitized by Google

accedentem tamen pium quemdam virum ad illud juxta morem vestiendum, illico e lectulo surgens eum foras ejecerit.

V. Vincentia Rita Aguilar nata est Valentiae in Hispania anno 1716. Ingressa deinde Augustinianum S. Juliani monasterium extra Valentiae moenia situm, ibidem omni virtutum genere resplenduit, atque cum sanctitatis fama obdormivit in Domino anno 1785.

BIBLIOTHECAE ANGELICAE PRAEFECTI

Anno 1614 Fr. Angelus Rocca, Picenus, Sacrarii Pontificii Praefectus, Abbas S. Mariae de Plano Castilionis dioecesis Senogalliensis, atque Episcopus Tagastensis, postquam quadraginta annorum curam atque laborem in libris undique colligendis impenderat, hanc perinsignem Bibliothecam suo nomine nuncupatam romano S. P. Augustino coenobio donavit, ac publicam esse jussit.

Primus Bibliothecarius electus fuit Fr. Fulgentius Galluccius de Monte Georgio in Piceno, Prior coenobii S. P. Augustini de Urbe, qui postea fuit Generalis, Sacrista, Episcopus Tagastensis, ac demum Antistes Boviani in Regno Neapolitano, ab Urbano VIII anno 1624 ad illam cathedram translatus.

Anno 1620 Bibliothecae praeficitur Fr. Aurelius Floridi Aesinas cui anno 1647 successit Fr. Gabriel Foschi Anconitanus. In hujus locum anno 1650 suffectus fuit Fr. Paulus Luchini Pisaurensis, qui anno 1655 factus fuit totius Ordinis Moderator, tenuitque Religionis clavum usque ad annum 1661, atque Bibliothecae claves usque ad 1663.

Eodem anno 1663 Bibliothecae custodia demandatur Fr. Joanni Thomae Giromineo de Aesio in Piceno, cujus successor anno 1677 fuit Fr. Josephus Sabbatini Ravennas.

Digitized by Google

Septimus Bibliothecarius fuit Fr. Carolus Riccius electus anno 1688, eique anno 1702 successit Fr. Adeodatus Nuzzi de Alto-Muro, qui anno 1705 ad supremum Ordinis fastigium evectus fuit.

Anno 1721 Bibliothecae praefecturam exercuit ex Generalis Fr. Nicolaus Serani de Aquila, post quem eodem anno hoc munus suscepit famosus Fr. Fulgentius Bellelli de Buccino, qui anno 1727 totius Ordinis regimen obtinuit.

Anno 1742 Bibliothecae praeesse coepit Generalis Fr. Felix Leoni a Juvenatio, qui postea fuit Episcopus Abellini, eique anno 1745 suffectus fuit eruditissimus Fr. Jo. Laurentius Berti Florentinus.

Anno 1752 Bibliothecarii munus traditum fuit celeberrimo Fr. Antonio Augustino Giorgi Ariminensi cui anno 1797 successit Fr. Nicolaus Salerno de Cornueto.

Vixit Fr. Nicolaus Salerno usque ad annum 1815, quo in Bibliothecarium electus fuit Fr. Carolus Thil Polonus, Assistens Germaniae, atque in Sapientiae Archigymnasio publicus locorum theologicorum professor, qui Bibliothecae praefuit usque ad annum 1829.

Eodem anno 1829 Bibliothecae claves traduntur Fr. Thomae Moralia Liguri de Onelia, qui fuit etiam in Sapientiae Archigymnasio S. Scripturae professor. Decessit anno 1830, atque ejus locum in Bibliotheca obtinuit Fr. Thomas Saporetti Ravennas, qui officium dimisit anno 1832.

Eodem anno 1832 Bibliothecae custodia committitur Fr. Augustino Carassai de Tolentino, cujus officium anno 1837 ad manus transivit Fr. Josephi Palermo de Semellio in Sicilia, qui postea fuit Generalis, Sacrista, et Episcopus Porphyriensis. Anno 1855 Bibliothecarius designatus fuit Fr. Clemens Paglialunga de Aunano dioecesis Aculae, Cardinalis Prosperi Caterini ex matre nepos, qui fuit Ordinis Secretarius, Provincialis, et Assistens.

Digitized by Google

APPENDIX GENERALIS

Fr. Adeodatus de Burgo, Casalensis, Congregationis Insubricae Vicarius Generalis, floruit doctrina ac concionandi gloria, quo in munere Bugellae urbem ab haeresis lutheranae incursione liberavit. Obiit in patria decrepita senectute anno 1589. Scripsit: 1. *De honorandis Sacerdotibus.* 2. *De inferno.* 3. *De necessitate confessionis.* 4. *De peccabilitate humanae naturae.* 5. *De blasphemia.* 6. *Sacras figuras pro Quadragesima.* 7. *Sermones varios latinos super Dominicas, et dies festos anni.* 8. *Synopsim universi juris canonici.* 9. *De religione.* Vide nostratem Donatum Calvi in memoriis historicis Congregationis Insubricae.

Fr. Adeodatus Mesura, Hispanus, Barcinone anno 1654 typis tradidit calendarium romanum, sive ordinem recitandi divinum Officium et Missas juxta ritum Breviarii et Missalis Urbani VIII auctoritate recogniti, ad sexdecim annos, ab anno scilicet 1654 ad 1669. Continet excellentes adnotationes.

Fr. Aegidius de Como, Congregationis Insubricae Vicarius Generalis, dicitur ab Ossinger celebris philosophus, insignis theologus, eloquentissimus praedicator, et in scientiis mathematicis atque astrologicis suo tempore non habens superiorem, neque aequalem. Florebat anno 1656. Scripsit *tractatum de astrorum aspectibus, conjunctionibus et influxibus.* Vide etiam nostratem Donatum Calvi in memoriis historicis etc.

Fr. Aegidius Knorr, Austriacus, magister novitiorum, et provincialis, vir fuit mirabili eloquentia praeditus. Fato concessit Viennae anno 1701, aetatis suae 71. Reliquit varia volumina sermonum in Dominicas, et dies festos totius anni. Consule nostratem Ossinger.

Fr. Alexander Essebiensis, Anglus, dicitur ab Ossinger historicus atque theologus sui temporis nobilissimus, con-

Digitized by Google

cionator eloquentissimus, rhetor insignis, atque poeta suae aetatis clarissimus. Floruit saeculo 13. Scripta ejus haec sunt: 1. *Liber de sacris diebus.* 2. *Compendium britannicae historiae.* 3. *Vita Bertellini eremitae.* 4. *Item vita Cungeri eremitae.* 5. *Compendium historiarum Bibliorum.* 6. *Meditationes, epistolae, carmina, et alia.*

Fr. Alvarus Cosme, Lusitanus, fuit insignis theologus, et acerrimus defensor fidei in Anglia, ubi Emi Card. Thomae Ubrit confessarium agebat. De illo Richardus Wandalic in chronic. lib. 1. cap. 20 haec habet: In temporis occasione (1257) quidam pessimi et insolentes haeretici erant, qui aperte corporum resurrectionem abnegabant, in quos venerabilis Arch. Cardinalis magnam posuit vigilantiam, et adjutorem adhibuit reverendissimum, dignissimumque Alvarum Cosme Lusitanum S. Augustini eremitam, qui litteris scientia, et dexteritate ingenii quinque conscripsit argumenta, ut eos ab erroribus vindicaret. His efficacissimis remediis tota haeresis relegata est, et civitas Cantuariensis ab execrandis criminibus mansit liberata. Vide nostratem Jo. Felicem Ossinger.

Fr. Aloysius de la Grue e nobilissima Principum Comitini familia Nari in Sicilia ortus, paternae nobilitatis oblitus Augustinianae Religioni nomen dedit, in eaque claruit scientiis et virtutibus. Fuit S. Theologiae Magister, et Provincialis. Vitam posuit anno 1560.

Fr. Amalricus Augerii, Gallus, patria Biterricensis, qui floruit saeculo decimo quarto, fuit prior monasterii S. Mariae de Aspirano dioecesis Helenensis, doctor Universitatis Montepesulanae, ac Urbani V capellanus. Scripsit *chronicon, seu potius vitas Pontificum ordine alphabetico dispositas*, quod opus typis evulgavit Eccardus tomo 2 corporis Scriptorum medii aevi a pagina 1641 usque ad 1824 editionis Lipsiae anni 1723. Vide nostratem Ossinger.

Fr. Ambrosius Floridus, Patavinus, S. Theologiae Ma-

Digitized by Google

gister, quem Ossinger appellat acutum philosophum, et profundum theologum, floruit saeculo 15. Reliquit: 1. *Commentaria in libros Sententiarum.* 2. *Praelectiones casuum conscientiae, et alia.*

Fr. Ambrosius Staibanus, Tarentinus, vir fuit doctrina ac sanctitate celebris, praesertim in Regno Neapolitano, ubi nostratum Excalceatorum congregationem instituit cujus etiam regimini Vicarii generalis nomine praefuit. Typis evulgavit anno 1608: *Templum Eremitanum duobus tomis distinctum, atque italice conscriptum, in quo agit de antiquitate, deque Sanctis ac Beatis Ordinis nostri.*

Fr. Andreas Dalhamer, Vindobonensis, multos annos Pruggense coenobium, cui etiam multimodis profuit, Prioris auctoritate rexit, atque anno 1692 totius Provinciae gubernaculum accepit. Cum anno 1679 saeva lues Austriam, finitimasque regiones devastaret, pius vir una cum suis voto se Virgini obstrinxit laudes a D. Bonaventura ad honorem ipsius Nominis concinnatas singulis diebus in choro cantandi, quo nimirum obtinuit, ut nemo ex nostris contagione affectus fuerit, nec ex iis quidam, qui infectis spiritualem opem suppeditare accedebant, cum e contra alii illius loci religiosi omnes numero quatuor abrepti sint. Anno autem 1683 obsidionis Viennensis tempore Pruggensem civitatem tuendam suscepit, atque perinde ac si esset militum dux omne propugnationis negotium curabat, portas, clavesque sibi creditas custodiebat, excubitoribus invigilabat, atque etiam foras exploratum prodibat, aliaque id genus munia mira sedulitate explebat. Cum tamen Pruggam longiori obsidioni ferendae imparem esse animadverteret, Hungarorum more indutus una cum civitatis syndico ad turcica castra se contulit, atque ne Prugga laederetur impetravit, continuis nihilominus precibus atque oblato aut per se, aut per suorum aliquem quotidie Missae Sacrificio pro communi salute Dominum interpellans usquedum ingruentia

Digitized by Google

pericula non cessarint. Reliquit desiderium sui, suarumque virtutum memoriam anno 1718, aetatis suae 68. Scripsit, ast praelo non tradidit diarium actorum Pruggensium tempore belli turcici, necnon libellum sententiarum poeticarum partim suarum, partimque aliorum auctorum.

Fr. Andreas Tordehumos, Mexicanus, S. Theologiae Magister, qui fuit discipulus nostratis V. Alphonsi a Veracruce, anno 1581 typis edidit librum eruditum cui titulus: *Apologia theologica ex sacris doctoribus collecta de interioribus animi actibus, et de libertate voluntatis humanae etc.*

Fr. Andreas Verdugo, Hispanus, Provincialis insularum Philippinarum, qui obiit anno 1657 reliquit *grammaticam linguae tagalae.*

Fr. Angelus Finardius, Veronensis, S. Theologiae Magister, celebris concionator, et Florentinae Apatistarum Academiae socius, Magliabecchii suasu, in cujus amicitiam se Florentiae insinuavit, typis edidit anno 1674 libellum inscriptum: *Parnassius abortus, hoc est anagrammata, epigrammata, thesium publicarum parerga etc.* Edidit etiam epistolas decem ad eumdem Antonium Magliabecchium.

Fr. Anselmini, Tarvisinus, vir in amoenioribus studiis egregie versatus, versibus italicis composuit, typisque edidit anno 1541: *Infantiam Salvatoris, ejus vitam, miracula, et passionem cum lamentatione B. Mariae Virginis.* Lege Mazzuchellium.

Fr. Antonius Bernart, Hispanus, anno 1580 typis evulgavit compendium ad usum confessariorum, et poenitentium sermone patrio exaratum.

Fr. Antonius de Castronovo, Siculus, S. Theologiae Magister, qui ab Ossinger dicitur philosophus, theologus, et mathematicus celeberrimus, fuit vicarius generalis, et censor S. Inquisitionis in Sicilia. Immaturam mortem oppetiit Panormi ob fortuitam pulveris nitrici explosionem muris domus Inquisitionis ruentibus oppressus anno 1593.

Digitized by Google

Fr. Antonius de Castro Joannis Majori, Siculus, Vicarius generalis Congregationis Centorbiensis, virtutibus ac miraculis clarus obiit in Calabriae oppido Belvedere anno 1630, fuitque penes nostrates sepultus.

Fr. Antonius Gonzalez, Hispanus, capellanus regius in Philippinis, qui florebat anno 1729 typis edidit panegyricos et sermones varios lingua patria exaratos.

Fr. Antonius Megia, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum, qui obiit anno 1659 scripsit idiomate ilocano et fusiori stilo passionem Domini nostri Jesu Christi typis editam Matriti anno 1845 cura nostratis P. Gregorii Martinez.

Fr. Antonius Mondulphensis, S. Theologiae Magister, atque ejusdem facultatis Maceratae professor, qui dicitur ab Ossinger vir incomparabilis ingenii, ac divina humanaque sapientia excultus, fuit Provincialis, et Archiepiscopi Ravennatis confessarius. Interfuit Concilio Tridentino oratoris nomine, ibique orationem latinam recitavit.

Fr. Antonius de Rocca Contrata, Picenus, anno 1536 Venetiis edidit librum de harmonia et pace christiana.

Fr. Archangelus de Galarete, Cremonensis, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, vir fuit multa pietate ac doctrina conspicuus. Claruit potissimum amore poenitentiae, et animarum zelo. Pedibus Jerosolimam, et Compostellam visitavit. Vitam posuit anno 1519.

Fr. Arsenius de Senis, Ilicetanus, qui florebat anno 1570, scripsit vitam B. Bartholi de S. Geminiano presbyteri. Vide Landuccium.

V. Fr. Augustinus de Albuquerco, Hispanus, qui in oppido Taal plura mirabilia fecit, anno 1578 erat Provincialis.

Fr. Augustinus Bouhon, Belga, qui floruit saeculo 16, typis evulgavit *Speculum monachorum Ludovici Blosii e latino in gallicum a se versum.*

Fr. Augustinus de Caruciis, Cremonensis, S. Theologiae Magister, qui dicitur ab Ossinger insignis verbi Dei praeco,

Digitized by Google

et theologus praestantissimus, florebat saeculo 15. Nominatur ab Antonio Possevino, atque Francisco Arisio. Reliquit sermones praedicabiles.

Fr. Augustinus Farfan, Mexicanus, ex medicinae professore factus Augustinianus, anno 1604 typis edidit *tractatum de medicina, ac de omnibus morbis sermone hispanico conscriptum.*

Fr. Augustinus Finazzi, Florentinus, appellatur a Julio Negri doctissimus theologus, et celeberrimus concionator. Illum Card. Aegidius Albernozzo adhibuit ad devios in viam catholicae veritatis reducendos, atque Summus Pontifex Clemens VI promulgationem *Cruciatae* illi commisit, eumque anno 1343 Narniae Episcopum creavit. Vitam posuit anno 1367. Reliquit multas conciones manuscriptas. Laudatur etiam a Jo. Villani lib. 7. hist. Florentinae.

Fr. Augustinus Maria Bocci, Bergomensis, eximius sui aevi concionator, Congregationis Insubricae alumnus, florebat circa medietatem saeculi 16. Scripsit: 1. *Sermones quadragesimales super psalmos.* 2. *Librum cui titulus: Flosculi aurei ex D. P. Augustino super psalmos selecti.*

Fr. Augustinus Maria Guarini, Bergomensis, claruit insignis concionatoris nomine. Fuit Prior Lucae, et Genuae, necnon suae Insubricae Congregationis Procurator Generalis. Decessit anno 1593. Scripsit: 1. *Quadragesimale, in quo praecipuae controversiae adversus haereticos illius temporis agitantur.* 2. *Quadraginta lectiones de peccato ab ipso compositas et Genuae recitatas.* Consule nostratem Calvi in memoriis.

Fr. Aurelius Coronalten, Helvetius, qui floruit saeculo 16 dicitur ab Ossinger vir doctrinae fama per totam Helvetiam inclitus. Interfuit Concilio Tridentino tamquam Helvetiorum orator, in eoque sermonem habuit.

V. Fr. Bartholomaeus de Jesu Maria, Mexicanus, alumnus conventus SS. Crucifixi de Chalma, fuit laicus

Digitized by Google

conversus omnibus virtutibus praeditus, atque singularis sanctitatis signis conspicuus. Claruit potissimum ferventissimo Dei amore, qui etiam illius vultum inflammans foras erumpebat, caritate erga proximum, qua moerentibus omnibus solatio erat, arcanis extasibus, quibus saepe extra sensus rapiebatur, spiritu orationis, cujus efficacia non pauca, neque exigua miracula patravit, ac demum prophetiae dono, quo futura prospexit, atque secreta cordium investigavit. Ad haec refulsit in illo singularis humilitas, mirae poenitentiae studium, diligentissima votorum observantia, silentii, recessus, atque vigiliarum amor, ac denique peculiaris erga SS. Eucharistiam, Deiparam, S. P. Augustinum, aliosque Sanctos devotio. Obdormivit in Domino cum multis sanctitatis indiciis anno 1658, aetatis suae fere 90. Ex nostrate Joachimo Sardo.

Fr. Bartholomaeus Ricci, Neapolitanus, S. Theologiae Magister, regii Neapolis theologorum collegii decanus, atque Italiae assistens, anno 1690 praelo tradidit *dissertationem de sufficientia attritionis ad justificationem in Sacramentis Baptismi et Poenitentiae etc.*

Fr. Belcardus continuavit usque ad annum 1378 *Mare historiarum* Joannis de Columna Dominicani, qui vixit saeculo 13, et scripsit praeclarum hoc opus ab orbe condito usque ad S. Ludovici Galliarum Regis tempora. Vide Ossinger.

Fr. Bernardus Vindingus, Ordinis nostri theologus, anno 1621 typis evulgavit librum sub titulo: *Criticus Augustinianus castigatus, omnibus D. Augustini studiosis perutilis perque necessarius.*

Fr. Bertrandus Pastoris, Gallo-Tolosanus, S. Theologiae doctor, dicitur a Nicolao Bertrando in gestis Tolosanorum: *Doctor luculentissimus, et ecclesiasticae dignitatis defensor acerrimus.* Florebat saeculo 14. Reliquit varios libros in Aristotelem, nec non de ecclesiastica potestate, de ecclesiastica paupertate, ac de Ecclesiae veritate.

Digitized by Google

Fr. Clemens de Plutia, Siculus, alumnus Congregationis Centurbiensis, virtutibus, ac miraculis clarus obiit anno 1704.

Fr. Clemens Vertova, Bergomensis, fuit celeberrimus concionator, qui dum Mantuae priorem S. Agnetis agebat anno 1530 Carolum V Imperatorem hospitio recepit, cujus etiam confessarius fuit, atque illius gratia idem Imperator praefati coenobii priorem pro tempore Comitem palatinum creavit cum facultate creandi doctores, notarios, natalibus restituendi spurios, etc. Obiit anno 1542. Vide nostratem Calvi in memoriis.

Fr. Didacus a Jesu, Hispanus, vir omnium virtutum genere ornatus, provincialatum gessit in Philippinis. Obiit anno 1696. Scripsit lingua patria, atque impressit: 1. *Historiam SS. Crucifixi nostri conventus Burgensis.* 2. *Vitam Domini nostri Jesu Christi.* 3. *Catenulam auream variarum orationum.* 4. *Manipulum sacerdotum, latine.*

Fr. Didacus Villarubia, Mexicanus, claruit doctrina, atque pietate. Fuit magister novitiorum Vallisoleti in provincia Mechoacanensi, et professor S. Theologiae in collegio S. Pauli Mexici. Obiit cum opinione sanctitatis anno 1622, aetatis suae 60. Reliquit varia manuscripta philosophica, theologica, historica, atque ascetica.

Fr. Dionysius Zarate, Mexicanus, S. Theologiae Magister, doctor primarius et decanus Universitatis Mexici, atque provincialis anno 1601 praelo tradidit tractatum de ineffabili Incarnationis mysterio.

B. Dominicus de Ugolinis, nobilis Senensis, relictis paternae domus opibus, ac deliciis ad sylvam Ilicetanam confugit, atque postquam illam vitae sanctimonia illustrasset, una cum B. Stephano Cioni congregationem Scopetinorum fundavit atque etiam Generalis nomine gubernavit. Obiit anno 1438. Vide Landuccium.

Fr. Emmanuel Perez, Mexicanus, S. Theologiae Magister, fuit parochus S. Pauli Mexici, et in illa Universitate

Digitized by Google

22 annos docuit linguam mexicanam. Florebat anno 1726. Lingua patria scripsit, typisque evulgavit: 1. *Normam pro parochis et ministris Indorum.* 2. *Grammaticam linguae mexicanae.* 3. *Alphabetum hispanicum, latinum, mexicanum.* 4. *Catechismum romanum S. Pii V. in linguam mexicanam translatum.* 5. *Panegyricum B. Ritae.* 6. *Pium exercitium pro diebus bacchanalium ab ipso Domino Jesu Christo S. Gertrudi commendatum.* 7. *Methodum assistendi moribundis.*

Fr. Emmanuel Vertova, Bergomensis, S. Theologiae Magister, juris canonici, ac Theologiae moralis scientia potissimum clarus, florebat anno 1500. Scripsit: 1. *Expositionem super regulam S. P. Augustini.* 2. *De matrimonio, ejusque impedimentis.* 3. *Sermones ad Religionis tyrones.* 4. *Illustravit opus de potestate ecclesiastica nostratis Augustini Triumphi de Ancona.*

Fr. Ferdinandus Sanchez de Cuella, Hispanus, Doctor Salmanticensis, et Episcopus Agrigenti in Sicilia, vir fuit magnae poenitentiae et caritatis erga pauperes, atque zelo Dei plenus. Multis miraculis claruit. Obiit Agrigenti anno 1657 cum opinione sanctitatis, ut refert Antoninus Mongitor a nostrate Attardi citatus.

Fr. Franciscus Carmitg, Barcinonensis, dicitur vir fuisse singularis ingenii atque extraordinariae memoriae. Dum erat novitius martyrologium memoriter recitabat. Fuit Philosophiae professor in Universitate Barcinonensi et Tarraconensi. Cum esset rector collegii S. Guilelmi Barcinone mirum in modum profecit in via christianae perfectionis, ita ut ad valde sublimem sanctitatis gradum pervenerit. Fertur etiam claruisse miraculorum dono. Nemo melius quam ipse, qui assiduis contemplationibus elevabatur in Deum, atque admodum in rebus ad vitam mysticam pertinentibus versatus erat, impugnare valuit errores Michaelis de Molinos, quod effecit in tractatu: *Quisnam sit actus mysticae et perfectissimae contemplationis, quo viator ducatur ad*

Digitized by Google

perfectissimam et mysticam unionem cum Deo. Reliquit etiam varia manuscripta. Obdormivit in Domino cum opinione sanctitatis Orgelii anno 1677, aetatis suae 36. Ex Felice Torres Amat de Scriptoribus Catalaunis.

Fr. Franciscus de Gratia, Lusitanus, Goae in Indiis Augustinianum habitum induit. Anno 1633 in Japonia saevissimum ac novum martyrii genus una cum nostrate fr. converso Michaele de S. Josepho sustinuit; nam a pedibus intra foveam suspensi punctis temporibus ac facie ut sanguis effluceret, longo triginta horarum cruciatu extinti ad aeternam patriam evolarunt die 16 Augusti.

Fr. Franciscus Joannis, Anglus, qui floruit saeculo 14 dicitur ab Ossinger vir in divinarum Scripturarum studium propensissimus. Scripsit: 1. *Comment. in omnes D. Pauli epistolas.* 2. *In psalterium.* 3. *In Joannem.* Laudatur etiam a Sixto Senensi in catalogo expositorum S. Scripturae.

Fr. Franciscus Lopez, Hispanus, vir magnae virtutis, et in Philippinis insulis missionarius, vixit usque ad annum 1632. Praelo tradidit: 1. *Grammaticam idiomatis ilocani.* 2. *Dictionarium ejusdem idiomatis.* 3. *Catechismum brevem, qui etiam nunc in usu est apud catholicos.*

Fr. Franciscus Maria Pusterla, Bergomensis, Congregationis Insubricae secretarius, et concionator, anno 1664 impressit lingua italica vitam S. Juliani confessoris. Reliquit etiam quaedam poetica.

Fr. Franciscus de Melita, Vicarius generalis Siciliae, obiit cum opinione sanctitatis anno 1386. Vide Attardi.

Fr. Franciscus Senensis, S. Theologiae Doctor, et Provincialis, qui florebat circa medium saeculi 15, posteris reliquit: 1. *Commentarium in quatuor Evangelia.* 2. *Comment. in omnes D. Pauli epistolas.* Laudatur etiam a Sixto Senensi in catalogo expositorum S. Scripturae.

Fr. Franciscus Silvestre, Hispanus, Provincialis Vandalitiae, et examinator synodalis Hispalensis, anno 1699 lingua

Digitized by Google

patria scripsit, praeloque tradidit duo volumina de B. Maria Virgine, et 1681 discursus morales pro feriis Quadragesimae.

B. Franciscus Urbevetanus, vir religiosus, ac Deo et hominibus dilectus, totum fere tempus vigilando, orando, et jejunando insumebat. Regularis disciplinae fuit spectatissimum exemplar. Supernae beatitudinis ita desiderio aestuabat, ut ejusdem contemplationi semper vacaret, omniaque praesentia in comparatione illius pro nihilo reputaret. Demum anno 1301 beato fine quievit. Ex nostrate Pasini.

Fr. Franciscus Zenzaño, Hispanus, alumnus provinciae Philippinarum, ab inimicis fidei christianae lanceis confossus occubuit in oppido Bugaron in Philippinis una cum P. Felice de Rioja anno 1731.

Fr. Gabriel Bucci, Carmaniolensis, S. Theologiae Magister, atque eximius verbi Dei praeco, eloquentia pergami potissimum enituit. Florebat saeculo 16. Scripsit lingua italica multas et eruditas orationes, quas inter recensentur ab Andrea Rossoto: 1. *Oratio funebris Ludovici I Salutiarum Marchionis.* 2. *In laudem Bartholomaei ab Ecclesia Ludovici XII Galliarum regis in Regno Neapolitano consiliarii.* 3. *In funere Joannis Gavazza Carmaniolensis.* Vide praefatum Rossotum.

Fr. Gabriel de Crema, Congregationis Insubricae Vicarius Generalis, ob eloquentiam pergami dictus fuit lingua seraphini, organus Dei, et verus pater spiritus. Decessit anno 1570. Impressit lingua italica: 1. *Ideam perfecti concionatoris.* 2. *Methodum, quam adhibere debent praedicatores ad convertendos haereticos, et confirmandos fideles.* Ex nostrate Calvi.

Fr. Gabriel Marini, nobilis Messanensis, publicus Philosophiae professor in illa Universitate, devotissimus erga Domini nostri Jesu Christi nativitatem, quam frequenter contemplabatur, petens a Domino ut in hac nocte sibi mori contingeret, exauditus fuit; nam post matutinum coenobii

Digitized by Google

stabulum ingressus, ibique puerum Jesum natum contemplans spiritum exhalavit in bona senectute anno 1570. Ex nostrate Attardi.

Fr. Gaspar Sala y Berart, Caesaraugustanus, fuit S. Theologiae doctor et professor in Academia Barcinonensi. Dicitur a Felice Torres Amat famosus concionator, et profundus theologus. Ludovicus XIII Galliae rex anno 1642 illum constituit suum concionatorem, annalium scriptorem, atque abbatem S. Cugat. Claruit potissimum historica eruditione. Scripsit sermone patrio, typisque edidit: 1. *Gubernium politicum Barcinonis pro sublevandis pauperibus et eliminandis vagantibus.* 2. *Notitiam universalem Catalauniae.* 3. *Compendium historicum belli Catalauniae annis* 1640, *et* 1641, *et alia.* Ex hac vita migravit anno 1670.

Fr. Gaspar Vivacqua a Naro in Sicilia, S. Theologiae Bacc. singulari doctrina ac morum sanctitate refulsit. Noctes insomnes inter preces divinasque laudes traducebat, ac singulis fere diebus se flagellis cruentabat, corpus praeterea jejuniis et abstinentia jugiter extenuans, antea tribus in hebdomada, ac postea singulis diebus pane et aqua contentus. Quamvis tamen hujusmodi austeritatibus assidue corpus affligeret, non quidem poenitentis, sed vegetioris hominis vultum exhibebat. Indefessus fuit ad confessiones excipiendas, atque ad conciones habendas, quibus fideles mirum in modum ad pietatem excitabat, vir sanctus propterea ab omnibus appellatus. Transivit ad Congregationem S. Joannis ad Carbonariam, in eaque paullo post sancto fine quievit.

Fr. Gregorius Amatus, de Lilibaeo in Sicilia, vir fuit magnae pietatis, et austerissimae poenitentiae. Is cum aliquando in domo matris suae quamdam mulierem a daemone obsessam reperisset, curiositatis gratia aliquid ab ea quaesivit de praedestinationis mysterio. Cui daemon per mulierem respondit: *Quamvis verbis meis me lacessam, superiori tamen vi fateri cogor in hanc materiam non esse nimia curiositate*

Digitized by Google

inquirendum, sed potius Deo majori diligentia inserviendum. Ex eo tempore rigidiorem vitae tenorem incepit. Austeritatibus consumptus obiit in patria cum opinione sanctitatis anno 1728, aetatis suae 33.

Fr. Gratianus Rentius, Umber, anno 1600 Venetiis praelo tradidit vitam B. Bernardi Feltrensis Ordinis Minorum. Vide Jacobillum.

Fr. Guilelmus de Flandria, Belga, qui floruit saeculo 14 vocatur ab Ossinger vir in enodandis difficilioribus S. Scripturae locis valde felix. Reliquit commentaria in Apocalypsim.

Fr. Guilelmus de S. Maria, alias de Noronna, Lusitanus, ex Comitum de Linares regia stirpe ortus, terreno comitatui religiosam humilitatem praeferens Augustinianae Familiae nomen dedit, in qua Provincialis et Visitatoris Apostolici munera exercuit. Dicitur ab Ossinger vir doctissimus, vitae honestate clarissimus, atque philosophus insignis. Ex hac vita migravit anno 1634. Typis evulgavit expositionem in octo libros Physicorum Aristotelis.

Fr. Gundisalvus Valle, Hispanus, ivit in Mexicum, ubi evasit S. Theologiae Magister, et Praeses provinciae SS. Nominis Jesu. Florebat circa finem saeculi 17. Typis evulgavit lingua patria: 1. *Paradisum Domini.* 2. *Speculum variorum colorum, in quo habent sacri oratores unde possint allicere homines ad sectandas virtutes et aversanda vitia.* 3. *Sermones de Quadragesima et Adventu.* 4. *Varios sermones de mysteriis, et festivitatibus.*

Fr. Henricus Fuel, Germanus, S. Theologiae Magister, qui dicitur ab Ossinger vir omni pietati deditus, floruit saeculo 15. Reliquit librum de passione Domini.

Fr. Henricus Modeghe, Germanus, S. Theologiae Magister, qui apud Ossinger appellatur B. Virginis amator, et cultor insignis, typis mandavit tractatum, in quo probat B. Virginem Mariam immunem fuisse a peccato originali.

Digitized by Google

Floruit saeculo 15. Nominatur etiam ab Hippolyto Marraccio in appendice ad Bibl. Marianam.

Fr. Hieronymus Aznar et Embid Cardona, Aragonius, celebris concionator qui florebat anno 1611, typis edidit hispanice: 1. *De justa expulsione Maurorum ex Hispania.* 2. *De immaculata Deiparae conceptione.*

V. Hieronymus Iloscos, Hispanus, a nostrate Josepho ab Assumptione in suo Martyrologio Augustiniano dicitur *vir magnae orationis et contemplationis, omnis perfectionis et virtutis speculum, humilitate, patientia, et observantia mirabilis, atque continuam Dei habens praesentiam,* erga quem ita jugibus caritatis stimulis ferebatur, ut etiam somno devinctus identidem haec verba congeminaret: *Amo Deum.* Deiparam Virginem peculiari devotione prosequebatur, atque ad illius honorem singulis diebus *Benedicta tu*, et rosarium recitabat. Animabus piacularibus flammis addictis assiduarum precum subsidium afferebat, atque ex iis quaedam non semel gratias agentes illi apparuerunt. Magnam ex tonitruis concipiebat laetitiam, eo quia, ut ipse ajebat, per eadem peccatores ad poenitentiam excitantur. Erga pauperes magna caritate flagravit, in cujus signum crebro illi Deus panem multiplicavit. Tandem raris virtutibus, multisque miraculis clarus obdormivit in Domino Valentiae anno 1696, aetatis suae 67, cum quindecim annos natus in eadem urbe Eremitanae Familiae nomen dedisset.

Fr. Hippolytus Baccusius, coripheus musicorum in ecclesia cathedrali Mantuae, et Veronae, qui florebat circa annum 1600, fuit perinsignis musicus, ut varia hujus generis opera typis edita testantur, quae habentur in Bibl. Angelica.

Fr. Jacobus Berson, Gallus, rhetor insignis, atque regius concionator eloquentissimus, anno 1574 typis evulgavit conciones et orationes funebres.

Fr. Jacobus Folquerius, Tolosanus, alumnus coenobii Parisiensis, S. Theologiae Doctor, vir in S. Scripturae et

Digitized by Google

SS. Patrum lectione versatissimus, florebat anno 1345. Reliquit *Viridarium Gregorianum, sive Biblia Gregoriana Jacobo Folquerio Eremita Augustiniano Doctore Tolosano collectore.* Opus dicatum Summo Pontifici Clementi VI. Vide Ossinger et Gandolphum.

Fr. Jacobus Martinez, Gallus, S. Theologiae Doctor Sorbonicus, qui propter raras atque singulares virtutes Galliarum Regi Francisco I carissimus fuit, ejusdem Regis theologum egit, atque contra Lutherum acerrime dimicavit, cujus errores etiam evulgatis libris refutavit. Florebat anno 1538.

Fr. Jacobus de Perusia, S. Theologiae Doctor, et Episcopus Terracinae, decessit anno 1362. Reliquit opus in quatuor libros sententiarum, atque expositionem super lamentationes Jeremiae. Vide Gandolphum.

Fr. Joannes Adrianus, Hispanus, ivit in Mexicum, ubi didicit linguam tarascam in provincia Mechoacanensi, atque ibidem cum ingenti animarum lucro Evangelium praedicavit. Postea in Mexicana Universitate S. Scripturae professorem egit. Fuit pluries prior, et bis provincialis, pluraque coenobia aedificavit. Primos Jesuitas, qui illuc appulerunt, in coenobio Mexici hospitio recepit. Ex hac vita migravit anno 1593. Reliquit manuscripta opuscula quaedam theologica, concionatoria, et poetica.

Fr. Joannes Augustinus Passi, nobilis Bergomensis, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, vir fuit honoris Dei, ecclesiarum decoris, atque ecclesiasticae libertatis amantissimus. Claruit etiam theologicae doctrinae laude. Obiit Bergomi anno 1513. Scripsit: 1. *De Deo uno et trino quaestiones selectas juxta principia nostratis Gregorii Ariminensis.* 2. *Commentaria per quaestiones et dubia in quatuor libros sententiarum.* 3. *Ecclesiasticas traditiones variis quaestionibus illustratas.* 4. *De cultu et veneratione ecclesiarum libros duos.* 5. *Parvam logicam pro tyronibus.* Vide nostratem Calvi in Scena litteraria scriptorum Bergomensium.

Digitized by Google

Fr. Joannes Bannardus, Anglus, qui appellatur ab Ossinger vir omni litteratura doctissimus, ac theologus sui temporis nobilissimus, fuit Academiae Oxoniensis cancellarius. Florebat saeculo 15. Scripsit *eruditas quaestiones in Magistrum sententiarum.*

Fr. Joannes Baptista Franza, de Paula, S. Theologiae Bacc. anno 1685 Messanae praelo tradidit librum sub titulo: *Fiori soavi, prediche panegiriche.*

Fr. Joannes Baptista de Mediolano, qui floruit saeculo 14, nominatur a Philippo Argelati in Bibl. scriptorum Mediolanensium. Reliquit *tractatum integrum de restitutionibus.*

Fr. Joannes Baptista Penne, nobilis Perusinus, S. Theologiae Magister, in Romana Sapientia S. Scripturae professor, ac postea Episcopus Vigiliarum, qui cum sanctitatis fama ex hac vita migravit anno 1664, typis edidit italice absque nomine vitam S. Thomae de Villanova, atque conciones ejusdem.

Fr. Joannes Baptista Pi, de Palamo in Hispania, florebat anno 1693. Dicitur a nostrate Josepho Massot famosus poeta et orator. Typis evulgavit hispanice: 1. *Vitam S. Brunonis.* 2. *Varios libros versibus exaratos de rebus ad pietatem spectantibus.*

Fr. Joannes Baptista Prignani, nobilis Salernitanus, vir fuit pietate et doctrina conspicuus. A summo Pontifice Innocentio VIII una cum nostrate Augustino Interamnensi Commissarius Apostolicus designatus fuit pro regulari disciplina instauranda in iis Ordinis coenobiis, in quibus paulatim deficere coeperat. Floruit saeculo 15. Reliquit *historiam familiarum Normandorum.* Nominatur etiam a Nicolao Toppi.

Fr. Joannes Baptista Signorinus, Genuensis, theologus egregius, atque concionator famosus, fuit alumnus Congregationis Insubricae, in qua floruit saeculo 15. Reliquit: 1. *Librum de reliquiis et veneratione Sanctorum impressum Bono-*

Digitized by Google

niae anno 1600. 2. *Tractatum de cambiis.* 3. *Orationem de Deo, quam coram Innocentio VIII recitavit.*

Fr. Joannes Canon, Anglus, dicitur ab Ossinger vir eruditus, ac excellens poeta. Floruit saeculo 13. Scripsit poemata et vaticinia.

V. Joannes de Castro, alias de Castillo, Toletanus, qui ob insignem pietatem, apostolicum zelum, atque stipis erogationum copiam venerabilis titulum obtinuit, ab Ossinger appellatur vir eloquentia, et eruditione clarissimus. Fuit Archiepiscopus Novae-Granatae in Indiis occidentalibus. Decessit anno 1611. Scripsit: 1. *Vitam B. Alphonsi de Orosco.* 2. *Librum suarum meditationum, et soliloquiorum.*

Fr. Joannes Claponicus, Anglus, qui florebat anno 1264 vir fuit in SS. Scripturarum lectione versatissimus. Scripsit in psalmos davidicos. Adeas nostratem Ossinger.

Fr. Joannes de Cremona, qui floruit saeculo 13, dicitur ab Ossinger vir sacrarum litterarum scientia, eruditione, et studio excellens. Scripsit historiam ecclesiasticam, et alia.

FF. Joannes Damorin, et Franciscus Osorio, Hispani, cum ex Philippinis in Japoniam ad praedicandum Evangelium navigassent, apud civitatem Nangarachi ab infidelibus in odium Christi gladio necati sunt anno 1610.

Fr. Joannes de las Casas, Hispanus, sagittis confossus ab infidelibus Philippinarum martyr occubuit anno 1607.

Fr. Joannes Eboracensis, Anglus, vir divinis et humanis disciplinis egregie instructus, qui floruit saeculo 14 scripsit in symbolum apostolicum, orationem dominicam, et salutationem angelicam.

Fr. Joannes Langham, Anglus, S. Theologiae Doctor, atque in Cantabrigiensi Universitate ejusdem facultatis professor, insignis fuit sui temporis philosophus et theologus. Floruit saeculo 15. Laudatur praesertim a Joanne Baleo. Scripsit: 1. *Institutiones logicales.* 2. *Disputationes scholasticas.*

Fr. Joannes Lucas de Cremona, alumnus Congrega-

Digitized by Google

tionis Insubricae, vir fuit magna eloquentia praeditus, qui florebat anno 1482. Reliquit sermones quadragesimales.

Fr. Joannes Paulus Ravalli, Ferrariensis, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, fuit insignis theologus et mechanicus. Fato concessit in patria anno 1609, aetatis suae 56. Praelo tradidit: 1. Librum cui titulus: *Humanae vitae descriptio, sive de tribus humanarum actionum rectoribus juxta Platonem etc.* 2. Alterum sub titulo: *Phaenix in Lactantii Firmiani carmina de Phaenice Rapsadia.* In hoc agit de paradiso terrestri, de origine animae etc. Consule nostratem Calvi in memoriis.

V. Joannes Nicolaus Janvillas ita describitur in lapide sepulcrali, qui extat Neapoli in nostra S. P. Augustini majori ecclesia: *Venerabilis servi Dei fr. Joannis Nicolai Janvillas, Comitis S. Angeli, aliarumque civitatum Domini, Regibus Neapolitanis Carolo I, et II sanguine juncti, hac in urna ossa quiescunt. Amplissimo abdicato patrimonio, ac omni terrena felicitate posthabita, monasticum habitum in hoc coenobio suscepit, regiaeque stirpis ac suae dignitatis oblitus in fratrum laicorum numero esse voluit. Virtutibus omnibus eluxit, admirabili tamen fuit in pauperes caritate. Pluribus editis miraculis sanctus ab omnibus passim nuncupatus communi fato cessit anno Domini* 1449.

Fr. Joannes Perreja, Hispanus, animarum zelo incensus ad conversionem Indorum regionis Abrae in Philippinis magno cum fructu laboravit, atque ad fidem perduxit ac sacro baptismate abluit plusquam tria hominum millia, inter quos quidam illius populi regulus nomine Dumaval recensebatur. Obiit anno 1646.

Fr. Joannes Petrus Balada de Cariniano, Congregationis Insubricae alumnus, atque S. Theologiae Lector, anno 1671 evulgavit librum de re theologica sub titulo: *Sapientiae breves semitae ex D. Augustini magisterio etc.*

Fr. Joannes Rueda, Mexicanus, S. Theologiae Magister

Digitized by Google

atque Philosophiae professor in Mexicana Universitate, vir fuit singularis ingenii et indefessi studii, qui in Mexicana Bibliotheca nostratibus Berti et Noris comparatur. Reliquit varia manuscripta, quae nimirum sunt: 1. *Augustinus suimet interpres in his, quae de Christi gratia docuit contra heterodoxos.* 2. *Commentarium in orationem Ciceronis pro Marco Marcello.* 3. *Orationem panegyricam S. Bernardi Abbatis, quam praelo tradidit anno* 1691.

B. Joannes de Salimbenis, nobilis Senensis, unus fuit ex illis Ilicetanis nostratibus, qui una cum B. Stephano Cioni congregationem canonicorum Scopetinorum instituerunt. At postea pristini status memor, atque quietis amans obtenta a Pontifice facultate ad Augustinianos reversionem fecit, et bene, gradatimque, ut ait Landuccius, per scalam perfectionis ascendens ad aeternam patriam pervenit die 12 Junii anni 1435.

V. Fr. Joannes a S. Josepho, Mexicanus, laicus conversus, fuit socius V. Bartholomaei de Jesu Maria, ejusque virtutum imitator, ac proinde exemplar fuit pietatis, obedientiae, humilitatis, abstinentiae, contemptus rerum humanarum, angelicae puritatis, mortificationis, uno verbo omnium religiosarum virtutum. Cum multos annos in sanctuario de Chalma moratus fuisset, cultum erga illam SS. Crucifixi imaginem maxime promovit. Silentium, atque recessum adamabat, flagris ac ciliciis membra affligebat, atque assiduae orationi operam dabat. Gravi morbo correptus Mexicum missus fuit, ut ibidem commodius curaretur; ast vis morbi cum superari non potuerit, Joannes noster sanctitatis odorem relinquens occubuit anno 1689, aetatis suae 60, die et hora passionis Domini, erga quam peculiarem devotionem professus fuerat. Ex nostrate Joachimo Sardo.

Fr. Joannes Stringarius unus fuit e quindecim Augustinianis theologis, qui una cum Generali Gerardo Ari-

Digitized by Google

minensi interfuerunt Concilio Florentino, atque strenue se gesserunt contra graecos et armenos. Potissimam autem laudem sibi compararunt noster Stringarius, Franciscus Nerli, Rudolphus Castellani, et Gregorius de Alexandria. Florebat anno 1434. Scripsit in quatuor libros sententiarum.

Fr. Jordanus de Argentina, Germanus, S. Theologiae Magister, qui dicitur ab Ossinger vir undequaque doctus, in exponendis divinis litteris praestans, et divini verbi praeco fervidus, floruit initio saeculi 15. Scripsit sermone latino chronica, in quibus demonstrat qualiter Romanum imperium translatum sit ad Germanos. Hoc opus impressum fuit Basileae anno 1519, Argentinae 1609, et Francofurti 1614

Fr. Josephus Arias, Hispanus, in oppido Bacarra in Philippinis crudeliter occisus martyrii palmam meruit obtinere anno 1661. Ejus corpus decem post dies incorruptum et suavem spirans odorem repertum fuit. Eodem anno martyrii palmam obtinuit fr. Josephus a S. Maria.

Fr. Josephus Ballester, Barcinonensis, fuit multos annos Theologiae professor in Universitate Ilerdensi. Obiit Palami anno 1668. Typis evulgavit hispanice multos sermones de Sanctis, funebres, et alios.

Fr. Josephus Bonafides, Pedemontanus, S. Theologiae Magister, et verbi Dei praeco, Taurini anno 1655 praelo tradidit librum sub titulo: *Successi della miracolosa imagine della SS. Annunziata nuovamente scoperta nella città di Chieri.*

Fr. Josephus Bonafides, Lucensis, S. Congregationis Indicis consultor, ac serenissimi Principis Mathiae ab Hetruria theologus, et concionator eximius, anno 1659 Venetiis praelo tradidit librum de familia Ghisiorum sub titulo: 1. *Ghigi augusti.* 2. *De sacro clavo D. N. J. C. qui Colle in Hetruria asservatur.*

Fr. Josephus Casquete, Hispanus, Prior coenobii Murciae, vir fuit sanctitate vitae, ac poenitentiae rigore specta-

Digitized by Google

bilis. Decessit cum opinione sanctitatis anno 1722. Ejus corpus integrum ac suavem odorem exhalans usque ad annum 1837 servatum fuit, quo a militibus concisa atque dispersa ejus membra a fidelibus collecta atque in Murciano S. Augustini templo honesto loco reposita fuerunt.

Fr. Josephus Massot, Ilerdensis, Prior Barcinonis, et postea Provincialis, anno 1699 typis edidit compendium historicum de Augustinianis regni Catalauniae.

Fr. Justinianus de Guarinis, Cremonensis, qui floruit saeculo 16 dicitur ab Ossinger vir omnium litterarum eruditione eximius, et vas electissimum praedicationis verbi divini. Reliquit conciones super *Salutationem Angelicam.* Laudatur etiam a Francisco Arisio, atque a nostrate Donato Calvi.

Fr. Laurentius de Cremona, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, qui obiit Romae anno 1511, reliquit sermones quadragesimales, et alia.

Fr. Laurentius Francius, Pistoriensis, S. Theologiae Magister, anno 1649 typis evulgavit *cursum philosophicum ad mentem Aegidii Columnae.*

Fr. Laurentius Lambugnanus, Mediolanensis, Vicarius generalis Congregationis Insubricae, fuit insignis sui temporis orator. Ex hac vita migravit anno 1527. Composuit *Corpus philosophicum ex primariis Ordinis nostri scriptoribus collectum.* Vide Argelati.

V. Leonardus Savini de Lilibaeo, Siculus, post uxoris obitum eremeticam vitam amplexus fuit, ac deinde Augustinianae Familiae nomen dedit, in eaque sacerdos inauguratus assiduis austeritatibus ac precibus operam dabat. Huic anno 1518 in somniis apparens gloriosa omnium regina praecepit, ut terram subter quoddam magnum saxum effoderet ipsius simulacrum ibidem inventurus. Et revera populus ab illo excitatus solidam cautem demoliri coepit, ac post quatuor annos quaesitus thesaurus inventus fuit, parva nimi-

Digitized by Google

rum statua B. Mariae Virginis, quae statim sub invocatione *de Cava* miraculis clarescere coepit. Ex P. Octaviano Cajetani Jesuita tom. 2 de vitis Sanctorum Siculorum.

Fr. Ludolphus Saxo de Silesia, qui Concilio Pisano interfuit anno 1409, et scripsit in S. Scripturam commentarios, atque librum adversus schisma, vitam cum morte commutavit anno 1422.

Fr. Ludovicus Ajazza, Vercellensis, Congregationis Insubricae alumnus, S. Theologiae professor, et divini verbi praeco excellens, scripsit latine volumen sermonum. Obiit anno 1543. Vide Rossotum de Scriptoribus Pedemontanis.

Fr. Ludovicus de Alarcon, Hispanus, alumnus provinciae Castellae, qui doctrina, morumque probitate claruit, anno 1547 Compluti lingua patria scripsit, typisque edidit librum, quo docetur via perveniendi ad coelum.

Fr. Mansuetus de Notho, Siculus, conversus Congregationis Centurbiensis, virtutibus, prophetiis, ac miraculis clarus obiit anno 1669, aetatis suae 70 in coenobio S. Mariae regalis, ubi etiamnunc a fidelibus invocatur.

Fr. Martinus Claver, Hispanus, qui obiit Matriti anno 1646, praelo tradidit historiam provinciae SS. Nominis Jesu in Philippinis tribus voluminibus contentam.

Fr. Martinus Roobaert, Gallus, S. Theologiae doctor, ac concionator praestantissimus, anno 1519 typis edidit sermones novem de doloribus B. Virginis Mariae. Composuit etiam sermones de miraculis ejusdem.

Fr. Marcellinus Marmori, Mediolanensis, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, florebat circa initium saeculi 16. Laudatur ab Argelati. Reliquit sermones de Sanctis nostrati Archiepiscopo Gabrieli Sfortiae nuncupatos.

B. Matthaeus de Lucignano Vallis Clanarum, Hetruscus, cunctarum virtutum splendore, quibus emicabat, Ilicetanam sylvam magis magisque illustravit. Beato fine quievit anno 1436. Ex nostrate Landuccio.

Digitized by Google

Fr. Matthaeus Masius, de Monte Sancto in Piceno, scripsit vitam S. Gerii circa annum 1270 defuncti, quam edidit Henschenius in actis Sanctorum tomo sexto pag. 159.

Fr. Melchior Reyes, Hispanus, anno 1563 transivit in Mexicum, ubi viginti annos fuit apud illam Universitatem S. Scripturae professor. Vir fuit ingenio vivaci, amoeno, atque praecellenti praeditus, qui nedum hispanicam linguam callebat, verum etiam graecam atque hebraicam, necnon varia indorum idiomata. Notatur potissimum ejus oculorum modestia. Inter viros qui ab Hispania novum orbem illustraturi illuc appulerant omni scientiarum genere excelluisse creditur. Fuit in primis celebris theologus. Ex hac vita migravit anno 1593 relinquens varia pretiosa manuscripta.

Fr. Michael Mombolò, Barcinonensis, vir parvae staturae, sed magni ingenii, fuit celebris poeta, eminens theologus atque eloquentissimus concionator. Obiit Barcinone anno 1688. Typis edidit *vitam nostrae B. Veronicae de Binasco sermone patrio exaratam.*

Fr. Michael de S. Josepho, Japonensis, ex christianis parentibus in Japonia ortus, usque ab infantia timorem Domini in corde gestare coepit. Juvenis optimae indolis cupiens se Deo in Ordine nostro totum dicare, patriam atque parentes deseruit, et in Manilensi nostratum coenobio tunicam induit anno 1625. Per aliquot annos ibidem commoratus non minus virtute quam scientia profecit, atque sacerdos inauguratus, quippe qui animarum zelo flagrabat, in Japoniam remeavit una cum alio nostrate Francisco de Gratia Lusitano. Sed cum eo tempore immanis in christianos persecutio saeviret, a socio discedere coactus fuit, et sese in occulto continere. Multa loca ob diram persecutionem mutare debuit, sed inter aerumnas, animique angores per multum temporis Dei providentia servatus, in

Digitized by Google

vinea Domini magno cum fructu adlaboravit, multumque difficillimis temporibus solatium fidelibus attulit. Tandem a satellitibus comprehensus, et per ignem probatus gloriosum martyrium consummavit anno 1635.

Fr. Modestus Montecatini, Ferrariensis, Congregationis Insubricae Vicarius generalis, fuit celeberrimus theologus, et concionator, qui a Marco Antonio Guarino in compendio historico civitatis Ferrariensis dicitur famosus cathedraticus, et concionator magni nominis. Ex hac vita migravit anno 1548.

Fr. Nicolaus degli Avanzi, Bononiensis, alumnus Congregationis Insubricae, nuncupatur ab Ossinger vir divinarum rerum peritissimus, et inter concionatores suo tempore praecipuus. Florebat saeculo 16. Scripsit quaedam adversus judaeos, ut videre licet apud Mazzuchellium.

Fr. Nicolaus de Byart, Germanus, S. Theologiae Bacc. vir eloquentia ac sacrarum litterarum peritia praestans, floruit saeculo 15. Composuit librum cui titulus: Distinctiones exemplorum novi et veteris testamenti, qui anno 1485 praelo traditus fuit sub titulo: *Incipiunt distinctiones exemplorum novi, et veteris testamenti abbreviatae et redactae ad diversas materias secundum ordinem alphabeti etc.* Scripsit etiam sermones de tempore, et de sanctis, itemque placita theologica. Vide nostratem Ossinger.

Fr. Nicolaus Zaldivar, Mexicanus, fuit in Europa procurator generalis provinciae SS. Nominis Jesu Novae Hispaniae, et postea Episcopus Novae Caceres in Philippinis anno 1641. Reliquit descriptionem earumdem insularum.

Fr. Paschalis Perino, Bergomensis, claruit vitae integritate atque doctrina, quippe qui praeter philosophicas et theologicas disciplinas calluit etiam mathesim, astronomiam, et linguam graecam. Potissimum autem excelluit pietate erga Deiparam. Decessit anno 1512, aetatis suae 77.

Digitized by Google

Scripsit: 1. *De miraculis gloriosissimae genitricis Dei Mariae ad devotorum consolationem.* 2. *De interrogationibus faciendis in confessione.* 3. *De septem vitiis capitalibus.* 4. *Historiam S. Nicolai de Tolentino.* 5. *Exercitia spiritualia, et praedicabilia.*

Fr. Paulus de Palagonia, Siculus, conversus Congregationis Centurbiensis, virtutibus ac miraculis clarus vitam cum morte commutavit in coenobio S. Leonardi Melitelli anno 1627, fuitque in sacrario sepultus.

V. Petrus de Arce, Hispanus, fuit Provincialis insularum Philippinarum, ubi anno 1621 extruxit monasterium SS. Conceptionis Zebù. Anno 1609 creatus fuit Episcopus Cacerensis, et postea SS. Nominis Jesu. Vivebat adhuc anno 1643.

Fr. Petrus Bilswardiensis, Hollandus, vir fuit cognitione mathesis atque historiae celeberrimus. Scripsit chronicon Brabantiae et Frisiae ab anno 1281 usque ad 1550. Vide Swertium in Athenis Belgicis.

Fr. Petrus Carpentier, Belga, qui florebat saeculo 17, dicitur ab Ossinger excitati ingenii poeta. Typis evulgavit: 1. *Librum de cultu S. Barbarae virginis et martyris.* 2. *Lessum super Miserere, et De profundis.* 3. *Plura etiam drammata.*

Fr. Petrus de Castelletto, Mediolanensis, Congregationis Insubricae alumnus, et S. Theologiae Magister, appellatur ab Ossinger vir variis scientiis exornatus, clarus poeta, atque orator perfectissimus, qui in exequiis Joannis Galeatii Ducis Mediolanensis orationem funebrem recitavit. Florebat saeculo 14. Scripsit: 1. *Genealogiam Vicecomitum Mediolanensium.* 2. *Eclogam ad Franciscum Sfortiam.*

Fr. Petrus Farget, Gallus, S. Theologiae Doctor, dicitur ab Ossinger praestans historicus, et in S. Scriptura egregie eruditus. Anno 1490 typis evulgavit: *Fasciculum temporum, seu breviarium temporum, aut chronica brevia*

Digitized by Google

mirabilium operum Dei in antiquo testamento. Item ex latino in gallicum vertit librum cui titulus: *Consolatio pauperum peccatorum etc.* et alterum sub titulo: *Speculum vitae humanae etc.*

Fr. Petrus Maldonado, nobilis Hispalensis, ex Jesuita factus Augustinianus, claruit insignis concionatoris nomine, multaque rerum divinarum, atque profanarum scientia. Obiit in patria anno 1614, aetatis suae 38. Typis edidit: 1. *Lectiones sacras in primam canonicam D. Joannis epistolam.* 2. *Commentaria in 27 priores psalmos David.* 3. *Consilium justorum.* 4. *Librum spiritualem pro lectione et meditatione.* Haec duo postrema scripsit sermone patrio.

Fr. Petrus de Mesa, natus Manilae in Philippinis, atque illius coenobii alumnus, lanceis ab idololatris confossus spiritum Deo reddidit anno 1664 in insula Panay.

Fr. Petrus Montalt, Hispanus, S. Theologiae Magister, atque in Universitate Gerundae professor, obiit senex anno 1688. Impressit: 1. *Panales muy sabrosos para dulzura del alma.* 2. *Sermones quadragesimales.* 3. *Examen studentium super quatuor libros sententiarum.* Haec duo postrema scripta sunt sermone latino.

Fr. Petrus Montejo, Hispanus, alumnus Provinciae Philippinarum, cum ex Japonia ad Philippinas navigaret, ab haereticis Hollandis captus, dum in navi ferventius oraret plumbea glande e scopleto emissa in odium fidei occisus fuit anno 1617.

Fr. Petrus Nicolaus Mutius, Bergomensis, celeberrimus concionator, fuit Congregationis Insubricae Vicarius generalis. Obiit Romae anno 1596. Illum vocat noster Card. Aegidius Viterbiensis comitatis, urbanitatis, et mansuetudinis omnis speculum, de eoque Achilles Mutius ita cecinit in suo theatro Bergomensi:

Quo Petre Nicola Muti venerande sacerdos
Carmine te extollam, semideisque parem?

Digitized by Google

Tu vox, tu calamus, sacrae tu splendor heremi.
Tu patriam illustras, pulpita celsa colis.
Quanti te faciant aulae regumque ducumque
Scripta docent, cerae, munera magna, favor.
Hinc merito in cellis sophiae jureque locandus
Qui sophiam toto pectore, et ore tenes.

Fr. Petrus de Paternis, Gallus, nuncupatur ab Ossinger vir doctrinae singularis, et exquisitae eruditionis. In lucem emisit: 1. *Librum contra Judaeos.* 2. *Librum de necessitate, et sufficientia vitae humanae.* Florebat saeculo 14.

Fr. Petrus Rabbi, Avenionensis, S. Theologiae Doctor, ab anno 1610 ad 1619 typis edidit: 1. *Sylvam poeticam.* 2. *Vitam et miracula nostrae B. Clarae de Montefalco.* 3. *Annotationes in regulam S. P. Augustini.* 4. Librum idiomate gallico exaratum sub titulo: *Rosa aurea paradisi B. Virginis.*

Fr. Philippus Moreira, Ulyssiponensis, S. Theologiae Doctor Conimbricensis, regius concionator, atque S. Inquisitionis consultor, obiit cum opinione sanctitatis Conimbricae anno 1645. Typis edidit varios sermones in diversis occasionibus habitos.

Fr. Philotheus de Cremona, alumnus Congregationis Insubricae, qui dicitur ab Ossinger vir in Theologia et SS. Patribus versatissimus, necnon S. Scripturae interpres profundus, florebat anno 1594. Reliquit quaedam concionatoria.

Fr. Salvator de Regalbuto, Siculus, alumnus Congregationis Centurbiensis, sanctitate ac miraculis clarus obiit anno 1670, fuitque in regali S. Mariae coenobio sepultus.

Fr. Sanctes Riccetelli, de Monte-Regali, S. Theologiae Magister, et Assistens, anno 1603 Romae praelo tradidit *librum italicum, in quo sunt 24 lectiones super psalmum Miserere.* Impressit etiam *compendium vitae B. Andreae de Monte-Regali.*

Fr. Richardus Chefer, Anglus, qui florebat saeculo 14, fuit sua aetate elegantissimus verbi Dei praeco. Laudatur

Digitized by Google

praesertim a Thoma Tannero, et Joanne Baleo. Reliquit: 1. *Sermones elegantes*. 2. *De quatuor novissimis*. 3. *Librum collationum*. 4. *Sermonem in nativitate Domini*. Vide Ossinger.

Fr. Rosarius Costa, Panormitanus, S. Mariae Virginis nutu ad Eremitanum Ordinem vocatus, eidem Virgini perpetuum famulatum exhibuit; nam erecto in suo cubiculo super altare illius simulacro, cui suas preces diu noctuque deferre solebat, suam cellulam in sacellum convertit. Erat e conversorum numero. Pie obiit anno 1735, aetatis suae 65.

Fr. Seraphinus Ferrari, Bergomensis, Congregationis Insubricae alumnus, vir fuit religiosis virtutibus, ac sacra scientia conspicuus. Tribus vicibus Bergomensis coenobii priorem egit. Obiit in patria anno 1599, aetatis suae 61. Scripsit: 1. *Commentaria in Cantica Canticorum secundum sensum litteralem, allegoricum, et anagogicum lingua latina et italica, tom.* 3. 2. *De custodia angelorum lib.* 2. 3. *Sermones ad fratres*. 4. *Opuscula varia*. Vide nostratem Donatum Calvi in Scena litteraria scriptorum Bergomensium.

Fr. Seraphinus de Ferris, Ilicetanus, qui dicitur a nostrate Card. Aegidio de Viterbio *pater sanctus*, vir fuit omnibus virtutibus praeditus, et apud multos Principes magna in existimatione habitus. Florebat anno 1530. Praclo tradidit gesta B. Petri de Pettinaris. Vide Landuccium.

B. Stephanus Cioni, nobilis Senensis, postquam inter Ilicetanos nostrates ingentem sibi virtutum suppellectilem collegerat, Gregorii XII ope suffultus simul cum aliis Ilicetanis Patribus in Augustiniano coenobio SS. Salvatoris in agro Senensi sito congregationem Canonicorum regularium, qui vulgo Scopetini vocantur, instituit anno 1408. Obiit Bononiae illustribus decoratus miraculis, ut ait noster Landuccius, die 28 Octobris anni 1433.

Fr. Stephanus Marin, Hispanus, anno 1601 in Philippinis sanguine effuso martyr occubuit.

Fr. Theodorus Ferronius de S. Geminiano, Hetruscus,

Digitized by Google

qui dicitur a Landuccio magnus verbi Dei praeco, fuit S. Theologiae Magister, qui florebat apud Ilicetanam Congregationem circa medietatem saeculi 17. Praelo tradidit vitas B. Bartholi, et B. Finae de S. Geminiano.

Fr. Thomas Ascheburnus, Anglus, patria Derbiensis, Oxoniensis Doctor, et cathedraticus, cum esset et multiplici doctrina, et zelo fidei plenus, omnes quos potuit in Wiclephum concitavit ut illius erroneam doctrinam dictis factis scriptisque detestarentur. Contra eumdem haeresiarcham ipsemet multa fecit scripsit et praedicavit. Denique eo maxime instigante anno 1382 super hoc negotio Londini synodus convocata fuit, cui ipse cum decem Episcopis, quadraginta quatuor theologis et viginti jurisperitis interfuit ubi tandem haeresis Wiclephi solemniter damnata fuit. Anno 1390 erat Regens in coenobio Londinensi. Scripsit: 1. *Extractiones ex S. P. Augustino*, *lib.* 1. 2. *Lecturas Bibliorum*, *lib. plures.* 3. *Sermonum lib.* 1. 4. *Contra Trialogum Wiclephi lib.* 1. 5. *De identitate in Sacramento lib.* 1. 6. *Replicationum suarum lib.* 1. 7. *Quaestiones ordinarias*, *lib.* 1. Ex Joanne Pitseo.

Fr. Victorius Carcani, Venetus, S. Theologiae professor, qui florebat circa initium saeculi 17 multas typis edidit orationes latinas ad varios Summos Pontifices et Cardinales, quae habentur in Bibl. Angelica variis voluminibus contentae.

Fr. Wolfgangus Capelmair, Bavarus, S. Theologiae Doctor, teste Joanne Eckio, illis turbulentis novae pseudodoctrinae temporibus ut splendor verae fidei eluxit, eique serenissimus Bavariae Dux Albertus fidem catholicam in sua Bavaria conservatam adscripsit. Fato concessit Monachii anno 1546. Praelo mandavit: *Opus eruditissimum de littera occidente, et spiritu vivificante.* 2. *Quid sit verum, christianum, et vivificum Evangelium Domini nostri Jesu Christi.*

Fr. Zacharias de Bozonis, Ligur ex oppido Millesimi, quia Savonae habitum induit Savonensis nuncupatur. Fuit

Digitized by Google

aliquandiu Prior Savonae ad S. Augustinum, ac postea Romae per aliquot annos in D. Petri primaria Basilica poenitentiarii officium gessit. A conterraneo suo Julio II juxta Gandolphum anno 1504 Sacrista constitutus fuit, licet Pamphilus referat ejus electionem ad annum 1498. Decessit praefato anno 1504. Scripsit tractatum de sacris ritibus. Vide Ossinger.

Fr. Zaccharias Ferrari, Mediolanensis, dicitur ab Argelati humanarum litterarum, linguarumque graecae atque hebraicae cultor eximius. Fuit S. Theologiae Magister, et suae Congregationis Insubricae Vicarius generalis. Florebat circa medietatem saeculi 16.

Plures et plura invenies apud sequentes nostrates scriptores, quorum catalogum ideo confeci, ut illos nimirum consulere valeat, qui uberiores de rebus nostris notitias quaerit.

SCRIPTORES AUGUSTINIANI QUI DE REBUS NOSTRIS ALIQUID LITTERIS MANDARUNT.

Fr. Aegidius Crapols, Liburnus, anno 1713 Romae praelo tradidit *vitam S. Nicolai de Tolentino italice exaratam*. Est in Bibliotheca Angelica.

Fr. Aegidius Fonseca, alias a Praesentatione, Lusitanus, confecit opus cui titulus: *Primas Augustinianaeus, sive Praerogativa praecellentiae Ordinis Eremitarum S. P. Augustini*, quod in ordinem digessit, auxit, praeloque tradidit Coloniae Agrippinae anno 1627 noster Nicolaus Plenevaulx Belga. Asservatur in Angelica.

Fr. Aegidius Marconi, Aesinas, anno 1624 Aesii edidit *Indicem alphabeticum Sanctorum, et Beatorum utriusque sexus Ordinis nostri.*

Digitized by Google

Fr. Aemilius Rasponinus, Ravennas, anno 1627 Ravennae impressit *vitam S. Thomae de Villanova*, cujus etiam sermones edi curavit.

Fr. Alexander Bencivenius, Florentinus, anno 1628 Florentiae typis mandavit *vitam et miracula B. Ritae de Cascia italice conscripta.*

Fr. Aloisius Torelli, Bononiensis, anno 1647 edidit *compendium vitarum Sanctorum, Beatorum, ac Venerabilium utriusque sexus Ordinis nostri in sex centurias distributum.* Item ab anno 1659 ad 1686 in lucem emisit *Saecula Augustiniana, sive historiam generalem Ordinis in 13 saecula divisam, atque octo voluminibus in folio comprehensam.* Scripsit etiam anno 1671 *brevem narrationem vitae, miraculorum, et martyrii SS. Liberati, Bonifacii, Servi, Rustici, Rogati, Septimi, et Maximi.* Haec omnia italice conscripta, typisque edita extant in Angelica. Tandem traduxit in linguam italicam *vitam B. Alphonsi de Orosco nostratis Joannis Marquez*, quae versio est in Angelica.

Fr. Alphonsus de Aragon, Hispanus, scripsit sermone patrio *vitam B. Ritae de Cascia*, quam impressit Matriti anno 1628.

Fr. Alphonsus Daniel, Neapolitanus, anno 1596 impressit *italicum compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Alphonsus Dominquez, Hispanus, anno 1696 Romae praelo tradidit librum sub titulo: *Confessioni del servo di Dio Fr. Alfonso di Orosco.* Est in Angelica.

V. Alphonsus de Orosco, Hispanus, anno 1551 sermone patrio scripsit *Chronicon Ordinis Augustiniani*, quod impressum asservatur in Angelica.

Fr. Alphonsus de Villerino, Hispanus, Matriti anno 1690 impressit opus sub titulo: *Esclarecido Solar de las religiosas recoletas de nuestro P. S. Augustin.* Est in Angelica.

Fr. Ambrosius Bochius, Belga, Bruxellis anno 1621

Digitized by Google

impressit *compendium vitae S. Thomae de Villanova ex hispanica in flandricam linguam translatum.*

Fr. Ambrosius Cantalupus, Januensis, anno 1576 impressit *libellum de admirabili prodigio SS. Virginis Liberatricis Viterbii.*

Fr. Ambrosius Frigerius, Vicentinus, anno 1603 Mediolani, et 1610 Romae praelo mandavit *vitam S. Nicolai de Tolentino italice exaratam.* Est in Angelica.

Fr. Ambrosius Landucci, Senensis, Episcopus Porphyriensis, anno 1643 Senis latine edidit *Sacram Ilicetanam Sylvam, sive originem, et chronicon breve coenobii, et Congregationis de Iliceto,* et italice Romae 1647. Item Romae anno 1646 impressit *Originem templi S. Mariae de Populo, et* 1656 *Imaginem, seu vitam nostratis V. Nicolai Mariscotti.* Sunt in Angelica.

Fr. Ambrosius Massarius, de Cora, nostri Ordinis famosus Generalis, anno 1481 Romae excudit *Chronica Ordinis nostri, ubi agit de viris sanctitate ac doctrina illustribus, de Generalibus, et de privilegiis Ordinis.* Item impressit *Defensorium Ordinis contra Dominicum Tarvisinum et Eusebium Mediolanensem Congregationis Frisonariae canonicos regulares.* Habentur in Angelica.

Fr. Ambrosius Senensis anno 1524 Venetiis praelo tradidit *vitam S. Nicolai de Tolentino ex latino in italicum sermonem translatam.* Alia editio facta fuit Maceratae anno 1592.

Fr. Ambrosius Staibanus, Tarentinus, Neapoli anno 1608 impressit opus italicum duobus tomis distinctum sub titulo *Templum Eremitanum, in quo agitur de antiquitate, Sanctis, ac Beatis Ordinis nostri.* Est in Angelica.

Fr. Andreas Biglia, Mediolanensis, qui floruit saeculo 15, scripsit *tractatum de Ordinis nostri propagatione impressum Parmae anno* 1601.

Fr. Andreas Gelsominus, Cortonensis, et Episcopus Asculanus in Apulia, anno 1630 Romae edidit *librum itali-*

Digitized by Google

cum de origine et miraculis paniculorum S. Nicolai de Tolentino. Habetur in Angelica.

Fr. Andreas Leveratus, Genuensis, anno 1644 Genuae impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Angelus Belluomo, Picenus, anno 1625 Maceratae edidit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Angelus de Cremona, qui floruit saeculo 15, scripsit *apologiam Ordinis nostri.*

Fr. Angelus Hoggmair, Bavarus, Monachii anno 1729 impressit *catalogum Priorum Provincialium totius Germaniae etc.* Item *Monasteria Romana et Germanica cum chartis topographicis.* Hoc postremum opus est in Angelica.

Fr. Angelus Maria de Orgio Fulginii anno 1743 typis mandavit *historiam S. Mariae de bono Consilio italice exaratam.* Habetur in Angelica editio romana 1790.

Fr. Angelus Maria Sommariva, Mediolanensis, anno 1667 Brixiae impressit librum cui titulus: *La mostruosa santità del gran Tolentinate* etc.

Fr. Angelus de Senis anno 1597 Senis praelo tradidit *vitam B. Clarae de Montefalco.*

Fr. Anselmus Hormanseder, Vindobonensis, anno 1733 Viennae typis mandavit opus magna pietate atque stylo germanico non minus erudito quam ornato contextum sub titulo: *Annus Sanctus Augustinianus, idest morales annotationes de vita, morte, virtutibus, et miraculis Sanctorum, Beatorum, et Venerabilium utriusque sexus Ordinis nostri dispositae in singulos dies.*

Fr. Antoninus Hohn, Svevus, anno 1744 Herbipoli impressit *Chronologiam provinciae Rheno-Svevicae Ord. Erem. S. P. Augustini, quae continet seriem Provincialium, aliorumque virorum illustrium, ortum, ac progressum Provinciae etc.* Opus latinum quod asservatur in Angelica.

Fr. Antonius de Azevedo, Hispanus, anno 1607 scripsit lingua patria, typisque tradidit *Chronicon Ordinis.*

Digitized by Google

Fr. Antonius de la Calancha, Peruanus, anno 1638 Barchinone impressit *historiam Ordinis S. P. Augustini in Peruvia*. Opus hispanicum, quod asservatur in Angelica.

Fr. Antonius Dulciatus, Florentinus, anno 1525 Florentiae impressit *Vitam S. Nicolai de Tolentino italico sermone descriptam*.

Fr. Antonius Gagliardi de Rota, Mediolanensis, anno 1678 Mediolani praelo tradidit *librum italicum de S. Cingulo B. Mariae Virginis*.

Fr. Antonius de Govea, Lusitanus, anno 1624 Matriti impressit *vitam B. Clarae dè Montefalco*.

Fr. Antonius Mozo, Hispanus, qui obiit Manilae anno 1794, praelo tradidit *historiam missionum Augustinensium*.

Fr. Antonius a Nativitate, Lusitanus, sermone patrio edidit Ulyssipone anno 1663 *Montes coronarum S. P. Augustini in sua Religione acceptarum, et tractatum de S. Cinctura* 1627. Extant in Angelica.

Fr. Antonius a Purificatione, Lusitanus, anno 1634 Ulyssipone praelo mandavil latinum opus, cui titulus: *Theatrum triumphale, sive index rerum notabilium Provinciae Lusitanae sexdecim choris distinctus*. Item postea impressit *libros tres sermone latino exaratos de viris illustribus, atque lingua patria historiam ejusdem Provinciae, nec non apologiam Ordinis*. Excepto primo caetera habentur in Angelica.

Fr. Antonius a S. Romano, Granatensis, qui floruit saeculo 16 scripsit *historiam BB. nostrorum Joannis de Moja, Antonii de Roa, et Francisci de Cruce*.

Fr. Athanasius de S. Agnete, Gallus, anno 1643 Lugduni typis edidit librum gallicum sub titulo: *Candelabrum aureum templi Salomonis, in quo agit de Praelatis, et Religionibus, a quibus S. P. Augustini regula servatur*. Est in Angelica.

Fr. Aurelius Bassus, Mediolanensis, qui obiit Romae anno 1616, ibidem impressit *historiam S. Mariae de Populo*.

Digitized by Google

Fr. Aurelius Philippini, Picenus, anno 1612 Romae edidit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Aurelius Knippinga, Belga, anno 1672 edidit *ephemerides Sanctorum Ordinis nostri.*

Fr. Augustinus Antolinez, Hispanus, Archiepiscopus Compostellanus, Salamanticae anno 1605 impressit *vitam S. Joannis a S. Facundo, et* 1613 *vitam B. Clarae de Montefalco.*

Fr. Augustinus Arpe, Genuensis, anno 1722 Genuae italice edidit *Diarium Sanctorum, ac Beatorum Ordinis nostri.* Item ibidem anno 1709 *Pantheon Augustinianum, in quo versibus latinis agit de Sanctis, ac Beatis Ordinis nostri,* et Bononiae 1699 *memorias ejusdem Ordinis.* Sunt in Angelica.

Fr. Augustinus Cavallucci, Fulginas, anno 1610 Florentiae impressit *vitam B. Ritae de Cascia.* Est in Angelica.

Fr. Augustinus de Claravallensibus, Umber, anno 1564 Fulginii impressit *vitam B. Clarae de Montefalco.*

Fr. Augustinus Lubin, Gallus, anno 1659 latine typis edidit *Orbem Augustinianum, sive conventuum Ord. Erem. S. P. Augustini chorographicam, et topographicam descriptionem.* Extat in Angelica.

Fr. Augustinus Osorius, Lusitanus, anno 1614, impressit *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Augustinus Sabbathius, Belga, Leodii anno 1622 impressit *vitam B. Clarae de Montefalco.*

Fr. Bartholomaeus de Azevedo, Lusitanus, vir sanctitate vitae praeclarus, qui obiit Ulyssipone anno 1640, reliquit *historiam generalem Ordinis nostri ineditam.*

Fr. Bartholomaeus de Palatiolo, Bergomensis, anno 1484 impressit Papiae *Martyrologium copiosum, in quo plurimorum Beatorum, et Venerabilium Ordinis nostri merita recensentur.*

Fr. Benedictus de Aste, Hispanus, anno 1670 impressit *vitam S. Thomae de Villanova.* Item *manuale chori secundum usum Ordinis S. P. Augustini.* Est in Angelica.

Digitized by Google

B. Benignus de Genua, qui floruit saeculo 15, scripsit *librum de primordiis Augustinianae Congregationis Insubricae.*

Fr. Bernardus Monaldi, Senensis, qui floruit saeculo 16 scripsit *de viris illustribus coenobii Ilicetani, et vitam B. Joannis Ghisii.*

Fr. Bernardus Navarro, Hispanus, anno 1614 Barcinone impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Bernardus de Torres, Hispanus, anno 1657 Limae impressit *historiam Provinciae Peruanae sermone patrio exaratam.* Est in Angelica.

Fr. Blasius Suaret, Lusitanus, qui floruit saeculo 16, scripsit *vitas nostrarum VV. Margaritae de Clavibus et Elisabethae de Miranda.*

Fr. Bonaventura Attardi, Siculus, Panormi anno 1741 italice impressit *Monachismum Ordinis S. P. Augustini in Sicilia.* Est in Angelica.

Fr. Bonaventura Wunder, Germanus, anno 1752 sermone patrio *librum edidit de sanctitate, et miraculis S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Camillus Nocci, Florentinus, typis mandavit *relationem de variis Beatis Congr. Ilicetanae.*

Fr. Camillus Thoma, Aesinas, anno 1625 Arimini praelo tradidit *vitam S. Matris Monicae, et vitam, miracula, et revelationes B. Clarae de Montefalco, atque originem et miracula paniculorum S. Nicolai.* Sunt in Angelica.

Fr. Carolus a Boischot, Belga, vir eruditione ac pietate insignis, qui obiit Bruxellis anno 1641, Lovanii typis evulgavit *Caeremoniale Ordinis nostri.*

Fr. Carolus Constantius Rabbi, Bononiensis, anno 1726 Bononiae italice impressit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Carolus Moreau, Gallus, Antuerpiae anno 1650 latine edidit *Vindicias quadripartitas pro D. Augustino, et Augustinianis.* Item *Zodiacum mysticum, sive analogiam zonae*

Digitized by Google

Augustinianae, et coelestis, Tornaci anno 1631. Asservantur in Angelica.

Fr. Carolus Milanutius a S. Anatolia in Piceno, musicus, poeta, et orator, Venetiis anno 1632 *librum edidit de miraculis paniculorum S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Carolus Veron, Belga, Antuerpiae anno 1631 impressit *vitas BB. Clarae de Montefalco, et Ritae de Cascia.*

Carthae geographicae provinciarum Ordinis Augustiniani sunt in Angelica ad lit. T. 12. 98.

Fr. Christianus Francaeus, Gallus, anno 1620 Parisiis impressit latinum librum sub titulo: *Felix Augustinensium communitatis Bituricensis exordium ac progressus ab anno* 1594 *ad* 1620. Est in Angelica.

Fr. Christianus Lupus, Hyprensis, anno 1651 Duaci impressit *quaestionem quodlibeticam latinam de origine Eremitarum S. P. Augustini.* Est in Angelica.

Fr. Christophorus Capannarolus, Fabrianensis, Fulginii anno 1640 impressit *compendium vitae B. Ritae de Cascia.*

Fr. Christophorus de Buste, Hispanus, anno 1602 Cordubae impressit *compendium aliquot miraculorum in eadem civitate opera S. Nicolai de Tolentino patratorum.*

Fr. Constantius de S. Gervasio, Laudensis, Mantuae anno 1592 impressit *vitam B. Joannis Boni de Mantua, et* 1596 *summarium indulgentiarum a variis Summis Pontificibus concessarum ecclesiae nostrae S. Mariae de Populo a Paschali II usque ad Sistum V.*

Fr. Cornelius Curtius, Belga, Coloniae anno 1636 impressit *vitas BB. Clarae de Montefalco, Ritae de Cascia, Christianae Oringae, Chistinae de Vicecomitibus, et Christinae de Aquila.* Item Antuerpiae anno 1836 *elogia quorumdam virorum illustrium Ordinis nostri cum iconibus, et* 1637 *vitas S. Nicolai de Tolentino, et aliquot Beatorum Ordinis.* Praecipua extant in Angelica.

Fr. Cornelius Dielman, Belga, Gandavi anno 1648 im-

Digitized by Google

pressit *Normam vitae monasticae in aliquot viris Ordinis nostri scientia et vitae sanctitate illustribus delineatam, nempe in vitis BB. Augustini Novelli, Erthinodi de Gotha, Hermanni de Hallis, Augustini Vicentini, Thomae Ariminensis, Eliae de Melioratis, Joannis de Lana, Nicolai de Tinis, Andreae de Monte Regali, et Christophori Landucci.*

Fr. Cornelius Lancillotus, Belga, Parisiis anno 1614, et Antuerpiae 1616 impressit *vitam S. P. Augustini, et catalogum provinciarum, et conventuum Augustinianorum.*

V. Didacus Besalanque, Hispanus, scripsit *historiam provinciae Augustinianae Mechoacanensis, quae impressa fuit Mexici anno* 1674.

Fr. Dionysius Ciappolini, Hetruscus, anno 1752 typis evulgavit *compendium vitae B. Alphonsi de Orosco, et* 1756 *compendium historiae imaginis B. M. V. de Bono Consilio.* Sunt in Angelica.

Fr. Dominicus Gandolphus, Ligur, anno 1704 Romae typis edidit *librum latinum de ducentis celeberrimis Augustinianis scriptoribus qui floruerunt post magnam Ordinis unionem usque ad finem Concilii Tridentini.* Item italice *Purpuras Augustinianas, idest de Cardinalibus Ordinis nostri,* atque tandem *Flores poeticos Eremi Augustinianae.* Haec omnia habentur in Angelica.

Fr. Dominicus Lippici, de Suriano in provincia Romana, Ordinis Generalis, anno 1790 Romae italice impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino cum septenario ejusdem.* Est in Angelica.

Fr. Donatus Calvi, Bergomensis, anno 1669 Mediolani italice edidit *Memorias historicas Congregationis Insubriae.* Item Bergomi 1652 *vitam S. Nicolai de Tolentino.* Primum opus est in Angelica.

Fr. Eduardus Pacheco, Lusitanus, anno 1629 Ulyssipone impressit *vitam B. Clarae de Montefalco,* et ibidem 1630

Digitized by Google

vitam S. Thomae de Villanova in linguam patriam translatam.

Fr. Emmanuel de Figueiredo, Lusitanus, anno 1737 Ulyssipone lingua patria edidit *vitam B. Ritae de Cascia.* Item *vitam B. Gundisalvi de Lagos, et tomum quartum Floris Sanctorum nostratis Josephi a S. Antonio.* Duo postrema extant in Angelica.

Fr. Emmanuel de Leal, Lusitanus, Ulyssipone anno 1674 lingua patria impressit *librum de monachatu S. P. Augustini, et Eremitani Ordinis continuata successione.* Asservatur in Angelica.

Fr. Emmanuel Pachecho, Lusitanus, anno 1663 Ulyssipone impressit *librum de S. Cinctura.*

Fr. Emmanuel de Pinillos, Hispanus, anno 1761 Matriti impressit *librum idiomate patrio exaratum, in quo S. P. Augustini monachatum defendit.* Est in Angelica.

Fr. Emmanuel Vidal, Hispanus, anno 1758 hispanice impressit *duo volumina de Augustinianis Salmanticensibus.*

Fr. Felix a Jesu, Lusitanus, scripsit *historiam originis et progressus nostrae Congregationis Indiarum ab anno* 1572 *ad* 1637.

Fr. Felix Milensius, Neapolitanus, Pragae anno 1613 latine impressit *Alphabetum de monachis et monasteriis Germaniae, ac Sarmatiae citerioris Ordinis S. P. Augustini.* Est in Angelica.

Fr. Felix Ossinger, Bavarus, anno 1768 Ingolstadii, et Augustae Vindelicorum typis edidit latine *Bibliothecam Augustinianam, in qua agit de mille quadringentis Augustinianis scriptoribus.* Est in Angelica.

Fr. Felix Recinetensis anno 1610 Perusiae praelo tradidit *Vineam Augustinianam, in qua recenset* 65 *Ordines sub regula S. P. Augustini militantes.*

Fr. Ferdinandus Bezera, Hispanus, anno 1617 sermone patrio edidit *vitam et mortem BB. martyrum Ferdinandi de*

Digitized by Google

S. Josepho, et Nicolai de Melo. Scripsit etiam *relationem martyrii V. Petri Zuniga.*

Fr. Franciscus de Corte, Belga, Antuerpiae anno 1706 impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Franciscus Gante, Hispanus, anno 1619 Matriti praelo tradidit *vitam B. Alphonsi de Orosco.* Est in Angelica.

Fr. Franciscus Luca, Cordubensis, anno 1589 impressit *vitam S. Guilelmi.* Est in Angelica.

Fr. Franciscus Medina, Mexicanus, typis edidit *vitam, et miracula S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Franciscus Munoz, Hispanus, qui floruit saeculo 17 scripsit lingua patria *historiam Ordinis S. P. Augustini in Nova Hispania.*

Fr. Franciscus Ribera, Hispanus, anno 1684 *impressit vitam S. P. Augustini.* Est in Angelica.

Fr. Franciscus Villacorta, Hispanus, anno 1833 impressit librum cui titulus: *Administratio spiritualis PP. Augustinianorum Calceatorum provinciae Philippinarum.* Est in Angelica.

Fr. Franciscus Westermayr, Bavarus, Monachii anno 1724 *vitam S. Nicolai de Tolentino scriptam a nostro Petro de Bretagne e gallico in patrium sermonem vertit, atque impressit.*

Fr. Fulgentius Alghisius, Casalensis, anno 1647 Casali impressit italice *vitam S. Nicolai Tolentinatis sex libris contentam.*

Fr. Fulgentius Baldanus, Savonensis, Genuae anno 1624 praelo tradidit *vitam B. Clarae de Montefalco.* Impressit etiam *vitam V. Didaci Ortiz.*

Fr. Gaspar a S. Augustino, Hispanus, versibus latinis agit de pluribus Sanctis ac Beatis Ordinis nostri in sua *Hieromelissa Sacra,* quae extat in Angelica.

Fr. Gelasius Hieber, Germanus, Monachii anno 1720 sermone patrio edidit *vitam S. P. Augustini,* quae habetur in Angelica, et ibidem anno 1737 *vitam B. Ritae de Cascia.*

Digitized by Google

Fr. Georgius Maigretius, Belga, anno 1625 Antuerpiae latine edidit *Martyrographiam Augustinianam*, et eodem anno *Augustino-Pictacium provinciae Flandricae*, 1626 Leodii *vitam S. Thomae de Villanova*, et Lovanii *litanias Augustinianas*, 1610 Tornaci *vitam S. Joannis a S. Facundo*, et 1615 Leodii *Surculos pullulantes e palma priorum martyrum Ordinis S. P. Augustini*. Primum, et duo postrema sunt in Angelica.

Fr. Guilelmus Becchi, Florentinus, Ordinis Generalis, anno 1491 Florentiae impressit *apologiam ejusdem Ordinis*.

Fr. Guilelmus Cavalcantini, Florentinus, anno 1605 Florentiae edidit *vitam S. Guilelmi Ducis Aquitaniae*. Est in Angelica.

Fr. Henricus Hivaeus, Belga, anno 1621 Bruxellis impressit *compendium vitae S. Thomae de Villanova*.

Fr. Henricus de Urimaria, Germanus, scripsit *tractatum de origine Fratrum Eremitarum*, qui typis editus fuit Venetiis anno 1514.

Fr. Hieronymus de Ghettis, Romanus, Ordinis, Generalis, anno 1629 Romae impressit *vitam B. Ritae de Cascia sub nomine pii religiosi*.

Fr. Hieronymus Canton, Hispanus, anno 1624 Barcinone edidit *vitam S. Thomae de Villanova*.

Fr. Hieronymus Augustinus Zazzeri, Aretinus, qui obiit anno 1750, typis evulgavit *vitam nostratis Cardinalis Henrici Noris latino sermone exaratam*, quam ejusdem operibus praefixit.

Fr. Hieronymus Nolanus anno 1586 Neapoli impressit *librum de privilegiis, et indulgentiis concessis fratribus, monialibus, et cincturatis Ordinis nostri*. Est in Angelica.

Fr. Hieronymus Roman, Hispanus, Salamanticae anno 1569 impressit *historiam Ordinis sermone patrio descriptam*, *et* 12 *centuriis comprehensam*. Item *defensorium antiquitatis ejusdem Ordinis*, quod est in prima parte historiae. Sunt in

Digitized by Google

Angelica. Item anno 1600 Caesaraugustae edidit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Hieronymus Seripandus, Neapolitanus, S. R. E. Cardinalis, Venetiis anno 1549, et Romae 1553 impressit *Constitutiones et chronica Ordinis a S. P. Augustini aetate usque ad sua tempora.* Sunt in Angelica.

Fr. Hippolytus Bonavoglia, Gallus, anno 1651 Neapoli praelo tradidit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Honorius Martini, Senensis, anno 1593 Senis impressit *vitam B. Ritae de Cascia*, *item vitas B. Christinae de S. Cruce, et B. Joannis Guccii.*

Fr. Jacobus Alberici, Bergomensis, anno 1618 Bergomi impressit *vitam B. Clarae de Montefalco, et historiam S. Mariae de Populo, necnon vitam S. Nicolai.* Sunt in Angelica.

Fr. Jacobus Ferrer, Hispanus, scripsit *vitam V. Augustini Antonii Pasqual*, quam praelo tradidit noster Joannes Facundus Clemente anno 1744. Est in Angelica.

Fr. Jacobus Font, Hispanus, anno 1712 Barcinone impressit *vitam V. Franciscae Mariae Veronicae Baca Augustinianae.* Est in Angelica.

Fr. Jacobus Jordan, Hispanus, anno 1704 Valentiae impressit *historiam provinciae Aragoniae.* Est in Angelica.

Fr. Jacobus de la Porte, Flander, Duaci anno 1647 gallice edidit *librum de pane benedictô S. Nicolai.*

Fr. Ignatius Dycherius, Flander, qui obiit anno 1661 reliquit *martyrologium Ordinis.*

Fr. Innocentius Rampini, Pedemontanus, anno 1620 in italicum vertit *opus de origine Fratrum nostratis Joannis Marquez.*

Fr. Joannes Antonius Rivarola, Hispanus, anno 1626 Neapoli lingua patria impressit *vitam B. Ritae de Cascia per discursus morales expositam.* Est in Angelica.

Fr. Joannes Baptista Cotta, a Tenda anno 1726 Perusiae impressit *vitam B. Andreae de Montereĝali*, et 1730 *vitam B.*

Digitized by Google

Antonii Turriani, atque Fulginii *vitam B. Ritae de Cascia carminibus italicis digestam*. Sunt in Angelica. Edidit etiam *vitam B. Veronicae de Binasco.*

Fr. Joannes Baptista Ininger, Monacensis, anno 1737 Monachii impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino sermone germanico exaratam.*

Fr. Joannes Freyre, Lusitanus, Ulyssipone anno 1651 praelo tradidit *vitam B. Veronicae de Binasco.*

Fr. Joannes Baptista Cavalcantini, Florentinus, anno 1605 Florentiae italice edidit *vitam nostri B. Ghesii a Sancto Miniato,* cuius ossa in nostra ecclesia Lucae asservantur.

Fr. Joannes Georgius de Amicis, Umber, anno 1600 Viterbii edidit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Joannes Gonzalez de la Puente, Hispanus, anno 1624 *edidit historiam Ordinis Eremitani in provincia Mechoacanensi.*

Fr. Joannes Baptista Carminati, Mediolanensis, anno 1618 typis evulgavit *compendium vitae S. Nicolai.* Est in Angelica.

Fr. Joannes Bonus Haydt, Bavarus, anno 1707 Monachii edidit lingua germanica *Mariale Augustinianum, sive brevem descriptionem plusquam sexaginta imaginum B. V. Mariae, quae in nostra Religione ut thaumaturgae habebantur*, et Ingolstadii 1694 *compendium vitae S. Nicolai.*

Fr. Joannes Estrix, Belga, anno 1660 Antuerpiae ex hispanico in belgicum sermonem transtulit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Joannes Gonzalez de Mendoza, Hispanus, in sua historia Imperii Sinensium pluries impressa refert notitias ingressus PP. Augustinianorum in illam regionem.

Fr. Joannes de Marliano, Mediolanensis, qui floruit saeculo 15, scripsit *chronicon Ordinis nostri usque ad annum* 1440.

Fr. Joannes Marquez, Hispanus, typis edidit Salamanticae anno 1618 *librum hispanicum de origine Fratrum Eremi-*

Digitized by Google

tarum S. P. Augustini, cujus versio italica extat in Angelica. Evulgavit etiam *vitam B. Alphonsi de Orosco*, cujus versio italica a nostrate Torellio elucubrata asservatur in Angelica.

Fr. Joannes de Grixalva, Hispanus, anno 1624 Mexici edidit *chronica Ordinis S. P. Augustini in Nova Hispania, et vitam S. Guilelmi anno* 1620.

Fr. Joannes Baptista Penne, Perusinus, Episcopus Vigiliarum, anno 1658 Romae italice impressit *vitam S. Thomae de Villanova, et* 1659 *ibidem praelo tradidit conciones ejusdem cum vita latino sermone descripta.* Hae conciones sunt in Angelica.

Fr. Joannes Miranda, Mexicanus, anno 1615 typis mandavit *vitam et miracula S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Joannes Guidus Palei, Hetruscus, anno 1757 typis evulgavit *compendium historiae B. M. V. de Bono Consilio cum novendialibus precibus praeparatoriis ad festum ejusdem.*

Fr. Joannes Matthaeus Giberti, Venetus, anno 1668 Venetiis typis evulgavit *vitam B. Clarae de Montefalco.* Est in Angelica.

Fr. Joannes Michael Cavalieri, Bergomensis, anno 1737 Mediolani impressit *librum italicum de S. Cinctura B. Mariae Virginis.* Est in Angelica.

Fr. Joannes Naevius, Belga, anno 1638 Lovanii impressit *Eremum Augustinianam floribus honoris et sanctitatis vernantem, in qua etiam agit de Ordinis institutione, approbatione, vita S. P. Augustini, aliorumque in eodem Ordine sanctitate illustrium.* Anno autem 1628 Antuerpiae impressit *vitam S. Matris Monicae.*

Fr. Joannes Rivius, Belga, anno 1646 Antuerpiae impressit *vitam S. P. Augustini ex ejus operibus ordine chronologico contextam.*

Fr. Joannes de Ordas, Hispanus, scripsit lingua patria *vitam nostrae V. Marianae de Fide*, quae sanctitate floruit in monasterio Eybar provinciae Guiposcoae.

Digitized by Google

Fr. Joachimus Brulius, Belga, anno 1652 Antuerpiae latine edidit *lib.* 18 *historiae Peruanae Ordinis S. P. Augustini.* Est in Angelica. Scripsit etiam *vitam V. Joannis Ghisii.*

Fr. Joachimus Sardo, Mexicanus, anno 1810 impressit hispanice *vitas nostratum VV. FF. Conversorum Bartholomaei de Jesu Maria, et Joannis de S. Josepho, necnon historiam SS. Crucifixi de Chalma.*

Fr. Jordanus de Saxonia scripsit *librum latinum de vitis fratrum Ordinis nostri, in quo etiam agitur de origine, et progressu ejusdem Ordinis, atque S. P. Augustini regula declaratur.* Editus fuit Romae anno 1587, et postea alibi. Est in Angelica.

Fr. Josephus a S. Antonio, Lusitanus, anno 1621 Ulyssipone lingua patria edidit opus cui titulus: *Flos Sanctorum Augustinianorum etc.* Quartus tomus est nostratis Emmanuelis Figueiredo. Asservatur in Angelica.

Fr. Josephus ab Assumptione, Lusitanus, anno 1743 Ulyssipone impressit latine *primum tomum Martyrologii Augustiniani.* Secundus tomus editus fuit anno 1749. Extant in Angelica, sed deest tomus tertius.

Fr. Josephus Bonafides, Lucensis, anno 1658 Florentiae impressit *Septenarium S. Nicolai.*

Fr. Josephus Pamphilus, Veronensis, Romae anno 1581 impressit *chronicon Ordinis nostri ab Augustino usque ad annum* 1575. Est in Angelica.

Fr. Josephus Romanelli, Viterbiensis, anno 1863 typis evulgavit vitam S. M. Monicae.

Fr. Josephus Sabbatini, Ravennas, anno 1650 Viennae latine impressit *vindicias monachatus S. P. Augustini, et originis Eremitanae Familiae, atque insuper vitam Christiani Lupi.* Sunt in Angelica.

Fr. Josephus a S. Stephano, Hispanus, anno 1662 Hispali praelo tradidit *vitam V. Joannis de Magdalena conversi Ordinis nostri.*

Digitized by Google

Fr. Josephus Massot, Hispanus, anno 1699 hispanice typis edidit *compendium historicum de Augustinianis Catalauniae.*

Fr. Isidorus Perusinus, qui floruit sacculo 17, scripsit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Josephus Sicardus, Hispanus, anno 1688 Genuae sermone patrio edidit *vitam B. Ritae de Cascia.* Est in Angelica editio anni 1825.

Fr. Julius Bandini, Pedemontanus, anno 1698 Ticini edidit *tumulum S. P. Augustini dissertatione historico - canonica illustratum.*

Fr. Julianus Nicolaus Galli de Anghiari, Hetruscus, anno 1691 Aretii edidit *vitam B. Ritae de Cascia, cui accedunt epigrammata latina, et varia carmina italica.* Extat in Angelica.

Fr. Lambertus Naverius, Belga, anno 1630 praelo tradidit *vitam B. Augustini Novelli.*

Fr. Laurentius Berti, Florentinus, anno 1756 Venetiis impressit *librum latinum de rebus gestis S. P. Augustini, ejusque libris.* Est in Angelica.

Fr. Laurentius Empoli, Hetruscus, anno 1628 Romae edidit *Bullarium Ordinis cum catalogo Generalium, etc.* Est in Angelica.

Fr. Laurentius Tardy, Pedemontanus, Ordinis Vicarius generalis, anno 1805 Fulginii italice impressit *vitam B. Ritae de Cascia, et Romae* 1821 *vitam B. Clarae de Montefalco.* Sunt in Angelica.

Fr. Leo Marotte, Belga, anno 1709 Gandavi impressit *regulam tertii Ordinis S. P. Augustini in tres partes divisam.*

Fr. Leonardus Tuffarelli, Neapolitanus, anno 1610 scripsit *vitam V. Bernardi de Rogliano fundatoris Congregationis Coloritensis in Calabria.*

Fr. Ludovicus ab Angelis, Lusitanus, Conimbricae anno 1612 latine edidit *sex libros de vita et laudibus S. P. Augustini.*

Fr. Ludovicus Zacconi, Pisaurensis, anno 1624 Pisauri

Digitized by Google

italice impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, quae asservatur in Angelica. Scripsit etiam *vitam B. Antonii de Amandula.*

Fr. Martinus Cornejo, Hispanus, anno 1623 Matriti edidit *librum patria lingua exaratum de vita S. P. Augustini, deque origine, et fundatione Eremitani Ordinis.*

Fr. Martinus Crane, Hibernus, anno 1858 Dublini anglice impressit *librum de Augustinianis in Hibernia a primis temporibus usque ad praesens.*

Fr. Martinus Claver, Hispanus, qui obiit anno 1646 scripsit *historiam nostrae provinciae Philippinarum.*

Fr. Martinus de Perea, Hispanus, qui floruit saeculo 16, scripsit *commentarium in regulam S. P. Augustini.*

Fr. Martinus Rosnach, Hungarus, anno 1773 Graecii latine impressit *memorias provinciae Hungariae*, et 1776 ex nostrate Sixto Schier Viennae in lucem emisit *brevem notitiam de monasteriis Augustinianae provinciae Austriae et Hungariae.* Sunt in Angelica.

Fr. Matthaeus Giberti, Venetus, anno 1668 Venetiis italice impressit *vitam B. Clarae de Montefalco.* Est in Angelica.

Fr. Matthaeus Lottieri, Neapolitanus, anno 1737 Neapoli impressit *librum de privilegiis Ordinis nostri.*

Fr. Mathias Pauli, Belga, qui floruit saeculo 17, scripsit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Mauritius a Matre Dei, Gallus, anno 1658 latine impressit *historiam Augustinensium Excalceatorum.* Est in Angelica.

Fr. Mauritius Alphonsus Demorri, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam alumnus, anno 1765 impressit *expositionem regulae S. P. Augustini ex B. Alphonso de Orosco in sermonem italicum versam.* Est in Angelica.

Fr. Michael Mombolò, Hispànus, qui obiit anno 1688 typis evulgavit *vitam B. Veronicae de Binasco.*

Fr. Michael Salon, Hispanus, anno 1620 Valentiae impressit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Digitized by Google

Fr. Nicasius Basius, Belga, anno 1622 Antuerpiae typis edidit *compendium vitae S. Thomae de Villanova, et* 1625 *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Nicephorus Melissenus, Neapolitanus, anno 1656 Neapoli impressit *vitam B. Joannis Ghisii Senensis versibus latinis contextam.*

Fr. Nicolaus de Ancona, qui floruit saeculo 16, scripsit *defensorium Ordinis.*

Fr. Nicolaus Aoreolus, Venetus, scripsit *breve chronicon Ordinis nostri.*

Fr. Nicolaus Ceppi, Romanus, anno 1710 Romae impressit *historiam miraculorum S. Nicolai de Tolentino*, et 1725 *librum de prodigioso ejusdem sanguine.* Extant in Angelica.

Fr. Nicolaus Chiesa, Genuensis, anno 1745 Neapoli impressit *vitam V. Nicolai Sersale.* Est in Angelica.

Fr. Nicolaus Crusenius, Belga, anno 1628 Monachii praelo tradidit *Monasticon* (latine) *Augustinianum in tres partes divisum, in quarum prima agit de fundatione Ordinis Augustiniani, in secunda de dispersione, et in tertia de collectione et restauratione.* Est in Angelica.

Fr. Nicolaus Dalmatius, de Avigliana, anno 1646 Romae impressit *librum italicum de origine templi S. Mariae de Populo in sex dies divisum.*

Fr. Nicolaus Juliani, Umber, anno 1691 praelo tradidit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Nicolaus de S. Maria, Hispanus, qui floruit saeculo 17, Hispali impressit *librum, in quo probat SS. Martyres Liberatum, Bonifacium, Servum, Rusticum, Rogatum, Septimum, et Maximum fuisse Augustinianos.*

Fr. Nicolaus Ponce de Leon, Mexicanus, S. Theologiae doctor, et famosus musicus ac concionator, anno 1686 typis edidit *vitam V. Christophori Molina conversi Ordinis nostri.*

Fr. Nicolaus Plenevaulx, Belga, anno 1627 Coloniae im-

Digitized by Google

pressit *Primatem Augustinianaeum nostratis Aegidii a Praesentatione e lusitano sermone in latinum translatum.* Est in Angelica sub nomine Aegidii a Praesentatione.

Fr. Nicolaus Robine, Gallus, anno 1692 Parisiis gallice edidit *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Nicolaus Notkenius a Rillaer, Belga, qui floruit saeculo 17, scripsit *catalogum Sanctorum Ordinis nostri, et sacrum S. P. Augustini monachatum.*

Fr. Oliverius Gato anno 1614 delineavit ac Romae impressit *Arborem Augustinianam, in qua Sancti ac Beati Augustiniani utriusque sexus exprimuntur.*

Fr. Onuphrius Panvinius, Veronensis, anno 1510 Romae impressit *chronicon Augustiniani Ordinis per annorum seriem digestum a S. P. Augustini tempore usque ad annum* 1510.

Fr. Paulinus Bergomensis anno 1599 Romae edidit *librum latinum de privilegiis Ordinis nostri.*

Fr. Paulus Fraxinellus, Bononiensis, qui obiit anno 1639 reliquit *vitas S. Thomae de Villanova, BB. Clarae, et Ritae, necnon vitam S. Joannis a S. Facundo ex hispanico sermone in italicum translatam.*

Fr. Paulus Olmi, Bergomensis, anno 1479 Romae impressit *apologiam Ordinis nostri.* Item Romae *vitam S. Matris Monicae, et B. Magdalenae de Como, necnon de Floribus Eremiticis etc.*

Fr. Paulus Luchini, Pisaurensis, anno 1664 Romae impressit *methodum capitulorum, et congregationum Ordinis nostri, et methodum visitationis faciendae per rmum P. Generalem.* Sunt in Angelica.

Fr. Paulus Weigt Monacensis, qui floruit saeculo 15, scripsit *vitam S. M. Monicae, et quaedam de vita monastica, et habitu S. P. Augustini.*

Fr. Petrus Angelus Damiani, Umber, anno 1760 italice impressit *sermonem historicum de primaeva Ordinis propagatione, et alterum de ejusdem Ordinis statu primitivo, deque*

Digitized by Google

Augustinianis illustribus provinciae Umbriae. Sunt in Angelica.

Fr. Peregrinus de Adernione, Siculus, anno 1644 impressit *librum de vera devotione erga Deiparam, et de ejus titulo de Succursu.*

Fr. Petrus Feroci anno 1713 praelo tradidit *brevem narrationem italicam de imagine B. Mariae Virginis Boni Consilii.* Est in Angelica.

Fr. Petrus Hoyndonck, Belga, qui floruit usque ad annum 1725 *vitam S. Nicolai de Tolentino ex sermone latino in flandricum transtulit.*

Fr. Petrus Salguero, Hispanus, anno 1664 Mexici impressit *vitam V. Didaci Besalanque.*

Fr. Petrus Scacchi, Aquilanus, scripsit italice *vitam B. Antonii de Aquila.*

Fr. Petrus de Monterubiano, Picenus, anno 1336 scripsit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, quae impressa habetur apud Surium ad diem 10 Septembris. Est in Angelica.

Fr. Petrus de Bretagne, Gallus, anno 1722 Monachii impressit *vitam S. Nicolai gallice descriptam.*

Fr. Petrus del Campo, Hispanus, anno 1640 Barcinone praelo tradidit *historiam generalem Ordinis S. P. Augustini sermone patrio exaratam.* Est in Angelica.

Fr. Petrus Mayayo, Aragonensis, qui florebat circa annum 1600, impressit *tabulam, in qua referuntur icones illustrium Augustinianorum cum elogiis.* Est in coenobio S. P. Augustini de Urbe.

Fr. Petrus Rabbi, Gallus, anno 1616 Lugduni impressit *vitam B. Clarae de Montefalco, et* 1619 *annotationes in regulam S. P. Augustini.*

Fr. Petrus Martyr Puig, Hispanus, Barcinone anno 1769 typis mandavit *vitam V. Clarinae viduae tertiariae Augustinianae.* Est in Angelica.

Fr. Philippus Benincasa, Neapolitanus, alumnus Congre-

Digitized by Google

gationis S. Joannis ad Carbonariam anno 1768 Neapoli impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, *et* 1787 *vitam V. Joannis Nicolai Chiesa.* Sunt in Angelica.

Fr. Philippus Elssius, Belga, anno 1654 Bruxellis latine evulgavit *Encomiasticon Augustinianum, in quo personae Ordinis Eremitani sanctitate, praelatura, legationibus, scriptis* etc. *praestantes enarrantur.* Extat in Angelica.

Fr. Philippus Giorgi, Picenus, anno 1856 Tolentini impressit *vitam S. Nicolai*, quae est in Angelica.

Fr. Prosper Cherle, Bavarus, anno 1685 Monachii sermone germanico scripsit, typisque edidit *Eremum thaumaturgam S. P. Augustini, seu brevem historiam vitae S. P. Augustini, et fundati ob eo Ordinis.*

Fr. Prosper Stellartius, Belga, anno 1613 Lugduni impressit latine *Augustinomachiam, sive vindicias tutelares pro S. Augustino*, *et Augustinianis*, *et Tornaci* 1668 *Nucleum historicum regulae S. P. Augustini.* Sunt in Angelica.

Fr. Raphael Pasini, Venetus, Romae anno 1629 confecit *libros tres iconum Sanctorum, ac Beatorum Ordinis nostri cum brevi singulorum notitia.*

Fr. Raphael Perrerius, Saxo, qui floruit saeculo 16, scripsit *libellum de pane benedicto S. Nicolai.*

Fr. Rogerius Girard, Gallus, qui florebat anno 1620, scripsit *vitam S. Guilelmi.*

Fr. Sebastianus de Portillo, Hispanus, scripsit sermone patrio *vitas Sanctorum, Beatorum, et Venerabilium Ordinis nostri*, opus in quatuor tomos distributum, et typis mandatum a nostrate Francisco de Avila.

Fr. Sanctes Riccetelli, de Monte-Regali, qui floruit saeculo 17, impressit *compendium vitae B. Andreae concivis sui*, quod est in Angelica.

Fr. Sebastianus Broilus, Fanensis, qui obiit anno 1568 scripsit *vitam B. Thomae de Villanova, et vitam Thomae de Argentina ejusdem comment. in lib. Sent. praefixam.*

Digitized by Google

Fr. Simon de Castelbranco, Lusitanus, anno 1669 lingua patria edidit *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Simon Romanus, qui florebat saeculo 15, reliquit *vitam nostrae B. Helenae de Utino*, quam pulchriori stilo donatam Joannes Baptista Sartorius Utini impressit anno 1632. Est in Angelica apud Bollandistas tom. 3. Aprilis pag. 247.

Fr. Simon Tornaquinci, Florentinus, qui floruit saeculo 15, scripsit *vitam S. Monicae ex confessionibus S. P. Augustini collectam.*

Fr. Simplicianus a S. Martino, Gallus, anno 1641 Tolosae gallice impressit *vitam S. P. Augustini, et aliorum virorum illustrium Ordinis nostri, et* 1659 *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Simplicianus de Torrinis, de Romandiola, anno 1578 Bononiae impressit *tractatum de indulgentiis Cincturatorum.*

Fr. Sixtus Schier, Germanus, scripsit latino sermone *dicta memorabilia Sanctorum, et Beatorum Ordinis nostri impressa Graecii anno* 1773, *necnon memorias Provinciae Hungariae editas Viennae* 1776. Hoc postremum opusculum est in Angelica.

Fr. Stephanus Ugurgerius, Senensis, Congregationis Ilicetanae Vicarius generalis, qui florebat anno 1611, scripsit *vitas BB. Petri Florentini, et Joannis Guccii.*

Fr. Theodoricus Degen, Germanus, anno 1628 Monachii impressit *Martyrographiam Augustinianam nostratis Georgii Maigretii in linguam germanicam translatam.*

Fr. Thomas Gratianus, Belga, anno 1614 Antuerpiae latine impressit *Anastasim Augustinianam, in qua scriptores Ordinis nostri recensentur.* Est in Angelica.

Fr. Thomas Herrera, Hispanus, anno 1644 Matriti latine edidit *Alphabetum Augustinianum, in quo praeclarae Eremitici Ordinis germina, virorum ac foeminarum domicilia recensentur.* Item Bononiae 1635 impressit *Responsionem pacificam*

Digitized by Google

adversus Lucam Wadingum in defensionem Ordinis nostri, itemque *Clypeum Responsionis pacificae,* necnon *hispanicum compendium praelatorum, ministrorum Regum* etc. *de quibus fit sermo in Alphabeto.* Omnia asservantur in Angelica.

Fr. Thomas a Jesu, Lusitanus, scripsit lingua patria *vitam nostri V. Ludovici de Montoja,* quam Ulyssipone impressit anno 1618 noster Hieronymus Roman.

Fr. Thomas de Firmo circa annum 1500 edidit *vitam nostratis B. Bertrami,* cujus corpus Firmi asservatur.

Fr. Thomas Moralia, Ligur, anno 1818 Firmi praelo tradidit *italicum compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.* Est in Angelica.

Fr. Thomas Maria Accimatorius, Genuensis, anno 1703 Genuae impressit *italicum compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Thomas Talamellus, alumnus provinciae Romandiolae, anno 1620 Arimini praelo mandavit *tractatum latinum de habitu nigro, et albo nostri Ordinis, et alium italicum de origine S. Cincturae.* Sunt in Angelica.

Fr. Timotheus Ricci, Senensis, loquitur de nostra B. Clara de Montefalco in suo libro Senis italice edito anno 1596 sub titulo: *Breve trattato della SS. Croce, dove si mostrano le virtù, eccellenza, miracoli fatti da molti Santi per mezzo della Croce.*

Fr. Valerius Lingerius, Viterbiensis, anno 1681 typis evulgavit *brevem historiam SS. Mariae Liberatricis.* Est in Angelica.

Fr. Vincentius du Pre, Belga, anno 1644 typis edidit librum cui titulus: *Flammulae Amoris B. Clarae de Montefalco in fornace dominicae passionis succensae.*

Fr. Wolfgangus Eder, Bavarus, anno 1691 Monachii impressit *vitam S. Joannis a S. Facundo, quam ex italico in germanicum sermonem verterat.*

Digitized by Google

Fr. Josephus Massot, Hispanus, anno 1699 hispanice typis edidit *compendium historicum de Augustinianis Catalauniae.*

Fr. Isidorus Perusinus, qui floruit sacculo 17, scripsit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Josephus Sicardus, Hispanus, anno 1688 Genuae sermone patrio edidit *vitam B. Ritae de Cascia.* Est in Angelica editio anni 1825.

Fr. Julius Bandini, Pedemontanus, anno 1698 Ticini edidit *tumulum S. P. Augustini dissertatione historico - canonica illustratum.*

Fr. Julianus Nicolaus Galli de Anghiari, Hetruscus, anno 1691 Aretii edidit *vitam B. Ritae de Cascia, cui accedunt epigrammata latina, et varia carmina italica.* Extat in Angelica.

Fr. Lambertus Naverius, Belga, anno 1630 praelo tradidit *vitam B. Augustini Novelli.*

Fr. Laurentius Berti, Florentinus, anno 1756 Venetiis impressit *librum latinum de rebus gestis S. P. Augustini, ejusque libris.* Est in Angelica.

Fr. Laurentius Empoli, Hetruscus, anno 1628 Romae edidit *Bullarium Ordinis cum catalogo Generalium, etc.* Est in Angelica.

Fr. Laurentius Tardy, Pedemontanus, Ordinis Vicarius generalis, anno 1805 Fulginii italice impressit *vitam B. Ritae de Cascia, et Romae* 1821 *vitam B. Clarae de Montefalco.* Sunt in Angelica.

Fr. Leo Marotte, Belga, anno 1709 Gandavi impressit *regulam tertii Ordinis S. P. Augustini in tres partes divisam.*

Fr. Leonardus Tuffarelli, Neapolitanus, anno 1610 scripsit *vitam V. Bernardi de Rogliano fundatoris Congregationis Coloritensis in Calabria.*

Fr. Ludovicus ab Angelis, Lusitanus, Conimbricae anno 1612 latine edidit *sex libros de vita et laudibus S. P. Augustini.*

Fr. Ludovicus Zacconi, Pisaurensis, anno 1624 Pisauri

Digitized by Google

italice impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, quae asservatur in Angelica. Scripsit etiam *vitam B. Antonii de Amandula.*

Fr. Martinus Cornejo, Hispanus, anno 1623 Matriti edidit *librum patria lingua exaratum de vita S. P. Augustini, deque origine, et fundatione Eremitani Ordinis.*

Fr. Martinus Crane, Hibernus, anno 1858 Dublini anglice impressit *librum de Augustinianis in Hibernia a primis temporibus usque ad praesens.*

Fr. Martinus Claver, Hispanus, qui obiit anno 1646 scripsit *historiam nostrae provinciae Philippinarum.*

Fr. Martinus de Perea, Hispanus, qui floruit saeculo 16, scripsit *commentarium in regulam S. P. Augustini.*

Fr. Martinus Rosnach, Hungarus, anno 1773 Graecii latine impressit *memorias provinciae Hungariae*, et 1776 ex nostrate Sixto Schier Viennae in lucem emisit *brevem notitiam de monasteriis Augustinianae provinciae Austriae et Hungariae.* Sunt in Angelica.

Fr. Matthaeus Giberti, Venetus, anno 1668 Venetiis italice impressit *vitam B. Clarae de Montefalco.* Est in Angelica.

Fr. Matthaeus Lottieri, Neapolitanus, anno 1737 Neapoli impressit *librum de privilegiis Ordinis nostri.*

Fr. Mathias Pauli, Belga, qui floruit saeculo 17, scripsit *vitam S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Mauritius a Matre Dei, Gallus, anno 1658 latine impressit *historiam Augustinensium Excalceatorum.* Est in Angelica.

Fr. Mauritius Alphonsus Demorri, Congregationis S. Joannis ad Carbonariam alumnus, anno 1765 impressit *expositionem regulae S. P. Augustini ex B. Alphonso de Orosco in sermonem italicum versam.* Est in Angelica.

Fr. Michael Mombolò, Hispànus, qui obiit anno 1688 typis evulgavit *vitam B. Veronicae de Binasco.*

Fr. Michael Salon, Hispanus, anno 1620 Valentiae impressit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Digitized by Google

Fr. Nicasius Basius, Belga, anno 1622 Antuerpiae typis edidit *compendium vitae S. Thomae de Villanova, et* 1625 *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Nicephorus Melissenus, Neapolitanus, anno 1656 Neapoli impressit *vitam B. Joannis Ghisii Senensis versibus latinis contextam.*

Fr. Nicolaus de Ancona, qui floruit saeculo 16, scripsit *defensorium Ordinis.*

Fr. Nicolaus Aoreolus, Venetus, scripsit *breve chronicon Ordinis nostri.*

Fr. Nicolaus Ceppi, Romanus, anno 1710 Romae impressit *historiam miraculorum S. Nicolai de Tolentino*, et 1725 *librum de prodigioso ejusdem sanguine.* Extant in Angelica.

Fr. Nicolaus Chiesa, Genuensis, anno 1745 Neapoli impressit *vitam V. Nicolai Sersale.* Est in Angelica.

Fr. Nicolaus Crusenius, Belga, anno 1628 Monachii praelo tradidit *Monasticon* (latine) *Augustinianum in tres partes divisum, in quarum prima agit de fundatione Ordinis Augustiniani, in secunda de dispersione, et in tertia de collectione et restauratione.* Est in Angelica.

Fr. Nicolaus Dalmatius, de Avigliana, anno 1646 Romae impressit *librum italicum de origine templi S. Mariae de Populo in sex dies divisum.*

Fr. Nicolaus Juliani, Umber, anno 1691 praelo tradidit *vitam B. Ritae de Cascia.*

Fr. Nicolaus de S. Maria, Hispanus, qui floruit saeculo 17, Hispali impressit *librum, in quo probat SS. Martyres Liberatum, Bonifacium, Servum, Rusticum, Rogatum, Septimum, et Maximum fuisse Augustinianos.*

Fr. Nicolaus Ponce de Leon, Mexicanus, S. Theologiae doctor, et famosus musicus ac concionator, anno 1686 typis edidit *vitam V. Christophori Molina conversi Ordinis nostri.*

Fr. Nicolaus Plenevaulx, Belga, anno 1627 Coloniae im-

Digitized by Google

pressit *Primatem Augustinianaeum nostratis Aegidii a Praesentatione e lusitano sermone in latinum translatum.* Est in Angelica sub nomine Aegidii a Praesentatione.

Fr. Nicolaus Robine, Gallus, anno 1692 Parisiis gallice edidit *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Nicolaus Notkenius a Rillaer, Belga, qui floruit saeculo 17, scripsit *catalogum Sanctorum Ordinis nostri, et sacrum S. P. Augustini monachatum.*

Fr. Oliverius Gato anno 1614 delineavit ac Romae impressit *Arborem Augustinianam, in qua Sancti ac Beati Augustiniani utriusque sexus exprimuntur.*

Fr. Onuphrius Panvinius, Veronensis, anno 1510 Romae impressit *chronicon Augustiniani Ordinis per annorum seriem digestum a S. P. Augustini tempore usque ad annum* 1510.

Fr. Paulinus Bergomensis anno 1599 Romae edidit *librum latinum de privilegiis Ordinis nostri.*

Fr. Paulus Fraxinellus, Bononiensis, qui obiit anno 1639 reliquit *vitas S. Thomae de Villanova, BB. Clarae, et Ritae, necnon vitam S. Joannis a S. Facundo ex hispanico sermone in italicum translatam.*

Fr. Paulus Olmi, Bergomensis, anno 1479 Romae impressit *apologiam Ordinis nostri.* Item Romae *vitam S. Matris Monicae, et B. Magdalenae de Como, necnon de Floribus Eremiticis etc.*

Fr. Paulus Luchini, Pisaurensis, anno 1664 Romae impressit *methodum capitulorum, et congregationum Ordinis nostri, et methodum visitationis faciendae per rm̃um P. Generalem.* Sunt in Angelica.

Fr. Paulus Weigt Monacensis, qui floruit saeculo 15, scripsit *vitam S. M. Monicae, et quaedam de vita monastica, et habitu S. P. Augustini.*

Fr. Petrus Angelus Damiani, Umber, anno 1760 italice impressit *sermonem historicum de primaeva Ordinis propagatione, et alterum de ejusdem Ordinis statu primitivo, deque*

Digitized by Google

Augustinianis illustribus provinciae Umbriae. Sunt in Angelica.

Fr. Peregrinus de Adernione, Siculus, anno 1644 impressit *librum de vera devotione erga Deiparam, et de ejus titulo de Succursu.*

Fr. Petrus Feroci anno 1713 praelo tradidit *brevem narrationem italicam de imagine B. Mariae Virginis Boni Consilii.* Est in Angelica.

Fr. Petrus Hoyndonck, Belga, qui floruit usque ad annum 1725 *vitam S. Nicolai de Tolentino ex sermone latino in flandricum transtulit.*

Fr. Petrus Salguero, Hispanus, anno 1664 Mexici impressit *vitam V. Didaci Besalanque.*

Fr. Petrus Scacchi, Aquilanus, scripsit italice *vitam B. Antonii de Aquila.*

Fr. Petrus de Monterubiano, Picenus, anno 1336 scripsit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, quae impressa habetur apud Surium ad diem 10 Septembris. Est in Angelica.

Fr. Petrus de Bretagne, Gallus, anno 1722 Monachii impressit *vitam S. Nicolai gallice descriptam.*

Fr. Petrus del Campo, Hispanus, anno 1640 Barcinone praelo tradidit *historiam generalem Ordinis S. P. Augustini sermone patrio exaratam.* Est in Angelica.

Fr. Petrus Mayayo, Aragonensis, qui florebat circa annum 1600, impressit *tabulam, in qua referuntur icones illustrium Augustinianorum cum elogiis.* Est in coenobio S. P. Augustini de Urbe.

Fr. Petrus Rabbi, Gallus, anno 1616 Lugduni impressit *vitam B. Clarae de Montefalco, et* 1619 *annotationes in regulam S. P. Augustini.*

Fr. Petrus Martyr Puig, Hispanus, Barcinone anno 1769 typis mandavit *vitam V. Clarinae viduae tertiariae Augustinianae.* Est in Angelica.

Fr. Philippus Benincasa, Neapolitanus, alumnus Congre-

Digitized by Google

gationis S. Joannis ad Carbonariam anno 1768 Neapoli impressit *vitam S. Nicolai de Tolentino*, *et* 1787 *vitam V. Joannis Nicolai Chiesa.* Sunt in Angelica.

Fr. Philippus Elssius, Belga, anno 1654 Bruxellis latine evulgavit *Encomiasticon Augustinianum, in quo personae Ordinis Eremitani sanctitate, praelatura, legationibus, scriptis* etc. *praestantes enarrantur.* Extat in Angelica.

Fr. Philippus Giorgi, Picenus, anno 1856 Tolentini impressit *vitam S. Nicolai*, quae est in Angelica.

Fr. Prosper Cherle, Bavarus, anno 1685 Monachii sermone germanico scripsit, typisque edidit *Eremum thaumaturgam S. P. Augustini, seu brevem historiam vitae S. P. Augustini, et fundati ob eo Ordinis.*

Fr. Prosper Stellartius, Belga, anno 1613 Lugduni impressit latine *Augustinomachiam, sive vindicias tutelares pro S. Augustino*, *et Augustinianis*, *et Tornaci* 1668 *Nucleum historicum regulae S. P. Augustini.* Sunt in Angelica.

Fr. Raphael Pasini, Venetus, Romae anno 1629 confecit *libros tres iconum Sanctorum, ac Beatorum Ordinis nostri cum brevi singulorum notitia.*

Fr. Raphael Perrerius, Saxo, qui floruit saeculo 16, scripsit *libellum de pane benedicto S. Nicolai.*

Fr. Rogerius Girard, Gallus, qui florebat anno 1620, scripsit *vitam S. Guilelmi.*

Fr. Sebastianus de Portillo, Hispanus, scripsit sermone patrio *vitas Sanctorum*, *Beatorum*, *et Venerabilium Ordinis nostri*, opus in quatuor tomos distributum, et typis mandatum a nostrate Francisco de Avila.

Fr. Sanctes Riccetelli, de Monte-Regali, qui floruit saeculo 17, impressit *compendium vitae B. Andreae concivis sui*, quod est in Angelica.

Fr. Sebastianus Broilus, Fanensis, qui obiit anno 1568 scripsit *vitam B. Thomae de Villanova*, *et vitam Thomae de Argentina ejusdem comment. in lib. Sent. praefixam.*

Digitized by Google

Fr. Simon de Castelbranco, Lusitanus, anno 1669 lingua patria edidit *vitam S. Joannis a S. Facundo.*

Fr. Simon Romanus, qui florebat saeculo 15, reliquit *vitam nostrae B. Helenae de Utino*, quam pulchriori stilo donatam Joannes Baptista Sartorius Utini impressit anno 1632. Est in Angelica apud Bollandistas tom. 3. Aprilis pag. 247.

Fr. Simon Tornaquinci, Florentinus, qui floruit saeculo 15, scripsit *vitam S. Monicae ex confessionibus S. P. Augustini collectam.*

Fr. Simplicianus a S. Martino, Gallus, anno 1641 Tolosae gallice impressit *vitam S. P. Augustini, et aliorum virorum illustrium Ordinis nostri, et* 1659 *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Simplicianus de Torrinis, de Romandiola, anno 1578 Bononiae impressit *tractatum de indulgentiis Cincturatorum.*

Fr. Sixtus Schier, Germanus, scripsit latino sermone *dicta memorabilia Sanctorum, et Beatorum Ordinis nostri impressa Graecii anno* 1773, *necnon memorias Provinciae Hungariae editas Viennae* 1776. Hoc postremum opusculum est in Angelica.

Fr. Stephanus Ugurgerius, Senensis, Congregationis Ilicetanae Vicarius generalis, qui florebat anno 1611, scripsit *vitas BB. Petri Florentini, et Joannis Guccii.*

Fr. Theodoricus Degen, Germanus, anno 1628 Monachii impressit *Martyrographiam Augustinianam nostratis Georgii Maigretii in linguam germanicam translatam.*

Fr. Thomas Gratianus, Belga, anno 1614 Antuerpiae latine impressit *Anastasim Augustinianam, in qua scriptores Ordinis nostri recensentur.* Est in Angelica.

Fr. Thomas Herrera, Hispanus, anno 1644 Matriti latine edidit *Alphabetum Augustinianum, in quo praeclarae Eremitici Ordinis germina, virorum ac foeminarum domicilia recensentur.* Item Bononiae 1635 impressit *Responsionem pacificam*

Digitized by Google

adversus Lucam Wadingum in defensionem Ordinis nostri, itemque *Clypeum Responsionis pacificae,* necnon *hispanicum compendium praelatorum, ministrorum Regum* etc. *de quibus fit sermo in Alphabeto.* Omnia asservantur in Angelica.

Fr. Thomas a Jesu, Lusitanus, scripsit lingua patria *vitam nostri V. Ludovici de Montoja,* quam Ulyssipone impressit anno 1618 noster Hieronymus Roman.

Fr. Thomas de Firmo circa annum 1500 edidit *vitam nostratis B. Bertrami,* cujus corpus Firmi asservatur.

Fr. Thomas Moralia, Ligur, anno 1818 Firmi praelo tradidit *italicum compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.* Est in Angelica.

Fr. Thomas Maria Accimatorius, Genuensis, anno 1703 Genuae impressit *italicum compendium vitae S. Nicolai de Tolentino.*

Fr. Thomas Talamellus, alumnus provinciae Romandiolae, anno 1620 Arimini praelo mandavit *tractatum latinum de habitu nigro, et albo nostri Ordinis, et alium italicum de origine S. Cincturae.* Sunt in Angelica.

Fr. Timotheus Ricci, Senensis, loquitur de nostra B. Clara de Montefalco in suo libro Senis italice edito anno 1596 sub titulo: *Breve trattato della SS. Croce, dove si mostrano le virtù, eccellenza, miracoli fatti da molti Santi per mezzo della Croce.*

Fr. Valerius Lingerius, Viterbiensis, anno 1681 typis evulgavit *brevem historiam SS. Mariae Liberatricis.* Est in Angelica.

Fr. Vincentius du Pre, Belga, anno 1644 typis edidit librum cui titulus: *Flammulae Amoris B. Clarae de Montefalco in fornace dominicae passionis succensae.*

Fr. Wolfgangus Eder, Bavarus, anno 1691 Monachii impressit *vitam S. Joannis a S. Facundo, quam ex italico in germanicum sermonem verterat.*

Digitized by Google

AUGUSTINIANI EXCALCEATI.

Congregatio Augustinensium Excalceatorum nobilis quidam ramusculus est magnae arboris Eremitanae Religionis, quae illum protulit post medietatem saeculi 16. Illius institutor, seu potius inceptor fuit vir sanctitate atque doctrina spectatissimus noster V. Thomas a Jesu Lusitanus, cuius laus toti mundo patet in aureo libro de aerumnis Domini nostri Jesu Christi, qui omnium piorum manibus etiamnunc teritur. Videns enim V. Thomas quod rigidioris observantiae studio nonnulli nostrates ex Lusitania ad varias, quae tunc temporis in Italia florebant, reformatas Augustiniani Ordinis Congregationes transibant, aliique horum exemplum imitari parati erant; ut religiosa ipsorum desideria expleret, ex consilio etiam nostratis V. Ludovici de Montoya, atque favente Henrico Cardinali Infante, Excalceatorum Congregationis fundamenta jecit. Verum quia suborta quaedam valida obstacula superare non potuit, et quia anno 1578 cum Sebastiani Regis exercitu in Africam trajecit, ubi postea in manus Maurorum incidit, inceptum reformationis opus perficere prohibitus fuit. Consenserat autem piis V. Thomae conatibus vir non minus religione quam doctrina conspicuus noster Ludovicus Legionensis, famosus theologus, atque celeberrimus poeta, cui marmoream statuam hisce nunc diebus conterranei ejus erigendam curant. Hic itáque praeclarissimus vir, cum anno 1588 Generalis Gregorius Petrochinus a Montelparo visitationis causa in Hispaniam profectus fuisset, ipsius Regis Philippi II favore ac nobiliorum Castellanae provinciae Patrum consensione fretus effecit ut in Toletanis provincialibus comitiis die S. Andreae sacro sub praeside praefato Generali Petrochino habitis reformationis negotium tractaretur simul atque approbaretur. Hujusmodi itaque approbatione obtenta laudatus noster Ludovicus Legionensis una cum nostrate P.

Digitized by Google

Fr. Hieronymo de Guevara Segoviensi novae Excalceatorum Congregationis constitutiones confecerunt, ea potissimum praecepta seligentes, quae ad strictiorem antiquae Augustinianae observantiae normam pertinebant. Hisce igitur primordiis Augustinensium Excalceatorum Congregatio constituta, opera praesertim magni servi Dei Andreae Diaz Hispani brevi per Hispaniam, atque insulas Philippinas, per Italiam, Germaniam, atque Galliam ita mirifice propagata fuit, ut sexdecim provincias cum coenobiis plus centum et quinquaginta enumerarit ac alius potius Ordo quam simplex Congregatio esse videretur, licet Calceatorum Antistes tamquam illius etiam Praeses semper habitus fuerit, atque habeatur, cum Excalceatorum rector duntaxat Vicarii generalis nomine subjectam sibi Congregationem moderetur. Protulit haec perinsignis Augustinensium Excalceatorum Congregatio multos pietate atque doctrina viros praestantes, non paucos Episcopos et Archiepiscopos, innumerosque martyres, qui in Indiis praesertim, Japonia, et insulis Philippinis pro catholicae fidei propagatione sanguinem profuderunt, ut videre licet apud Mauritium a Matre Dei in sua *Sacra Eremo Augustiniana*, Thomam Herreram, Philippum Elssium, Josephum ab Assumptione, Felicem Ossinger, Joannem Bartholomaeum Pancerum a S. Claudia, Andream de S. Nicolao, aliosque cum nostrates tum externos auctores. Cum autem mihi certum non sit de omnibus et singulis hujus Congregationis viris illustribus verba facere, ad hoc enim aliud integrum opus confici oporteret, idcirco caeteris praetermissis praecipuos tantum ejusdem scriptores recensere contentus ero; non vero quod hos pluris faciam quam viros sanctitate praestantes, sed quia pauciores cum sint, brevius hinc me expedire potero. En itaque praecipuorum scriptorum Augustinensium Excalceatorum catalogus.

Fr. Abraham a S. Clara, alias Hulricus Megerlè, Svevus, vir fuit admodum vivacis atque jucundi ingenii, ut ejus

Digitized by Google

scripta atque fama testantur. Dicitur ab Ossinger *singulari facundia praeditus, et officio evangelicae praedicationis natus, et ideo in concionibus populo* maxime carus. Viennae caesareum concionatorem egit Leopoldi I, cui Imperatori acceptissimus fuit. Vitam cum morte commutavit Viennae anno 1709, aetatis suae 67. Opera ejus sermone patrio exarata, typisque edita haec sunt: 1. *Grammatica religiosa.* 2. *Judas nebulonum maximus, tomi* 4. 3. *Opus de virtutibus et vitiis.* 4. Opus cui titulus: *Aliquid pro omnibus hominibus, cum figuris.* 5. *Spiritualia miscellanea cum figuris.* 6. *Spiritualis taberna referta apostolicis mercibus, idest conciones miscellanae.* 7. *Centifolium stultorum.* 8. *Speculum stultarum.* 9. *Mensa et cibus in eremo, partes* 3. 10. *Mercurialis, idest curiosae historiae, fictiones, symbola, et biblici conceptus.* 11. *Cella vinaria bene repleta cum figuris.* 12. *Speculum mortis cum figuris.* 13. *Fraternitas mortis.* 14. *Nidus stultorum, partes* 3, *et alia plura, quae videri possunt apud Ossinger.*

Fr. Ambrosius a S. Andrea, Ligur, qui fuit Commissarius generalis, laudatur a Mazzuchellio, Oldoino, et Marraccio. Fato concessit anno 1660. Typis edidit: 1. La divotissima orazione giacolatoria: *Gesù e Maria vi dono il cuore e l' anima mia.* 2. *Collectionem gratiarum per eamdem orationem obtentarum.* 3. *Expositionem ejusdem orationis.*

Fr. Ambrosius de Nobilibus a S. Carolo, Mediolanensis, vir fuit in S. Scripturis egregie versatus, atque in primis magnae eloquentiae concionator. Vitam posuit anno 1715. Nominatur a Philippo Argelati. Praelo tradidit: 1. *Explanationem in Cantica Canticorum.* 2. *Conciones italicas pro Adventu et Quadragesima.* 3. *Discursus de doloribus B. Mariae Virginis, et alios de SS. Rosario.*

Fr. Andreas Lavaretti a S. Thoma, Januensis, dicitur ab Ossinger vir morum decore, pietate, ac doctrina ornatus atque insignis B. Mariae Virginis amator et cultor. Florebat saeculo 17. Praelo mandavit: 1. *Vitam S. Nicolai de Tolen-*

Digitized by Google

tino. 2. *De mortuorum suffragationibus, et animabus purgatorii opus in tres partes distinctum.* 3. *Opusculum de praedestinatione hominis.* 4. *Explicationem Salutationis Angelicae, tom.* 2. 5. *De divina essentia tom.* 2.

Fr. Andreas de S. Nicolao, Peruanus, collegii Complutensis rector atque Congregationis annalium scriptor, florebat saeculo 17. Typis evulgavit: 1. *Expositionem regulae S. P. Augustini, quam traduxit in sermonem italicum noster Torelli.* 2. *Planctum passerculi solitarii, sive peccatoris ad Deum conversionem.* 3. *Proventum messis familiae Excalceatorum S. P. Augustini Congregationis Hispanicae.* 4. *Historiam nostrae Dominae de Capacavana.*

Fr. Angelus Maria Quadrius a S. Philippo, Mediolanensis, claruit scientia philosophica atque theologica, necnon arte oratoria, et poetica. Vitam posuit Venetiis dum quadragesimales conciones haberet anno 1703 aetatis suae 33. Praelo mandavit: 1. *Conciones quadragesimales.* 2. *Duos tomos orationum panegyricarum.* 3. *Vitas S. Caloceri martyris, et V. Virginiae fundatricis monasterii SS. Visitationis Aronae.* Reliquit etiam quaedam poetica et oratoria inedita.

Fr. Angelus de S. Rosalia, alias Franciscus Raffard, Gallus, dicitur ab Ossinger vir egregius, eruditissimus, eloquentissimus, atque multis scientiis clarus. Obiit Parisiis anno 1724. Typis edidit gallice: 1. *De statu Franciae.* 2. *Correxit et ampliavit historiam domus Franciae fr. Anselmi de Virgine Maria.* Quod opus typis edidit ejus socius Fr. Simplicianus.

Fr. Anselmus de Virgine Maria, Gallus, vulgo Anselmus Parisiensis nuncupatus, claruit potissimum genealogico studio, adeo ut in hac scientia sua aetate aequalem non habuerit. Vitam posuit Parisiis anno 1694. Ejus opera sermone patrio typis edita haec sunt: 1. *Palatium honoris quod continet originem, et explicationem gentilitiorum insignium, institutionem Ordinum militarium, caeremonias obser-*

Digitized by Google

vari solitas in inauguratione regum et reginarum etc. 2. *Historiam genealogicam et chronologicam domus regalis Franciae, et magnorum officialium Coronae* etc.

Fr. Arsenius ab Ascensione, Italus, qui floruit saeculo 17, typis evulgavit: 1. *Vitam B. Joannis a S. Guilelmo.* 2. *Suspiria amoris S. P. Augustini ex hispanico in sermonem italicum traduxit.*

Fr. Anterus a S. Bonaventura, Januensis, qui dicitur ab Ossinger vir in S. Scripturae mysteriis exponendis admirabilis, florebat saeculo 17. Praelo mandavit: 1. *Ponderationes in Acta Apostolorum juxta multiplicem divinarum Scripturarum sensum* etc. Opus praesertim concionatoribus perutile: 2. *Auri gemmarumque mysticam fodinam, sive caritatis congregationem a Domino nostro Jesu Christo fundatam atque saluberrimis regulis communitam, ex qua quaelibet personarum classis qualiter divina hac in virtute perficiatur ubertim invenient* etc. 3. *De laemocomiis* (italice) *Genuae, atque utriusque orae.*

Fr. Augustinus de S. Ildephonso, Hispanus, anno 1644 Compluti in vulgus protulit *theologiam mysticam sermone patrio expositam.*

Fr. Benedictus a S. Jacobo, Ferrariensis, qui fuit provinciae Romae moderator, dicitur ab Ossinger sui temporis theologus nobilissimus. Florebat saeculo 17. Praelo mandavit: 1. *Axiomata metaphysica ex S. P. Augustino.* 2. *Enchiridion Theologiae Augustinianae juxta mentem S. Thomae Aquinatis* 3. *Axiomata de SS. Trinitatis mysterio.*

Fr. Bernardus a S. Theresia, Germanus, qui floruit saeculo 18, dicitur ab Ossinger vir incomparabilis doctrinae, ferventissimus catholicae fidei defensor, et haereticae pravitatis debellator fortissimus. Praelo tradidit sermone patrio: 1. Librum cui titulus: *Quinquaginta causae cur nemo bona conscientia ad lutheranismum transire, vel si in hac haeresi est, in ea perseverare possit.* 2. *Verbum vitae, seu*

Digitized by Google

demonstrationem solam fidem catholicam esse veram, sine qua ad vitam aeternam perveniri non potest.

Fr. Christophorus de S. Onuphrio, Amerinus, claruit doctrina atque sanctitate, et consummatus in brevi explevit tempora multa. Obiit cum opinione sanctitatis anno 1619, aetatis suae 20. Reliquit *expositiones in psalmos religionis plenas.*

Fr. Chrysostomus a S. Anna, Siculus, qui floruit saeculo 17, typis evulgavit librum de magno lucro quod percipitur ex nostris bonis operibus factis *pro defunctis.*

Fr. Cyrillus Crippa a S. Maria, Mediolanensis, fuit insignis theologus, qui meritis et annis plenus ex hac vita migravit anno 1737. Scripsit *theologiam juxta sacras Scripturas, Concilia et Sanctos Patres, cujus primum tantum volumen excusum fuit.* Reliquit etiam varia opera inedita.

Fr. Constantinus Rosignoli, Genuensis, S. theologiae professor, qui floruit saeculo 17, scripsit opus sub titulo: *Regale Solium B. V. Mariae in ter mirabili aula Nazarenae domus, vulgo Lauretanae, toti mundo conspicuum.*

Fr. Eliseus a Jesu Maria, Polonus, qui dicitur ab Ossinger vir magnae doctrinae, anno 1677 praelo tradidit *vitam nostratis B. Gratiae de Catharo.*

Fr. Eustachius a S. Ubaldo, Mediolanensis, fuit eximius concionator, qui obiit Romae anno 1700. Typis evulgavit: 1. *Duo volumina sermonum.* 2. Aliud variorum sermonum sub titulo: *Sacri trattenimenti per i popoli divoti in alcuni giorni festivi.* 3. *Quodlibeta regularia ad Patres Excalceatos praecipue spectantia.* In hoc opere agit etiam de monachatu S. P. Augustini. 4. *De Dei benedictione.* 5. *De praecipuis juris et justitiae partibus, scilicet de restitutione et contractibus.* 6. *De metropoli Mediolanensi et alia.* Tria priora italico sermone, caetera autem latino sunt exarata.

Fr. Felix a Spiritu Sancto, Lusitanus, exactissimus regularis disciplinae custos, qui dicitur ab Ossinger vir do-

Digitized by Google

ctrinae singularis et eruditionis exquisitae, necnon poeta natus, floruit saeculo 17. Praelo tradidit quaedam lingua patria atque stilo drammatico conscripta, nempe: 1. *De Christi nativitate.* 2. *De circumcisione.* 3. *De tribus Regibus Magis.* 4. *De fuga in Aegyptum.*

Fr. Fridericus de S. Petro anno 1791 Romae typis tradidit *memorias historicas sacri templi S. Georgii in Velabro*, quod jam ad nostrates Genuenses pertinuit.

Fr. Gabriel Bartoli, Ferrariensis, concionator et poeta, claruit religione erga S. Theclam, in cujus laudem suam poesim exercuit. Florebat saeculo 17. Typis edidit italice: 1. *Orationes jaculatorias ad S. Theclam versibus concinnatas.* 2. *Harmoniam spiritualem quinquaginta laudum ad honorem ejusdem Sanctae, et alia.*

Fr. Geminianus a S. Mansueto, Mediolanensis, celebris concionator, typis evulgavit *suas conciones quadragesimales, et varias orationes panegyricas*, quarum prima editio facta fuit Bassani anno 1773.

Fr. Guilelmus a S. Honorato, Neapolitanus, anno 1786 Neapoli impressit *exercitia spiritualia pro monialibus.*

Fr. Henricus Drisius, Belga, fervidus concionator, animarum saluti intentus, et rigidioris vitae cupidus, ad Augustinianos excalceatos in Galliam transiit, ubi dictus fuit Angelus a S. Clara. Parisiis catholicos e cathedra confirmans et haereticos debellans, obiit ibidem cum fama sanctitatis anno 1633. Impressit *politico-sacra.* Ita Jo. Franciscus Foppens.

Fr. Hieronymus ab Ascensione, Messanensis, celebris chirurgus, anno 1693 librum praelo mandavit sub titulo: *Il vello d'oro arricchito d'arte chirurgica diviso in sette utilissimi trattati.*

Fr. Hieronymus de S. Maria, vulgari saeculi cognomento Lopez de Mesa, Hispanus, anno 1625 Romam venit, ac mansionem suam fixit in coenobio S. Ildelphonsi. Obiit

Digitized by Google

octogenario major anno 1666 relinquens *etimologicum linguae latinae, graecae, et hispanicae.*

Fr. Hieronymus Savonensis, theologus primi ordinis, coenobii Matritensis antistes, fundator plurium domorum pro suis religiosis in provinciis Aragoniae, Valentiae, et Caesaraugustae, vir doctrina inclitus, sanctisque moribus ornatus, initio saeculi 17 scripsit *de rebus naturalibus librum unum, et alium de SS. Petro et Joanne Apostolis.* Ita Augustinus Oldoinus.

Fr. Hilarius a S. Antonio, Italus, anno 1629 typis edidit *vitam S. Thomae de Villanova.*

Fr. Hyacinthus Montargon de Assumptione, alias Robertus Franciscus Montargon, Gallus, natus est Parisiis anno 1706. Fuit concionator Galliarum regis, necnon eleemosynarius et concionator Stanislai I Poloniae regis. Obiit aquis submersus in civitate *Plombieres* anno 1770, aetatis suae 65. Si quis inficiatur illum fuisse Excalceatum, hic animadvertat alumnum fuisse coenobii Parisiensis nostrae Dominae de Victoriis, quod ad Excalceatos pertinebat. Typis edidit gallice: 1. *Notissimum Dictionarium apostolicum ad usum concionatorum,* cujus in nostra Italia innumerae habentur versiones, in quibus ut plurimum per hominum invidiam, seu potius ignorantiam reticetur auctoris Augustiniana professio. 2. *Collectionem eloquentiae sacrae.* 3. *Historiam institutionis festi SS. Sacramenti.*

Fr. Jacobus Cattaneus a S. Lucia, Mediolanensis, fuit famosissimus concionator, qui in primariis Italiae urbibus per 47 annos innumerorum audientium admirationem in se convertit, atque ingens animarum lucrum reportavit. Obiit Mediolani anno 1737 dum post peractum Missae sacrificium orationi vacaret. Typis evulgavit *varias orationes panegyricas, funebres, et alias.*

Fr. Ignatius a Cruce, Neapolitanus, in regio patriae collegio S. Theologiae professor, florebat saeculo 18. Typis

Digitized by Google

evulgavit: 1. *Librum orationum panegyricarum.* 2. *De Deo gratiae auctore praelectiones theologicas dogmaticas, tom.* 1. 3. *Revelatae religionis vindicias, tom.* 1. 4. *De veritate religionis christianae tom.* 2. 5. *Conciones quadragesimales, et alia.* Opera theologica sunt latino sermone exarata.

Fr. Ignatius a S. Maria, Lusitanus, S. Theologiae professor, anno 1630 impressit librum latinum sub titulo: *Turris salutis, in qua traduntur industriae spiritualis militiae contra animae hostes.* Item anno 1638 in vulgus protulit egregium volumen cui titulus: *Propugnacula contra vitia.*

Fr. Joannes Bartholomaeus Pancerus a S. Claudia, Mediolanensis, qui dicitur ab Ossinger vir in historiarum cognitione ad miraculum excultus, perspicacis ingenii acumine clarus, eloquio disertus, ac metro et prosa excellens, ex hac vita migravit anno 1711. Praeter multa manuscripta posteris etiam reliquit sequentia typis edita: 1. *Rinforzo dello spirito religioso con dieci giornate di ozio santo appreso nella scuola del gran P. S. Agostino* 2. *Historiam suae Congregationis italice exaratam.* 3. *Litteras apostolicas, decreta, et alia hujusmodi pro Congregatione Excalceatorum Italiae* etc.

Fr. Joannes a Conceptione, Hispanus, provincialis Philippinarum, anno 1788 Manilae impressit *historiam earumdem insularum* 14 *vol. in* 4.° *contentam.*

Fr. Joannes Gregorius a Jesu Maria, Neapolitanus, suae Congregationis Vicarius generalis, florebat saeculo 17. Typis evulgavit: 1. *La pratica del ben morire.* 2. *Divinità ed innocenza di Gesù Cristo manifestate nella sua passione dichiarate in* 77 *lezioni nella chiesa di S. Petronio in Bologna.* 3. *Ultima scuola di sottigliezza cristiana fatta nel Calvario da Gesù Cristo nella cattedra della croce divisa in sette letture con sette parole interpretate nel duomo di Milano.* 4. *De ultimo instanti animae a corpore separatae, seu de judicio particulari.*

Fr. Joannes a S. Margarita, Lusitanus, eximius concio-

Digitized by Google

nator, atque Ulyssipone Theologiae moralis professor, florebat saeculo 18. Praelo mandavit *varios sermones politicos, panegyricos, et morales in diversis circumstantiis habitos.*

Fr. Laurentius a S. Nicolao, Hispanus, frater conversus, fuit insignis architectus, qui anno 1639 Matriti typis evulgavit *librum de architectura.*

Fr. Marianus Grimaldus, Genuensis, qui florebat saeculo 17, typis edidit italice vitas Sanctorum Genuensium sub titulo: *Sanctuarium almae urbis Genuae.*

Fr. Mathias a S. Anna, Lusitanus, vir doctrina ac pietate conspicuus, qui fuit magister novitiorum, anno 1733 praelo tradidit *annotamenta ad majorem divini cultus perfectionem, et* 1743 *Caeremoniale ecclesiasticum pro Augustinianis Excalceatis.*

Fr. Mauritius de S. Britio, cognomento Cerus, Mediolanensis, fuit praecipuus sui temporis concionator, qui per quadraginta annos in primariis Italiae urbibus hoc munus exercuit. Ex hac vita migravit anno 1688. Reliquit sequentia typis edita: 1. *Expositiones morales super Evangelia totius anni.* 2. *Conciones pro Quadragesima et pro Adventu.* 3. *Discursus praedicabiles pro Dominicis totius anni.* 4. *Sermones panegyricos.* 5. *Mariale cum* 12 *sermonibus de SS. Rosario, et alia.*

Fr. Mauritius a Matre Dei, Sabaudus, anno 1688 typis edidit *Sacram Eremum Augustinianam*, in qua agit de Excalceatis.

Fr. Michael a S. Catharina, Germanus, anno 1711 typis tradidit egregium opus latinum cui titulus: *Trinum perfectum, via, veritas, et vita, seu semita salutis tripartita docens et ducens de via purgativa per veritatem illuminativam ad unitivam, tom.* 3. 2. Edidit etiam *meditationes germanicas.*

Fr. Nicolaus a S. Augustino, Genuensis, vir pietate et doctrina laudabilis anno 1675 typis evulgavit lingua italica *Suspiria peccatoris ad Deum recurrentis.*

Digitized by Google

Fr. Nicolaus Moltrasius, seu Archangelus a S. Nicolao, Mediolanensis, qui floruit usque ad initium saeculi 18, praelo tradidit: 1. *I Venerdì di Marzo, e Sabbati della Vergine addolorata.* 2. *Instructionem pro pueris qui praeparantur ad primam communionem.* 3. *Dies Marianos pro singulis Sabatis et festis B. Mariae Virginis.* 4. *Vitam S. Annae depromptam ex SS. Patribus.* 5. *Vitam S. Eurosiae virginis et martyris.* 6. *Peregrinum Marianum manuductum singulis diebus ad prodigiosas imagines B. M. V. quae in toto orbe coluntur, et alia.*

Fr. Nicolaus a S. Joanne Baptista, Panormitanus, suae provinciae praeses, vir fuit doctrinae fama in tota Italia notissimus. Obiit in patria anno 1662. Typis evulgavit: 1. *Philosophiam Augustinianam, sive integrum cursum philosophicum juxta doctrinam S. P. Augustini.* 2. *Compendium Theologiae scholasticae, in quo breviter et dilucide praecipui ejus tractatus expenduntur.*

Fr. Nicolaus Saulius Carrega, Januensis, vir fuit ingenio multiplicique eruditione ornatus, atque in utraque lingua, latina videlicet, et hetrusca versatus, qua duce, morum suavitate comite, doctorum hominum, eorumdemque clarissimorum amicitias sibi ex tota Italia adjunxit. Scripsit *epistolarum libros tres priores, totidemque posteriores, ac demum quatuor alios, qui pluries, quia semper grati, typis excusi sunt.* Evulgavit etiam *de concordiae laudibus orationem habitam in Dispersorum academia.* Ex Oldoino.

Fr. Octavius Maria a S. Josepho, Tusculanus, vir juris utriusque peritia, atque Theologiae moralis scientia praestans, floruit saeculo 18. Typis tradidit: 1. *Repertorium utriusque fori.* 2. *Ejusdem Repertorii continuationem.* 3. *Casus conscientiae.* 4. *Bis mille trecenta et decem dubia moralia, additis centum aliis quaesitis.*

Fr. Paschalis Contursi a S. Nicolao, Neapolitanus, in illa Universitate S. Theologiae professor, qui anno 1820 elec-

Digitized by Google

tus fuit Vicarius generalis, typis evulgavit *varios sermones panegyricos et alios, necnon varia poemata italica et latina.*

Fr. Paschasius de Comitibus a S. Francisco, Mediolanensis, vir pietate atque doctrina spectabilis florebat saeculo 18. Praelo tradidit: 1. *Primi erudimenti di spirito esposti alle semplici verginelle.* 2. *L'eucaristico pane sminuzzato ai semplici.* 3. *Vitam S. Nicolai de Tolentino cum methodo celebrandi septem dies ad ejus honorem.* 4. *Indulgentias SS. Cincturae et Rosarii B. M. V.* 5. *Instructiones magis necessarias pro tribus Sacramentis poenitentiae, eucharistiae, et confirmationis rite recipiendis.*

Fr. Petrus a S. Josepho, Hispánus, ob hujus artis peritiam pictor appellatus, vir praestanti ingenio et memoria praeditus, obiit Compluti anno 1652. Typis edidit hispanice: 1. *Discursus morales pro diebus dominicis, quartis, et sextis feriis Quadragesimae.* 2. *Sermones pro festivitatibus B. Mariae Virginis.* Alia citat Ossinger, sed non refert utrum sint impressa.

Fr. Philippus a Domina nostra septem dolorum, Gallus, anno 1687 praelo tradidit *Speculum monasticum in quo totius religiosae disciplinae casus, regulae, et difficultates clare videntur, breviter explicantur, et resolvuntur.*

Fr. Prosper Staurengus a S. Josepho, Mediolanensis, S. Theologiae magister, provincialis, et celebris concionator, vitam posuit Romae anno 1715. Praelo mandavit sequentia italice exarata: 1. *Orationes sacras.* 2. *Discursus pro Adventu, et pro aliquibus festivitatibus Sanctorum.* 3. *Discursus super regulam S. P. Augustini.* 4. *Conciones quadragesimales.*

Fr. Seraphim a S. Bernardo, Messanensis, qui fuit suae provinciae praeses, dicitur ab Ossinger disertissimus concionator. Decessit anno 1707. Typis mandavit: I. *Orationem funebrem P. Apollonii de SS. Trinitate suae Cong. Vic. gen.* 2. *Tres orationes panegyricas in laudem sacrae epistolae B. M. V. ad Messanenses, et alia.*

Digitized by Google

Fr. Simeon a S. Cruce, Italus, anno 1642 Romae impressit *Compendium Theologiae duobus tomulis comprehensum.*

Fr. Stephanus a S. Gregorio, Neapolitanus, qui dicitur ab Ossinger acutus philosophus et egregius theologus, florebat saeculo 17. Praelo tradidit librum cui titulus: *De divinae pietatis vinculis, quibus quilibet vitae status Deo arctius conjungitur, Sacramentis scilicet in genere, baptismo, confirmatione* etc. In hoc opere habentur omnes tractatus theologiae moralis.

FF. Franciscus de S. Fulgentio et Vincentius de S. Antonio.

Horum martyrum Excalceatorum notitias refero, quia hisce nunc diebus causa agitur de ipsorum canonizatione.

Franciscus de S. Fulgentio, alias de Jesu, in oppido Villae-Medianae Castellae veteris in Hispania natus, Vallisoleti habitum induit. Anno 1620 ad Philippinas navigavit, ubi Manilae subpriorem, et novitiorum magistrum egit. Postea animarum zelo succensus in Japoniam transivit, ubi multa infidelium millia sacro fonte purificavit, atque illustre martyrium sustinuit una cum socio Fr. Vincentio de S. Antonio Algarbiensi. Natus est hic Fr. Vincentius Ulyssipone in Lusitania, unde in Americam profectus, ibidem anno 1622 in Mexicano coenobio Augustiniano Ordini nomen dedit. Professionem autem emisit Manilae in Philippinis anno 1623. Deinde in Japoniam trajecit, ubi post ingentes animarum fructus gloriosum martyrium subiit una cum praefato Fr. Francisco de S. Fulgentio. Hoc martyrium ita fere a nostrate Philippo Elssio describitur: His ad columnam (Vomurae anno 1630) alligatis, pedibus super calidissimae aquae sulphureae balneum pendentibus, aderant saevi tortores, qui aquam illam capiti et toti corpori superinfunderent, quae in cute martyrum ignitas ampullas excitabat, et

Digitized by Google

carnem ardore suo devorabat potius quam corrodebat. Enarrarunt enim qui adfuerunt certamini ossa et costas athletarum Christi a tergo, et ab utroque latere apparuisse, ignea aqua carnes depascente. Adstabat medicus capitali supplicio adactus ne in balneo martyres mori pateretur. Frequenter is pulsum tangebat ne simul ipse mori cogeretur, et ubi deficere vires humanas tyranni crudelitati animadvertebat, statim inde eos amoveri jubebat, laceros artus medicamento fovebat, martyres adhibitis remediis corroborantibus recreabat, non ex humana pietate ne amplius paterentur, sed ex diabolica immanitate ut gravius cruciarentur. Postquam in se reversi erant, et vires aliqualiter reparaverant, ad idem supplicium immaniori feritate rapiebantur. Septies Franciscus, quinquies Vincentius eo torti, licet non extincti martyrio, non sine omnium admiratione tam acerbam sustinentes poenam feliciter de tyranno triumpharunt. Hucusque Elssius iisdem fere verbis. Demum ambo igne in Japonia combusti martyrii coronam adepti sunt anno 1632.

FINIS.

LAUS DEO, DEIPARAE, S. P. AUGUSTINO ET OMNIBUS SANCTIS ORDINIS NOSTRI.

Digitized by Google

APPROBATIO

Rmi P. M. Pauli Micallef, Ordinis nostri Vicarii Generalis, mandatis obsequentes, nos infrascripti libentissime perlegimus, librum, cui titulus: *Postrema saecula sex Religionis Augustinianae*, a R. P. M. Josepho Lanteri concinnatum; nihilque in eo censura dignum, sed e contra sermonis puritatem et elegantiam, simulque indefessam in consulendis scriptoribus solertiam, maximumque in promovendo nostri sacri Ordinis decore zelum deprehendimus. Idcirco illum typis mandari posse putamus.

Romae ex coenobio S. P. Augustini die 30 *Martii* 1858.

F. JOSEPH CAJAZZA ORD. PROC. GEN.
FR. CLEMENS PAGLIALUNGA
Assistens, et Bibl. Angelicae Praefectus.

NOS FR. PAULUS MICALLEF MELITENSIS
SACRAE THEOLOGIAE MAG. TOTIUS ORDINIS EREM. S. P. AUG.
VICARIUS GENERALIS ETC.

Visa approbatione Rmi P. M. Josephi Cajazza nostri Ordinis Proc. Generalis, necnon Rmi P. M. Clementis Paglialunga ejusdem nostri Ordinis Assistentis, et hujus nostrae Angelicae Bibliothecae Praefecti, facultatem concedimus R. P. M. Josepho Lanteri praelo mandandi suum opus *Postrema saecula sex etc.* servatis tamen servandis. In quorum etc.

Dat. Romae ex coenobio S. P. Augustini die 2 *Aprilis* 1858

FR. PAULUS MICALLEF
Vic. Generalis.

Digitized by Google

NOTANDA

Pag. 219 tom. 2 ea verba de scriptis B. Alphonsi de Orosco *quae omnia, et alia multa hispanico, latino et gallico sermone impressa habentur*, distributive sunt accipienda. Pag. 65 ejusdem tom. 2 ubi agitur de B. Francisco de Zampano pro verbis *ejusdem furfuris* lege *ejusdem generis*. Ignatius Dycherius, de quo pag. 161 tom. 3, typis edidit latine: 1. *Epigrammatum sacrorum libros tres*. 2. *Sylvarum librum unum*. 3. *Lyricorum libros duos*. Fulgentius Lafosse, de quo pag. 152 tom. 3 scripsit etiam *de auctoritate D. P. Augustini*. Josephus Sicardus, Arch. Sassaritanus, typis edidit Matriti anno 1678 *historiam christianitatis regni Japoniae, vol.* 1. *in fol.* Ambrosius Calepinus obiit die 30 Novembris 1511. Jacobus Philippus Gatti typis evulgavit etiam *novendiales preces pro festivitatibus B. M. Virginis italice conscriptas*. Julius Accetta, de quo pag. 169 tom. 3. fuit Calaber, non Pedemontanus. Ludovicus Legionensis fuit etiam excellentissimus poeta. Opus ejus quod pag. 335 tom. 2 dicitur *de nominibus divinis* dicatur *de nominibus Christi*. Jacobus Fiorelli, de quo pag. 160 tom. 3. impressit etiam anno 1682 opus italicum sub titulo: *Homo multiplex, sive considerationes de praecipuis statibus vitae ipsius, discursus morales, et eruditi*. Fulgentius Alghisius, de quo pag. 152 tom. 3 natus est anno 1610 et obiit 1684. Reliquit multa manuscripta inter quae *historiam Montis Ferrati*. Stephanus Facchinelli, de quo pag. 191 tom. 3 typis etiam evulgavit: 1. *La cetra Pindarica, poesie liriche*. 2. *Il Cristiano politico, ossia vita di S. Giovanni da S. Facondo*. Ignatius Rossini, de quo pag. 351 tom. 3, in Religione nominabatur Thomas. Joannes Michael Maria Quaranta, de quo pag. 247 tom. 3, natus est Cavae in provincia Salernitana anno 1776 ex Onuphrio, et Elia del Baglivo de Baronibus Casigliani, uti refert DD. Thomas Michael Salzano in ejusdem elogio fune-

Digitized by Google

bri. Pag. 147 tom. 2 pro Philippo Haresche legatur Philibertus. Bis errato impressa inveniuntur nomina Didaci Lopez de Andrada, et Joannis a S. Facundo Raulin. Antonius Cesari in suo opere cui titulus *Fiore di storia ecclesiastica* pag. 377 partis secundae habet elegantem sermonem de vita et morte nostratis sanctimonialis Seraphinae Ruzzenenti, quae cum opinione sanctitatis obiit Veronae sub initium hujus saeculi 19 in monasterio S. Georgii. Pag. 159 tom. 3, ubi agitur de Hieronymo Nicolio, pro *institutionum moralium* lege *institutionum imperialium*. Pag. 223 pro Magistrati *lege* magistrali. Pag. 230 pro *valide* lege *valde*, 253 pro Augustiniano Eremo *lege* Augustiniana Eremo, 288 pro hoc officia *lege* haec officia. Pag. 297 pro homines contentiones *lege* hominum contentiones.

Digitized by Google

INDEX PRAECIPUORUM

SAECULUM PRIMUM

B. Aegidius Columna vol. I. pag. 47
B. Albertus de Verona 54
B. Albertus Patavinus 55
Alexander a S. Elpidio 58
Alexander de Marchia 202
Alexander de Vergh ib.
V. Andreas Muccafori ib.
B. Angelus a Burgo S. Sepulcri 60
Ancherius Pantaleon 193
Angelus de Camerino 61
B. Angelus de Fulginio 62
B. Angelus de Furcio 64
B. Antonius de Monticiano 66
Apparitio S. P. Augustini 14
Augustinus de Asculo 67
B. Augustinus Novellus 69
Augustinus Seneca 73
B. Augustinus Triumphus 74
B. Augustinus de Vicentia 77
B. Bartholomaeus de Urbino. 79
Benedictus Icenus 81
Bernardus Oliverius ib.
B. Bonus Senensis 204
B. Brunectus Pratensis 83
B. Clemens ab Auximo 84
Conradus de Monte Puellarum 87
B. Emmanuel de Coyna 194
Dimalducius Foroliviensis 88
Dionysius a Burgo S. Sepulcri 89
V. Dionysius de Mutina 91
B. Elias de Melioratis 92
Episcopi 213
B. Erthinodus de Gotha 93
BB. Evangelista et Peregrinus 95
B. Franciscinus de Ravenna 99
B. Franciscus de Regio 101
B. Fridericus Ratisbonensis 102
Gualterus Burlaeus 195
Galfridus Grandfeldius 103
Generales 209
B. Gerardus de Bergomo 104
Gerardus Senensis 106
B. Gregorius de Veruculo 108
B. Gualterus Reclusus 110
B. Guilelmus Amidanus de Cremona 111
Guilelmus Durantes 196
B. Guilelmus Sengham 113

Digitized by Google

SAECULUM PRIMUM

B. Guilelmus Triumphus pag. 115
B. Henricus de Urimaria ib.
B. Hermannus de Hallis 119
Hulricus Scultetus 122
B. Humbertus de Accarigiis 123
B. Jacobus de Viterbio 124
B. Joannes Bonus 126
B. Joannes de Carcassona 130
B. Joannes Guccius de Incontris 131
B. Joannes de Lana 134
Joannes Magirus alias Dencok 136
Joannes Miramanda 206
B. Joannes de Reate 138
Joannes Ridevallus 197
Joannes Sassus 140
B. Joannes de Viterbio 141
Joannes Wiltonus 143
B. Lanfrancus Septala 144
B. Ludolphus de Camoslaria 146
Matthaeus Patavinus 147
Michael Calergius 207
Michael de Massa 148
Moniales 216
B. Nicolaus Brunus 149
Nicolaus de Bohemia 207
S. Nicolaus de Tolentino 150
Origo tunicae albae 25
B. Peregrinus de Auximo 208
Petrus Bruniquellus 161
B. Petrus Eugubinus 164
B. Petrus de Rosia 166
B. Petrus de Salimbenis 167
V. Philippus de Parma 169
B. Philippus de Placentia 170
V. Prosper de Regio 171
Richardus Cheferus 172
S. Richardus Rullus 199
Robertus Worsopus 173
Robertus Eliphatus 201
Rogerus Glactonus 174
Sacristae 212
B. Simon Fidatus de Cascia 176
B. Simon de Tuderto 179
Stephanus Etonius 183
Stephanus Forestus ib.
B. Theobaldus Veronensis 184
B. Thomas de Arimino 187
Thomas Borstallus 189
B. Vitus de Hungaria 190
B. Ugolinus de Gualdo Cathaneo 191

SAECULUM SECUNDUM

Adam Puczen vol. I. p. 219
Aegidius de Bonis 220
Albertus Crespus 364
Albertus de Saxonia 221
Aldebrandinus Cavalcantes 222

Digitized by Google

SAECULUM SECUNDUM

Andreas Bondimerius pag. 229
B. *Ambrosius Florentinus* 365
B. *Alphonsus Vargas* 227
Aloysius Marsilius 223
B. *Ambrosius Florentinus* 365
B. *Andreas Biglia* 231
B. *Andreas de Fabriano* 233
B. *Andreas de Luca* 235
B. *Andreas Regulinus* 236
B. *Antonius ab Amandula* 238
B. *Antonius de Cornueto* 365
V. *Antonius de Fano Junior* 246
V. *Antonius de Fano Senior* 244
Antonius de Nomis 366
B. *Antonius de Nicea* 242
Antonius Rampelogus 247
B. *Antonius de Ravenna* 243
Antonius de Venetiis 366
Arnoldi Sancius et Ruffus 249
Augustinus Campellus de Leonissa 250
Augustinus de Cumis 251
B. *Augustinus de Favaronibus* 252
B. *Bandinus de Scottis* 255
Banchinus Anglus 256
B. *Benedictus de Sulmone* 257
Bernardinus Pugalis 259
Bernardus Angelerius 260
Bernardus de Rossergio 360
Bertholdus Ruchavoser 361
Bertrandus Parayte 367
Bindus Guerri 262
B. *Bonaventura Baduarius* 263
V. *Bonsemblantes Baduarius* 267
B. *Christianus Francus* 269
Christophorus de Bononia 270
Dionysius de Murcia 271
Episcopi 382
Facinus Astensis 272
B. *Felix de Massa* 273
V. *Franciscus Mellinus Romanus* 274
Franciscus de Eugubio 369
B. *Franciscus de Nutis* ib.
Gabriel de Garofolis 277
Galfridus Hardebius 280
Generales 380
B. *Georgius de Cremona* 282
Georgius Dux Teccensis 284
V. *Gerardus de Arimino* 285
B. *Gregorius de Arimino* 287
B. *Guilelmus de Tolosa* 290
Guilelmus Egmundus 292
B. *Guilelmus Fletaeus* 293
Guilelmus Saphontius 295
Guilelmus Wellis 296
B. *Gundisalvus de Lagos* 297

Digitized by Google

SAECULUM SECUNDUM

Henricus Budericus pag. 299
Henricus de Gauda 300
Henricus de Langestain 361
B. Hermannus de Schildicz 300
Hieronymus de Neapoli 371
B. Hieronymus de Recineto 302
Jacobus Bussolari 304
B. Jacobus de Ancona 306
B. Jacobus de Cerqueto 308
Jacobus Caracciolus 309
Jacobus Magnus 310
B. Jacobus Piccolomini 311
Joannes Bromius 372
BB. Joannes et Petrus Becchetti 313
Joannes de Basilea 373
B. Joannes Ghisius 314
Joannes Godtwicus 317
Joannes Kichelejus 373
Joannes Lidgatus 363
B. Joannes Tantuccius 318
V. Joannes Vander Geest 374
Joannes Waldebius 320
V. Joannes Zacharias 321
B. Jordanus de Saxonia 323
Lucas de Offida 327
Martinus de Signa 328
Martinus Corbenus 329
V. Matthaeus de Interrocrea 330
V. Michael Cardonet 331
B. Nicolaus de Ceretanis 375
Nicolaus de Dinkelspila 333
B. Nicolaus Tinius 335
Onuphrius Stecutus 339
Paulus Venetus 341
Petrus Amelius 345
Petrus de Vena 346
B. Philippus de Agazzariis 347
Robertus Waldebius 348
Rodulphus Marhamus 350
Sacristae 382
B. Sanctes de Cora 378
Sanctimoniales 388
V. Simon de Cremona 351
Simon Tornaquincius 378
V. Thomas de Argentina 352
Thomas Radcliffus 379
Thomas Winterburnus 354
Ugolinus Malabranca 355
B. Ugolinus Zephirinus 357

SAECULUM TERTIUM

Adamus Montaldus vol. II. pag. 3
B. Adrianus Berzetus 165
Aegidius Canisius de Viterbio 4
Albertus Patavinus Novellus 10
B. Alexander Oliva 11
B. Alphonsus Borgia 17
Alphonsus de Corduba 20
B. Alvarus Monterus 166

Digitized by Google

SAECULUM TERTIUM

Ambrosius Calepinus p. 20
Ambrosius Flandinus 23
Ambrosius Massarius, alias Coranus 24
Ambrosius Quistellius 27
B. *Andreas de Monte Regali* 28
V. *Andreas Proles* 167
Anselmus Bocturnus ib.
B. *Anselmus de Montefalco* 30
B. *Antonius de Aquila* 32
V. *Antonius de Fuentes* 36
Antonius Dulciatus 38
Antonius Melius 39
V. *Antonius de Villasandino* 168
B. *Augustinus de Casulis* 169
Augustinus Cappelmair 40
Augustinus Marius 42
Aurelius Lippus Brandolinus ib.
Bartholomaeus Arnoldi 47
B. *Bartholomaeus de Palatiolo* 49
Basilius Monaldus 52
Basilius de Ripa ib.
Bellinus Patavinus 54
B. *Benignus de Genua* 55
Bernardus Andreas 56
B. *Bertramus* 57
B. *Cherubinus de Aviliana* 58
Christophorus Fistherus 174
B. *Christophorus de Petroniis* 59
B. *Christophorus Landuccius* 61
Conradus Tregarius 62
Dionysius Vasquez 63
Episcopi 194
V. *Franciscus de Cruce* 175
B. *Franciscus de Zumpano* 65
B. *Gabriel Quadrius* 66
B. *Gabriel Sfortia* ib.
Generales 191
B. *Georgius a Rosa Alba* 68
Gotschalcus Hollem 69
V. *Gratia de Catharo* 177
Guilelmus Becchius 70
Guilelmus Galion 72
Guilelmus de Joncono 73
B. *Gundisalvus de Baraona* ib.
Hermolaus Barbarus 163
B. *Hieronymus Bonsignorius* 74
Hieronymus Plumatius 76
B. *Jacobus de Neapoli* 178
B. *Jacobus Perez* 77
Jacobus Philippus Forestus ib.
B. *Joannes Baptista Poggius* 81
V. *Joannes Benedictus Moncettus* 179

Digitized by Google

SAECULUM TERTIUM

Joannes Bernardus Forti pag. 83
Joannes Buriensis 84
B. *Joannes Capgrave* 86
Joannes Dathus 87
Joannes de Dorsten 88
Joannes Erghon 89
V. *Joannes Estacius* 180
B. *Joannes de Extrema* 181
V. *Joannes Hofmaysterus* 90
Joannes Lowe 94
Joannes de Hispali, alias de Sivilia 96
B. *Joannes de Novaria* 182
Joannes de Meppa 97
Joannes Paltz 98
B. *Joannes Rochus de Portiis* 99
B. *Joannes de Salamantica* 101
S. *Joannes de S. Facundo* 102
Joannes Staupitius 109
Joannes Tonnejus 113
B. *Joannes Traversius* 114
Julianus Falciglia 112
B. *Josephus de S. Geminiano* 183
B. *Isajas Bonerus* 115
V. *Luchinus de Aretio* 118
Marcus Bocturnius 184
Marianus de Genestano 119
B. *Martinus Alphonsi* 124
B. *Martinus de Eulate* 126
B. *Martinus de Vercellis* 128
Moniales 198
Nicolaus Barianus 130
B. *Nicolaus de Agreda* 131
Nicolaus Foresius 132
Nicolaus Palmerius 186
B. *Nicolaus de Parillionibus* 133
Nicolaus Scutellius 134
B. *Paraclitus Binius* 135
V. *Paulinus de Mediolano* 187
Paulus Mattabuffi 137
V. *Paulus Olmi* 138
Paulus Zabarella 139
Petrus Aurelius Sanutus 141
B. *Petrus de Cetona* 142
Petrus de Rubeis 144
B. *Petrus Jacobus de Pisauro* 145
Philibertus Haresche 147
Raymundus Perauldus 164
Sacristae 193
Silvester de Balneoregio. 148
Silvester Mencius 149
B. *Simonetus de Camerino* ib.
Stephanus Vannaeus 152
V. *Thaddaeus Bonus* 190
B. *Thaddaeus de Canaria* 153
S. *Thomas de Villanova* 154
Thomas Penket 162

Digitized by Google

SAECULUM TERTIUM

V. Tiberius Piccolomini p. 190
B. Valerius Senensis 191

SAECULUM QUARTUM

Adamantius vol. II. p. 209
Adeodatus Senensis 210
Aegidius Consonius 286
Aegidius Fonseca 210
Alexius Menezes 211
Alexius Stradella 214
V. Alipius Siculus 215
B. Alphonsus de Orosco 216
Alphonsus Gotieres a Vera-Cruce 219
B. Andreas de Castro - Joannis 388
Andreas Diaz 389
Andreas Gelsominus ib.
B. Andreas Japonius ib.
V. Andreas de Ortega 223
B. Andreas Quatiebras 225
V. Andreas de Salazar 224
V. Andreas de Urdaneta 222
Angelicus Aprosius 227
Angelus Portenarius 390
Angelus Rocca 228
B. Antonius de Bonis 391
Antonius de Calancha 392
B. Antonius de Elvas 232
Antonius de Govea 238
Antonius Kerbekius 393
Antonius Osorius 393
B. Antonius de Roa 234
Augustinus Antolinez 236
B. Augustinus de Corumna 237
V. Augustinus de Castro, alias de Jesu 239
B. Augustinus Higinus ib.
V. Augustinus Molarius, alias de Fivizano 241
Augustinus Moreschinus 242
Augustinus Osorius 396
Augustinus Paulettus ib.
Augustinus de Trinitate 395
Aurelius Corbellinus 397
V. Baltassar Melgarejus 243
B. Bartholomaeus Gutierez 399
Bartholomaeus de los Rios. 245
Basilius Pontius 246
V. Bernardus Ohygnus 247
Carolus Veron 248
B. Christophorus Dixen 249
Christophorus Fonseca ib.
Christophorus Patavinus 250
Christophorus Sanctotisius 252
Cornelius Curtius 253
V. Cornelius de Bye 254
Cornelius Dielman 401
Cornelius Lancilottus 255

Digitized by Google

SAECULUM QUARTUM

V. Damianus de Udancos p. 401
V. Dermitius Chrak 256
Didacus de Estunica 402
B. Didacus de Herrera 257
Didacus Lopez de Andrada 258
B. Didacus Ortiz 259
V. Didacus de Vertabillio 404
Emmanuel de la Cerda 405
Emmanuel de Conceptione 264
Episcopi 454
Evangelista Quadrammus 406
Fabianus Clavarius 265
Felix Milensius 266
Felix Pratensis 267
V. Ferdinandus de S. Josepho 268
Fortunatus Scacchus 270
V. Franciscus de Briones 273
Franciscus a Christo ib.
V. Franciscus Martinez 410
Franciscus Perez 274
Franciscus Richardotus 382
Gabriel Buratellus 412
Gaspar Casalius 275
Gaspar de Villaroel 277
Generales 451
Georgius Maigretius 277
B. Gerardus Ridder 278
Gregorius Nunnius 280
Gregorius Petrochinus 281
B. Guilelmus de Tarsia 282
Henricus Hivaeus 283
Henricus Lancilottus 284
B. Henricus Zegherus 278
Hieronymus Ayotes 417
Hieronymus de Ghettis 286
V. Hieronymus Melendez 287
Hieronymus Roman 288
Hieronymus Seripandus 289
B. Hieronymus Ximenez 294
B. Innocentius 232
Jacobus Veldius 296
Joachimus Brulius 297
Joannes ab Annuntiatione 298
Joannes Augustinus Bassianinus 420
Joannes Baptista Arrighi 421
Joannes Baptista a Glano 298
Joannes Baptista Gori 422
Joannes Baptista de Asti 300
B. Joannes Baptista de Moya 301
V. Joannes de Almaraz 303
V. Joannes de Alvarado 304
Joannes de Grixalva 425
Joannes de Medina 305
V. Joannes Maldonatus 426
V. Joannes Paulus Berlendus 423

Digitized by Google

SAECULUM QUARTUM

Joannes de Pineda p. 307
B. *Joannes de S. Guilelmo* 308
Joannes Galvarro 311
Joannes Gonzalez de Critana ib.
Joannes Gonzalez de Mendoza 312
B. *Joannes Graels* 313
Joannes Marquez 315
Joannes Naevius 316
V. *Joannes Puteanus* ib.
V. *Joannes Ramirez* 319
Joannes Rivius 321
B. *Joannes Ruiz* 249
Joannes Suarez 322
B. *Joannes Vique* 323
Josephus Pamphilus 326
Laurentius Empoli 327
Laurentius de Villa-Vicentio ib.
Laurentius Scalabonius 329
Leonardus Coquaeus 330
V. *Ludovicus Alvarez* 336
Ludovicus Albertus 432
Ludovicus de Angelis 332
Ludovicus Bariola 433
Ludovicus de Beja 331
B. *Ludovicus de Montoya* 332
Ludovicus Legionensis 334
V. *Marcellus de Lebrixa* 338
Marcus Garzia 339
V. *Marianus de Belvedere* 436
Martinus de Alviz ib.
Martinus de Rada 340
Mathias Pauli 341
Melchior Daelhemius 343
Michael Hoyerus ib.
Michael Paludanus 344
Moniales 457
Nicasius Baxius 345
Nicolaus Crusenius 438
B. *Nicolaus de S. Augustino* 346
B. *Nicolaus Melo* ib.
V. *Nicolaus de Perea* 349
B. *Nicolaus Witte* 350
Onuphrius Panvinius 352
Paulinus Berti 358
Paulus Ciera 359
Paulus Fraxinellus 360
Peregrinus Nasellus 359
V. *Petrus de Agurto* 441
Petrus De Aragon 361
V. *Petrus de Castillo* 362
V. *Petrus Suarez de Escobar* 364
Petrus de Valderama 363
B. *Petrus Zuniga, alias de Estunica* ib.
V. *Possidonius Major* 446
Prosper Stellartius 366
B. *Raymundus de Anglada* 313
Sacristae 453
Sebastianus Tuscanus 367
Sebastianus Broilus 448
Simon Mnisenius 369

Digitized by Google

SAECULUM QUARTUM

Spiritus Angosciolus p. 370
Stephanus Rabache 371
Thaddaeus Guidellus 372
B. Thomas de S. Augustino 380
Thomas de Herrera 373
V. Thomas a Jesu 375
Thomas Gratianus 381
Thomas Talamellus 382

SAECULUM QUINTUM

Adeodatus Solera vol. III. pag. 3
Agnellus Candler 4
Aloysius Torelli 5
Alvarus de Jesu 120
Ambrosius Landucci 6
Andreas Landon 123
V. Andreas Lopez 7
Angelus Vancius 123
Anselmus Hormanseder 8
Antonius Dominicus Gandolphus 9
Antonius Gagliardi de Rota 10
Antonius Magerl 12
Antonius a Nativitate 127
Antonius de Purificatione 12
Augustinus Aetinus 13
V. Augustinus Antonius Pasqual. 14
Augustinus Arpe 18
Augustinus Diruta 129
Augustinus Gibbon 18
Augustinus Gioja 19
Augustinus Lubin 20
Augustinus de Rossi 24
Aurelius Piette 25
Balthasar Campuzanus ib.
Bartholomaeus Faber 26
Benignus Sichrowscki ib.
Bernardus Desirant 27
Bonaventura Attardi 29
Bonaventura Moors 133
Caesar Pronti 30
Camillus Thoma 134
Carolus Moreau 24
Christianus Lupus 32
Coelestinus Brunus 37
Congregationes Augustinianae 203
V. Cosmas a Praesentatione 138
V. Didacus de Besalanque 38
Didacus de Loya 139
Donatus Calvi 40
V. Donatus Hibernus ib.
Emmanuel de Conceptione 43
Emmanuel de Figueiredo ib.
Emmanuel de Gouvea 44
Emmanuel Leal 148
Episcopi 196

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Felix Mayr pag. 45
Ferdinandus de Camargo ib.
Franciscus ab Annuntiatione 46
Franciscus Farvaques 47
Franciscus Maria Battalea 48
V. *Franciscus Maria Querni* ib.
Franciscus Vieyra 51
Fulgentius Alghisius 152
Fulgentius Arminius Monfortis 52
Fulgentius Baldanus 53
Fulgentius Bellelli ib.
Fulgentius Leitam 55
Fulgentius Petrellus 56
Gaspar Molina ib.
Gelasius Hieber 58
Generales 194
Guilelmus Bonjour 59
V. *Guilelmus Tyrreus* 61
Henricus Canisius 158
Henricus Noris 64
Hieronymus Nicolius 159
Hieronymus Valvasorius 69
Hyacinthus Tonti 68
V. *Hilarius de Monte Ortono* 70
Jacobus Alberici 159
Jacobus Philippus Gatti 71
Jacobus Homey 74
V. *Jacobus Lopez* 75
Ignatius Ertl 76
V. *Innocentius Angeluccius* 77
Joannes Architectus 30
Joannes Baptista Cotta 79
Joannes Baptista Ininger 82
Joannes Baptista Sicardus 83
Joannes Giberti 84
Joannes Mantelius 85
Joannes Sckweitzer 86
Josephus a S. Antonio 87
Josephus ab Assumptione ib.
Leonardus Vanroy 171
Leopoldus Gramiller 88
Ludovicus Barile 172
Ludovicus della Casa 89
Marianus Schurger 90
Martinus Wouters 91
Miraculum S. Nicolai 207
Michael Baldaccini 92
Moniales 199
Nicephorus Sebastus Melissenus 93
Nicolaus Antonius Schiaffinati 94
Nicolaus Fridericus Gavardi 96
V. *Nicolaus Sersale* 97

Digitized by Google

SAECULUM QUINTUM

Nicolaus de Tombeur p. 100
Petrus de Bretagne ib.
Petrus de Comitibus 101
Petrus de Montoja 30
Petrus Lambertus le Drou 102
Petrus Manso 185
Petrus Schenkelius 104
Philippus Elssius 105
Philippus Vicecomes ib.
Philippus van Wavre 106
Prosper Fabarius 108
Qui interfuerunt Conc. Trid. 206
Raphael Bonherba 108
Sacristae 195
Servatius Smets 109
Simplicianus a S. Martino 110
Thaddaeus Caluscus ib.
V. *Thomas Antonius Arbuatti* 111
V. *Thomas Bosco* 115
Wolgangus Eder ib.

SAECULUM SEXTUM

Abraham a S. Clara vol. *III.* pag. 433
Albertus Fortis 300
Aloysius Cerezo 332
Aloysius Jonni 304
Aloysius Sandblicher 260
Alvarus Benavente 328
Alvarus Cosme 380
Amalricus Augerii ib.
Andreas Dalhamer 381
Angelicae Bibl. Praefecti 377
Angelicus Fischer 333
Antonius Hohn 209
Antoninus Jorio 334
Antoninus Merino 210
V. *Antoninus de Nostris* 212
Antoninus de Vita 334
Antonius Hochkirchen 209
Antonius Augustinus Giorgi 213
Augustiniani qui scripserunt de rebus Ordinis 408
Augustinus Delfino 221
Augustinus Finazzi 384
Augustinus Gervasio 222
Augustinus Magi 314
Augustinus Moralia 224
Augustinus Morselli 226
Augustus Fischer 338
Balduinus de Housta 230
V. *Bartholomaeus de Jesu Maria* 384
Basilius Maria Lippo 227
Benedictus Somoza 228
Bernardus Lago 340
Bertrandus Pastoris 385
Bonaventura Wunder 329
Carolus Amoretti 329

Digitized by Google

SAECULUM SEXTUM

Carolus Constantius Rabbi pag. 230
Carolus Thil 231
Casimirus Mezger 232
Christianus Cristiani 233
Cosmas Schmalfus 236
Daniel Marcolini 331
Dominicus Lucchesi 256
Didacus Thaddaeus Gonzalez 237
Emmanuel Blanco 299
Emmanuel Davalos 343
Emmanuel Pignone 239
Emmanuel Risco 241
Emmanuel Vidal 242
Engelbertus Kluepfel 244
Episcopi 372
Excalceati 432
Faustinus Cliquet 246
Fidelis Amalfi 247
Franciscus Armanà 248
Franciscus Lopez de Urraca 809
Franciscus Mendez 242
Franciscus Parenti 306
Franciscus Riambau 251
Franciscus Xaverius Vasquez ib.
Gaspar de S. Augustino 293
Gaspar Vivacqua 390
Generales 367
Guilelmus Bartolomei 256
Guilelmus Gahan 256
Henricus Florez 258
Hilarius Robeck 260
Hyacinthus Montargon 439
Jacobus Alvarez 261
Jacobus Botto 221
Jacobus Doyle 263
Joannes Augustinus Carabelloni 321
Joannes Ellacuriaga 265
Joannes Facundus Sidrus Villaroggius 267
Joannes Felix Ossinger ib.
Joannes Fernandez Rojas 268
Joannes Laurentius Berti 270
Joannes Libens 329
Joannes Michael Cavalieri 274
V. *Joannes Nicolaus Chiesa* 276
Joannes Nicolaus Janvillas 397
Joannes Rivera 283
Jordanus Simonius 285
Josephus Aguilera 219
V. *Josephus Bartholomaeus Menocchio* 287
Josephus Bertieri 222
Josephus de la Canal 291
Josephus Callistus de Orihuela 355

Digitized by Google

SAECULUM SEXTUM

Josephus Gabriel Echavarria pag. 261
Josephus a Jesu Muñoz 293
Josephus Macedo 237
Josephus Palermo 194
Josephus Villaroig 267
Isidorus Keppler 298
Laurentius Tardy 299
Liborius Parisi 300
Martinus Rosnak 267
Maximus Imhof 359
Michael Angelus Marcelli 304
Michael de S. Josepho 401
Michael Quaranta 247
Moniales 375
Nicolaus Ghislieri 306
Patritius Silva 308
Paulus Rissuti 309
Petrus de Paternis 405
Petrus Centeno 268
Possidius Exner 298
Possidius Zitter 313
Richardus Tecker 232
Romanus Fischer 313
Sacristae 370
Seraphinus Francieri 314
Sixtus Schier 318
Stephanus Baldassarre 321
V. *Stephanus Bellesini* 322
B. *Stephanus Cioni* 406
Thomas Augustinus Rolandi 276
Thomas Moralia 231
Thomas Vasconi 233
Thomas Ascherburnus 407
Thomas Ortiz 328
Valerianus Zellner 329

N. B. Joannes Laurentius Czepanscki, Polonus, S. Theologiae doctor, anno 1699 Varsaviae typis evulgavit *Controversias orientalis et occidentalis Ecclesiae de subjecto potestatis ecclesiasticae, et inerrabili Ecclesiae regimine.* Sunt numero quatuordecim latino sermone exaratae.

Digitized by Google

IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P.
S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR
Petrus Castellacci Archiep. Petrae
Vicesg.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google